BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
B
820(2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
B
820 (2
NAPOLI

ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ch 2c 4

Digitized by Google

6054 Ygen. VIII. D. 280

THEATRI
POLITICI
PARS SECUNDA.
CAPUT PRIMUM
DE
RELIGIONE
ET LEGIBUS.

PArtem primam Theatri nostri Politici constituit doctrina de Republica ejusque causis & formis: quam excepit illa de forma, norma & regimine Imperii nostri Romano-Germanici, ejus Duce & Capite, omnibusque membris, horumque jurisdictione & potestate. Commodè nunc tradimus præcepta de basibus † ac instrumentis regiminis publici: Religione scilicet & Legibus: sine quibus nulla Respub. nulla hominum consociatio salva ac illæsa stare potest: ut meritò Religio & Lex duo fortissima Reipub. fulcra & fundamenta dicantur. 1

2 In omni † autem re oportet priùs vocis ipsius usum cognoscere, à quo sæpenumero provehimur in rei perceptionem, *docente Julio Cæsare Scaligero exerc. 1. à pr.* Quare præcepto illi aures accommodabimus, & omnium primùm etymologias vocabulorum excutiemus.

Religio unde dicatur.

3 Religionem † *Cicero* à relegendo derivat, sed rectiùs à religando dictam asserit *Lactantius lib. 4 divin. Instit. c. 20.* quòd vinciat & obstringat cultu pietatis, metuque Numinis animos hominum, in quos maximum ejus imperium. *Lips. lib. 1. Polit. c. 3.* Omnes siquidem religione moventur, & Deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur *Cic. 5. in Verr.* Hinc *Plinio lib. 14. c. 19.* vita dicitur constare religione. Hæc enim sola est, quæ custodit hominum inter se societatem: sine qua non fides, non justitia, non conscientia: sed perfidia, protervitas, & nefanda confusio *Lactant. de ira Dei c. 12.* Et urbs, *dicente Plutarcho*, videtur citiùs sine solo, navis sine carina, domus sine fundamento, quàm Respublica sine divini Numinis veneratione aut constitui, aut constituta servari.

Una religio vera.

4 Sicut † autem *unus est Deus:* ita quoque unus verus & sacræ Scripturæ conformis est Deum colendi modus, ac proinde *una tantùm, eaq. vera & orthodoxa religio*, quæ per juratos Spiritus S. Notarios in Veteris & Novi Testamenti tabulis consignata, orthodoxam de Christo doctrinam continet.

Una in Republica plantanda.

5 Quare non solùm una † in Republica summoperè efflagitanda, instituenda, plantanda, & quatenus fieri potest, propaganda & defendenda est religio: Verùm etiam cuilibet, potissimùm 6 magistratui summo, omnes dissensiones † religionis sedulò præcavendæ atque avertendæ sunt, & eò incumbendum, ut quod *Actor. cap. 4. v. 32.* legitur, multitudinis credentium cor sit unum, & ani-7 ma una. Felix † enim illa civitas, & beata Respub. non immeritò celebratur, quæ unius & sanioris doctrinæ luce collustratur. Nec ullum unquam firmius concordiæ & unitatis spectandum vinculum, quàm si in una eademque vera religione suavissima sit harmonia & consensus, quo civium animi invicem devinciantur. Di-8 versitas † verò opinionum in religione, pandora ferè est omnium malo-

malorum, quæ in mundo magna cum hominum detrimento quasi disseminata sunt. *Boter. lib. 5. de Politia illustrium. c. 2. fol. 350.* Hinc etenim conjurationes, seditiones, conciabula existunt. *Lips. lib. 4. Polit. c. 2.* contrà quàm opinati sunt Reges Ægyptii, qui firmandi sui causâ plures induxerunt, ne unquam conspirare inter se subditi ipsorum possent. *Diodor. Sicul. lib. 11.*

At verò cùm unitatem † in cœlesti doctrina optare potiùs, 9
quàm sperare forsan, in magna præcipuè Republica, vix liceat: hæresesque esse cùm oporteat, ut qui probati sunt, manifesti fiant: *1. Cor. 11. v. 19.* ac impossibile sit, aliquod bonum fieri, quin simul etiam pullulet malum, *dicente Chrysostomo in Act. homil. 33.* Hinc prudentioribus † placuit Politicis, si hæreseos malum legitimis 10
mediis tolli ac mutari nequeat, *tolerandam tunc esse religionum varietatem, non approbandam*, modò vera & perpetua pietatis fundamenta conserventur ac maneant: præsertim cùm Salvator ipse præceperit, ut zizania crescere sinamus, ne simul triticum eradicemus. *Matth. 13. v. 29.* vide *Benbellonæ suscitabulum tom. 1. fol 82. usque ad 95.* unde *Waremundus de Erenberg. lib 2. medit. pro fœderibus. c 1. nu. 61.* improbam pronunciat opinionem *Francisci Burckhardi, Johannis Lensæi & Jacobi Pamelij*, de religionibus diversis in una regione non admittendis, & de una tantum retinenda. *Just. Lips. in libell. de una relig.* Nullum enim, inquit, unquam extitit, Regio, in qua non etiam plures concessæ sint religiones.

Religionū varietas quando toleranda.

Sapientissimi † ergo Rerumpublicarum moderatores in eo 11
genere Nauclerum imitabuntur, qui cùm eò, quò cupiat, pergere non possit, eò, quò potest, cursum dirigit, ac sæpè velificatione mutatâ procellis & tempestatibus obtemperat, ne, si cursum tenere velit, naufragium patiatur. *Schönborn. lib. 3. Polit. c. 11.* ubi subjungit: Hoc quoque prudentis est gubernatoris, dispicere, an diversæ † religionis cives hæresin amplectantur tantùm, an etiam spargant. 12
Illi si pacatè vivant, spe conversionis, & pacis publicæ gratiâ tolerandi videntur. Hi si in fraterna admonitione non acquieverint, ex Repub. exterminandi sunt. Sic à Gratiano & Joviano Imperatoribus factum legimus *apud Socratem Histor. Eccles. lib. 3. c. 25. & lib. 5. c. 2.* Narrantur enim illi, propter communem subditorum

ditorum suorum tranquillitatem, & ad evitandas intestinas seditiones Templa, & oratoria concessisse multis in Imperio Romano tum varias religiones profitentibus.

Constitutio pacis Religiosæ in Germania.

13 In Germania † saluberrima illa constitutio pacis Religiosæ Passavii Anno 1552. 2. Augusti sancita, & in Comitiis Augustanis jussu Caroli V. Imperatoris, à Ferdinando Rege Romanorum, & Statibus Imperii solenniter introducta est, Anno 1555. & denique Anno 1566. confirmata à Maximiliano II. Cæsare, cujus vigore totá Germania sævis tunc intricata bellis, pacatior reddita fuit, & halcyonia sua obtinuit: unde Palladium nostri Imperii eam scitè & verè indigitat *Springerus de pac. Religios. c. 1.* Et notandum est,
14 quòd Ferdinandus † Imperator crebris ante obitum sermonibus usurpavit: Inter summa, quæ Deus in gubernatione sibi concessisset beneficia, primum atque maximum vero animi judicio se hoc ducere: quòd ad sedandas discordias publicas animum adjecisset: & tolerantiæ in religione formulam Deus in mentem dedisset. *Crato in epist. prælim. Historiæ Dubravij.*

15 Valdè igitur impudens † est illud de Autonomia, Von der Freystellung/ publicatum scripum, ut loquar *cum Friderico Mindano lib. 1. de proceß. extrahend. c. 29. nu. 6.* quo auctor dicere non erubuit, constitutionem des Religionsfrieden / à tempore Tridentini Concilii, respectu Augustanæ confessionis, planè exspirasse, ita ut repurgatæ in melius Evangelii doctrinæ, cujus Confessio Carolo Cæsari Augustæ exhibita, adhærentes, beneficio constitutionis quo ad suspensionem jurisdictionis Ecclesiasticæ, publicam Imperii & communem tranquillitatem, ampliùs non gaudeant. cujus contrarium evincit ipsa constitutio de An. 1555. §. Vnd nach dem/ *vers.* So haben wir diesen Friedenstand, ita enim se habent verba: So haben wir diesen Friedenstand / von geliebtes Friedens wegen/ das hochschädliche Mißtrawen im Reich auffzuheben / vnd diese löbliche Nation vor endlichem vorstehendem vndergang zu verhüten / bewilliget/ solchen Frieden/ in allen obgeschriebenen Articeln / biß zu Christlicher / freundlicher vnd friedlicher Vergleichung der Religion vnd Glaubenssachen/ stet fest/ vnd vnverbrechlich zu halten/ vnd demselben trewlich nachzukommen. Wo denn

solche

solche Vergleichung durch die weg des General Concilii/National Versamlung/Colloquien vnd Reichshandlung nicht erfolgen würde/soll als denn nicht desto weniger dieser Friedestand in allen oberzehlten Puncten bey Kräfften/biß zu endlicher Vergleichung der Religion/stehen vnd bleiben/vnd soll also hiermit obberührter Gestalt/vnd sonsten in alle andere weg/ ein bestendiger/ beharrlicher/ vnbedingter/ für vnd für ewigwehrender Friede auffgerichtet vnd beschlossen seyn vnd bleiben Idem confirmatur *per dict. constit.* §. Solches wollen wir. & *de Anno* 1559. §. Dieweil. & §. Vnd nachdem. & *aliis subsequentibus annis.*

De nullitate Concilii Tridentini vide die Recusationschrifft des Triedentinischen Concilii, & contra illud gravamina Imperii quis nescit ex opere Domini Hordleri de causis belli Germanici? Quis nescit, ejus Concilii, tanquam partialis, acta & decreta omnia, ut cassa & irrita sint, petiisse Ordines Imperii in Comitiis Augustanis Anno 1559. & certis conditionibus in Concilium Oecumenicum & generale à Ferdinando I. Imperatore in Germania indicendum cõsensisse? qua de re consule *Chytræum in Saxon. lib.* 20. *fol.* 518. Ejusque Concilii vanitatem & strophas tùm ex Scriptura sacra, tùm ex orthodoxa vetustate nervosè & prolixè detegit *Martinus Chemnitius in Exam. Concilij Tridentin.* itemque *Lucas Bacmeisterus in disputationibus Theologic. XXIII. oppositis Decretis Concil. Tridentin. & habitis Rostochij Anno M. D. C. X.*

Exemplum Germanorum secuti etiam sunt Poloni † confœderatione religionis, Anno 1573. *Keckerm. lib.* 1. *syst. Polit. c. ult. fol.* 513. 16

Pulchra etiam illa rosa † Franciæ, quæ bellorum turbinibus, ob religionem planè in sanguinem verti videbatur, rursus effloruit libero religionis exercitio permisso. de qua re *Isac. Pontan. in itiner. Narbonens. fol.* 140. 150. & 152. 17

Religionum discrepantium non per se inducere mutationes Rerumpublicarum, sed per accidens, quando magistratus diu receptam & approbatam religionem absque judicio & discrimine, temerè mutet, subditos expellat, & pace politicâ privet eos,

qui illius doctrinam non amplectuntur, judicat *Crosius*, & post eum *Camerarius cent.* 1. *hor. succisiv. c.* 58. De hac re confer etiam *Bodinus lib.* 4. *de Republic. cap.* 7. *Dn. Gerbard. in coronide quæst. Polit.*

18 **Religio quomodo propaganda.** Propaganda † verò est religio *docendo & movendo, argumentis & testimoniis*, quæ paulatim ad assentiendum alliciunt, non minis, vi & armis. In quam sententiam ita scribit *Auctor de jure magistratus, quæst.* 10. *fol.* 278. Plantanda ac propaganda ab initio religio, solâ Spiritus Dei virtute, idque verbo Dei ad docendum, arguendum, hortandumque idoneo. Hoc enim proprium Spiritus Sancti opus est, instrumentis spiritualibus utentis. Itaque pii Principis, qui suos ab idololatria & falsis superstitionibus ad verã religionem pellicere cupit, partes erunt, ut illi veris firmisque argumentis in pietate instituantur. *Hænon. disput. Polit.* 5. *th.* 44. *ad lit b.* Nec non *Divus Bernhard. super Cant. Canticor. sermon.* 66. Fides, ait, non imponenda, sed persuadenda Quibus accedit *Lactantius Instit. divin. lib.* 5. *c.* 14. in hæc verba scribens: Quis imponat mihi necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim, non credendi? *Et cap.* 20. Non est opus vi & injuriâ, quia religio cogi non potest. verbis potiùs, quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas. *Mox.* Defendenda est religio non occidendo, sed moriendo, non sævitiâ, sed patientiâ: non scelere, sed fide. *Item.* Nihil est tam voluntarium, quàm religio: in qua si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est. Simile dictum habet *Martin. Lutherus tom.* 2. *Jenens. fol.* 180. Liberum est credere, & quiddam divinum in spiritu. Imò incivile est, invitum hominem jubere facere, quod facere non potest. *l.* 9. §. 10. *ff. de pœn.* Id autem quis censetur facere posse, quod liberâ quâdam voluntate animi facit, nemine cogente, *Schönborn. lib.* 5. *Polit. cap.* 28. Et omnium seculorum memoriâ dignissimum est, quod Stephanus Rex Poloniæ dicere solebat: Deum soli hæc tria reservasse: Ex nihilo aliquid facere, scire futura, dominari conscientiis *Johan. Wolffius in lect. memorabil. cent.* 16. *fol.* 903. *Waremund. de Erenberg. lib.* 1. *medit. pro fœder. fol* 125. *Ventur. de Valent. in Parthen. litig. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 9. unde & laudatissimus Imperator Maximilianus II. dixit: Nullam inte-

Digitized by Google

intolerabiliorem esse tyrannidem, quàm dominari velle conscientiis. Reges enim sunt Reges & domini populorum, non animorum. Et quanta impudentia, velle jus dicere, ubi non est fundata jurisdictio, vel extra territorium? conatus inanis, irritus, inquit *Waremund. d. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 15. Accinit *Jacob. Cujacius* magnus ille Galliæ JC. dicens: Religio non est, quæ calet in cœdes civium, & perniciem patriæ. Artes hæ sunt impiorum, Neronis & similium. *Cornel. Tacit. lib.* 15.

Quo igitur jure probabimus inquisitionem † Hispanicam, 19 quæ hæreticos, ut vocant illi, ultimo afficit supplicio? certè est talis contra jus gentium. *Benbellona in suscitab. tom.* 1. *c.* 9. contra mandatum Christi, contra præscriptum Apostolorum, contra mentem saniorum Patrum, quorum testimonia in medium modò attulimus: contra exemplum primitivæ Ecclesiæ, de qua refert *Socrates in Histor. Eccles. lib.* 7. *c.* 5. Orthodoxa Ecclesia homines persequi non solet: contra naturam denique religionis, quod itidem probatum jam dedimus.

Inquisitio Hispanica taxatur.

Quin religio Dei † augetur, quantò magis premitur, *idem* 20 *Lactant. d. c.* 20. & *Augustin. Epist.* 3. etsi, inquit, Ecclesia duriter premitur, tamen inter inimicos augetur, persecutionibus crescit, per afflictionem angustias usque ad terrarum extrema dilatatur. Hoc ipsum confirmat *Ambros. lib.* 2. *contra relat. Symmachi*, his verbis: Nunquam nobis Gentiles amplius cōtulerunt, quàm cùm verberari ac necari juberent: præmium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. vide magnanimos: per injurias, per inopiam, per supplicia nos crevimus. Accedit sententia *Waremundi d. l.* Gladio, igne, vel exilio in causa religionis nihil efficis: hypocritas instruis metu, & seminarium sanguine condis, ubi graves hosce Poëtæ versus recitat:

Religio pressa efflorescit.

Stringe enses, accende ignes, effunde cruores
Innocuos: suffoca undis, in viscera terræ
Defodito, horrendum! vivos vel in aëra fracto
Gut-

Gutture suspende, aut pedib⁹ manibusq; ligatis
Post tergum, lento suspenso desuper igni
Usq; adeò, ut quod sit, quavis elemẽta per orbẽ
Conscia sint laniena hujus, stragisq; piorum.
Nil tamen efficies: hæc sunt plantaria regni
Istius, olim etiam vatum humectata cruore.
O vitium insanum, si adamanti robore certet.
O muscam infaustam!

Hæc de Religione plantanda, toleranda & propaganda, pro ratione instituti nostri sufficiant.

21 Notatio Legis. Lex † *juxta Varronem*, à legendo dicta est: secundùm Jureconsultos à deligendo, seu eligendo, quòd ex pluribus Statutis sit lecta, ut observetur una. *Ferrar. lib. 1. Instit. tit.* 2. subscribit *Augustin. in lib. quæst. Vet. & Nov. Testamen. & Cicero lib. 1. de Legibus*, dicens: Leges præcipiendo, quid faciendum sit, quid verò fugiendum, docent nos rectè eligere. Nonnulli tamen non ab eligendo, sed à ligando legem derivant *Petrus Augustinus Morla in emporio utriusq; juris, part. 1. tit. 1. num.* 13. Græcè dicitur νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, à tribuendo, quòd unicuique suum tribuat, vel ἀπὸ τοῦ νέμειν, ab administrando, quòd omnia administret, aut jubendo, aut vetando. vel quasi νοῦς seu mens, quòd ex divina in humanam mentem, hincque in civitates & urbes promanet. quò respiciens Plato, dicebat, legem obtinere nomen simile nomini mentis.

Secundùm nomen res statim quærenda est. *Scalig. exerc.*
22 Definitio. 359. *sect.* 2. Nonnulli legem † definiunt, quòd sit commune præceptum secundùm rectam rationem conformatum, obedientibus præmium violantibus pœnam promittens, quò in civili hac civitate quàm beatissimè vivatur. Brevior est definitio seu descriptio

ptio *in l. 1. ff. de Legib.* ubi dicitur commune præceptum virorum prudentium consultum, communis Reipublicæ sponsio. 23

Causa † *efficiens* legis alia est remota, alia propinqua. Caus. effic.

Remota, † est Deus ter Opt. Max. causa & fons omnis boni 24 in natura, qui divinos mentibus hominum indidit igniculos, ex Remota. quibus quid æquum & justum, quidve iniquum & injustum sit, perspicere possint. Hinc olim † creditum est, legumlatores divinâ 25 quâdam providentiâ ad homines fuisse missos: quos ideo Prophetas, & humani generis divinos Duces *Plato & Avicenna* cognominant. Et Poëtæ, quia Jove nullum sanctiorem Deum noverant, ab eo etiam leges fluxisse scribunt. Quin & *Aristot. lib. 3. Polit.* cùm leges imperant, Deum imperare docet. Hinc Minas Rex Ægyptiorum suarum legum auctorem nominabat Mercurium: Minos Cretensis Jovem: Lycurgus Apollinem: Zamolxis Vestam: Numa Pompilius Romanus Rex, Ægeriam Deam: Zoroaster Oromasiam: Charondas Saturnum: Solon, Draco, Seleucus Minervam: Mahometes Gabrielem Angelum, ut præter *Herod. Liv. & Plut.* referunt *Val. Max. l. 1 c. 3. in fin. Alexand. ab Alex. l. 1. gen. dier. c. 2. Ælia. lib. 14. var. histor Marsilius Vicinus in Minoem Platonis, Cælius Rhodiginus lib. 18. antiq. lect. c. 19.*

Facti hujus rationes † quatuor assignat *Fr. Piccol. gr. 10. c. 27.* 26 1. ob absolutam illam veritatē & bonitatem, quę in legibus regnare debet, & solùm ex divina mente promanat. 2. ob auctoritatem & obedientiam. Quia n. nemo tam impius aut ἄθεος est, qui divino numini morem gerere deneget, fieri non potest, quin populus audiens leges divinitùs promulgatas, sanctè easdē servare studeat. 3. quia omnia, quæ à sapientia, prudentia, potentia liberaq; voluntate prodeunt, divinitùs provenire dicuntur, cùm hæc omnia homini competant, prout est mortalis aliquis Deus, similis Deo altissimo. 4. quia hisce fabularum involucris mystici quid, varia nim. legum principia & requisita significare voluerunt: Requirit siquidem lex sapientiam, quæ Minervæ tribuitur. Sapientiæ adjuncta cōtemplatio, Saturni propria: Requirit potestatē regiam, quę Jovi asscribitur: Flagitat justitiā, quæ sol mūdi, qui quod ἀεὶ πάλλων, Apollo dicitur: Postulat eloquentiā, quâ populo persuadeatur, cui præficitur Mercurius. *Hact. illę.* B Ma-

27 Maneat itaque hoc, legum semina † & initia ab ipso Deo, justitiæ & sapientiæ regula, cordibus hominum in creatione esse insita. Quò refero illa *P. Martyr. claß. 2. loc. com. c. 15. sect. 16.* principium omnium legum divina mens censenda est. Quicquid enim aut justi aut honesti in illis decretis habetur, id universum inde profluxit: ut dicere possimus, omnes leges divinæ mentis esse. Unde fit, ut leges quæ justæ non sunt, pro legibus haberi non debeant: vel, ut ait *Joach. Mynſ. ad §. sed naturalia. Instit. de jur. nat. gent. & civil.* ad observationem sui neminem astringant. Lex autem bona, ut graviter dicit *Cicero in lib. de legib.* à mala nullâ aliâ, nisi naturæ normâ dividi potest.

28 Causa efficiens *propinqua* † sunt homines prudentes, multarum rerum experientiâ & usu, quid è re civilis tranquillitatis sit, necne, edocti, auctoritate publicâ armati, & ad rerum gubernacula evecti, quales sunt Imperatores, Reges, Principes, Comites, Barones, Consules, Prætores, Tribuni plebis &c. *Robert. Maranta. de judic. part. 3. per tot.*

Propinqua

29 *Materia* † legum, sunt tantùm contingentia, libertati voluntatis nostræ subjecta: sed feruntur etiam de rebus necessariis & naturalibus. Sic honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere, sunt naturalia, & tamen juris præcepta dicuntur ab Imperatore Justiniano *in Instit. de just. & jur. §. 3. & tit. 2. est de jure nat. gent. & civili.*

Materia.

30 *Forma* † legis consistit in recta ratione. Sic vulgò dicitur, animam legis esse rationem. *arg. l. scire. ff. de legib. Wesenb. in paratit. de legib. num. 5.* Quòd si enim lex ratione non sit informata, ne nomen quidem legis habet.

Forma.

31 *Finis* † legis, est beatitudo Politica & civilis, quatenus videlicet leges virtutis studium promovent, & ad illud accommodatæ sunt: dum bonis præmia, malis pœnas promittunt.

Finis.

32 Ex his patet, qualis † lex propriè sic dicta esse debeat: Justa, nimirum, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta, non obscura, non captiosa, nulli privato commodo, sed communi

muni civium utilitati conscripta. *Isidor.* Hactenus de causis legum, sequuntur earundem species.

Species † legum numerantur duæ: Aliæ enim sunt *divinæ*, alię *humanæ*. *c. omnes leges. 1. dist. Maranta d. l. n. 80.* 33 Species.

Illæ † à Deo vel immediatè, ut præcepta Decalogi in monte Sinai: vel mediatè, per os Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum: Hæ† v. ab hominibus proficiscuntur. 34 35

Leges humanæ subdividuntur † *in naturales & positivas*, seu civiles. *l. pen. ff. de just. & jur. tot. tit. Instit. de jur. natur. gent. & civil.* 36

Illæ † omnibus per naturam insunt, & impropriè vel abusivè dicuntur leges, ut suprà part. 1. cap. 23. num. 78. monuimus. Hæ † verò à lege naturali eductæ & extructæ, à prudentibus proponuntur, & varias denominationes accipiunt, vel ab auctoribus & legumlatoribus, ut Solonis ac Draconis, Atheniensium, ac omnes ferè Romanorum: aut à tabulis, in quibus scriptæ vel incisæ sunt, ut duodecim tabularum: aut ab eo, quòd jubetur, ut Agraria, Sumptuaria, Frumentaria &c. vel à loco, vel modo rogandi, vel auctoritate, ut Romanorum leges sacratæ curiatæ, curiatis comitiis latæ &c. *Anton. Augustin. in lib. de legib. c. 5.* 37

CAPUT II.

AN NECESSARIÆ SINT scriptæ Leges?

REperiuntur † homines, nec de fece Romuli tantùm, sed & illi ipsi, qui in Republicam literaria familiam ducunt, existimantes, *in hac civili societate non opus esse legibus scriptis*, & multò meliùs rectiùsque secundum naturalis rationis judicium, atque arbitrium imperantium, quàm legumlatorum præcepta, lites ac controversias dirimi posse; clamitantes, leges esse instar cerei nasi, 1 Sententia negantium.

 pro-

prorogationis esse causam, Advocatis cavillandi præbere materiam: ac proinde ex judiciis & aulis esse exterminandas. Et hinc legem imperanti seu principi subjiciunt: ut pro ratione & lege sit voluntas.

2 Affirmantium. Verumenimverò si judicis † arbitrio controversiæ essent dirimendæ, si jus incertum, dubium vel ambiguum, si nutu imperantium instar Polypi alicujus transformaretur, & nunc hanc, nunc illam formam indueret, quæ judiciorum, & politiæ erit vis, quæ auctoritas? cùm enim historiarum loquantur monumenta, & quotidiana testetur experientia, judices variis affectibus corruptelis ac depravationibus esse obnoxios, & jam ambitione, jam gratiâ, vel odio, jam imprudentiâ, jam recti specie seduci & abduci, quis non videt, formâ & normâ opus esse, ad quam, ut Architectus in extructione ædificii ad libellam & lineam ita judex in judi-
3 cando respiciat? Ubi verò lex † dominatur, ibi nullum est odium, nullum præjudicium, nullum suffragium, nulla προσωποληψία, nullus favor, nulla vindicta, nulla ira, nulla cupiditas & ambitio, sed certa justitiæ regula, æquitatis norma, judiciique directrix, quæ affectibus veluti compedes injicit. Hinc lex magistra-
4 tus † mutus, & magistratus lex loquens indigitatur, & sicut magistratus populo, ità magistratui lex præesse dicitur. *Cicer. lib. 3. de*
5 *legib.* Ac eleganter magnus ille *Zasius*: Æquitas, † inquit, omnia benè æquiparat: tamen æquitas, quæ non est jure scripta, sed ex motu & affectione animi apparet, contra jus scriptum non est sequenda: alioquin nihil etiam vel certum, vel perpetuum in jure nostro, quibuslibet judicibus causarum statum ad quamlibet imaginatam & domi natam æquitatem detorquentibus. Quibus consonant illa, quæ tradit *Felin. in c. ex parte 2. in princ. de offic. deleg.* judex debet procedere secundùm æquitatem juris, & non secundùm æquitatem informatam à jure naturali: Nam ejus æquitatis habenda est ratio, quæ non solùm ex naturali jure gentium, sed ex præceptis civilibus & prætoriis æstimatur, *l. bona fides. ff. de deposit.* Hæc etiam æquitas plena, absoluta, legalis: illa verò informis & imaginaria dicitur, ut eleganter scribit *Moder.*

Paris.

Parif. de feud. tit. 1. §. 41. *num.* 86. *& seq.* Non ergo quis sibi formare debet opiniones ex propria phantasia, ut notat *Angel. in l. cùm quædam.* §. *quod dicitur. ff. de acquirend. heredit.* Nec minùs verè *Aristot.* scribit: Qui legem † præficit, Deum & legem vult 6
præesse: sed qui hominem præficit, addit ei beluam, videlicet cupiditatem & iracundiam: quæ sunt beluina, & pervertunt animos etiam in optimis. unde Plato alicubi asserit, eam civitatem disperire oportere, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Unde *Cic. in Orat. pro Cecinna* dixit: Nihil † est 7
in civitate tam diligenter, quàm jus civile retinendum. *& lib.* 1. *offic.* eidem placet, plerunque magis leges, quàm arma Reipublicæ esse necessarias. Illis etenim sublatis, nihil est, quare exploratum cuiquam esse possit, quid suum sit, aut quid alienum: vel quod æquabile inter omnes, vel unum omnibus esse possit. In quem sensum dixit Heraclitus, cives non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus: quòd absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque mœnibus possit. *Laërt. lib.* 9. *cap.* 1. siquidem, *auctore Demosthene*, lex est spiritus & anima civitatis. Ut enim corpus animâ carens, cadit: sic civitas nullis administrata legibus evertitur.

Nec facilè vel mediocris † Respublica sine certis legibus 8
fuit. Lex apud Judæos erat scriptis consignata. *Deut.* 23. *v.* 24. 25. *Jos.* 8. *v.* 2. & quotannis publicè prælegebatur. *Deut.* 31 *v.* 11. 12. *&* 13. Quid dicam de Republica Persarum, Græcorum, Romanorum, & aliorum, qui legibus à se latis judicia sua munivère & ad earum præscriptum ea direxère? Romani armis & legibus se exercentes, orbem terrarum suum fecerunt. & armis quidem constrinxerunt, legibus autem conservarunt, *Lonvandas de Regnorum successione.*

Præterea, est & alia † scriptarum legis utilitas, imò necessi- 9
tas. Justos enim in officio retinent, injustos verò & impios corrigunt, ac certis ceu cancellis includunt. *Cæl. Rhodig. lib.* 18. *antiq. lect. c.* 1. Hinc Modestinus *in l.* 7. *ff. de legib.* illis ascribit vim imperandi, vetandi, permittendi & puniendi. *Et Demosth. in orat.* 2. *cont. Aristogit.* Duas ob causas, scribit, omnes feruntur leges, tum ut nemini

quicquam injusti liceat agere, tum ut iis, qui isthæc transgressi sunt supplicio affectis, cæteri meliores efficiantur. Ad eundem finem alludunt Valent. & Mar. Impp. *l. 9. C. de legib.* Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent; ut universi, præscripto earum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. pertinet huc illud *Ciceronis 2. de Orat.* Legibus proposita sunt supplicia vitiis, præmia virtutibus.

10 Imperator † Justinianus hu[illegible] finem indicat *in proœm. Instit. à pr.* Imperatoriam majestatem [illegible] solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernari.

11 Denique Persis † lex erat, ut à morte Regis, legum & juris intermissio per quinque dies fieret, nimirum, ut intelligerent subditi, in quanto pretio Regem ac Legem habere debeant. *Serinus apud Stobæum sermon. 42.* Propheta exulceratissimum Reipub. statum descripturus, dicit, non fore Sacerdotem, non Doctorem, neque legem, neque Ducem in populo. *2. Paralippom. cap. 15. Daniel, cap. 3. v. 38.*

12 Maneat itaque quod dicebat ille: sine † legibus Rempublicam nō esse Rempub. sine legibus n. si vivāt, vel vivere aggrediantur homines, quæ inter illos & bestia erit differentia? *Plat. in Legib. Plut. contr. Colot. Demosth. contr. Aristogiton.* Maneat & hoc: Quod clavus in rota, idem lex in Republica præstat.

Responsio ad contraria.

13 Ad illa, quæ à pr. cap. in contrarium fuère allata, breviter respondeo: id fieri † non vitio legum, sed vitio hominum legibus abutentium. Judicium verò de unaquaque re faciendum est, non ex his, quæ per accidens accedunt, sed ex his, quæ per se insunt. Nihil enim tam bonum est, quod abusu non malum, imò pessimum reddatur, vel, ut loquitur *Cic. 1. de invent. & Aristot. Rhet. 1. c. 1.* omnium rerum, & quidem præstantissimarum, ea est conditio, ut his perperam homines utantur. Tollatur ergo abusus, maneat usus & substantia rei.

CAPUT

CAPUT III.

UTRUM CHRISTIANIS Ethnicorum Legibus vivendum?

Evicto hoc, quòd leges scriptæ sint necessariæ, ulteriùs quærimus: *Utrùm Christianis† licitum sit Ethnicorum legibus uti?* Hîc 1
quamvis diversi diversa dicant & scribant, quos refert *Zepper. lib. 1. c. 2. & 3. de legib. Mosaic.* nobis tamen affirmantium sententia arridet, quòd sic: modò cum pietate & honestate, cum Decalogo & jure naturæ leges illæ nón pugnent.

Quid enim? Immotę veritatis axioma est: Evangelium† non 2
abolet politias, nec jura politica. *Matth. 22. v. 21. Marc. 12. v. 17. Luc. 20. v. 25.* sed vult omni magistratui esse obtemperandum: *Rom. 12. v 1. 1. Epist. Petr. 2. v. 13. 14. & 18.* ubi expreßè additur, non tantùm bonis ac modestis, sed etiam δυσκόλοις, hoc est, difficilibus dominis obedientiam esse præstandam. Quod si ergo ipsis Imperatoribus Ethnicis jubemur aures accommodare: consequenter etiam eorum legibus ac præceptis. Et quid Apostolus? pulsatus ille, ex lege Imperii Ethnica, Cæsarem appellat. *Act. 25. v. 10. & c. 22. v. 25.* dicit, se civem Romanum esse, ideoque ex lege Imperii non serviliter verberandum.

Sed & Marcianus JC. eleganter ex Demosthene scribit:
Lex† est, cui omnes obtemperare convenit: tùm ob alia multa, 3
tùm vel maximè eò, quòd omnis lex inventum ac munus Dei est. *l. 2. ff de legib.*

Valent† itaque illæ leges propter potestatem & auctorita- 4
tem Imperatoriam, iisque utimur non ut Ethnicis, sed tanquam à Deo promanantibus, Christianorumque Imperatorum suffragiis approbatis, & sicut nostris. *Dn. Arumæus exercit. Institut. 1. thes. 2.*

Expreßè autem diximus, legibus honestis† & piis obedien- 5
tiam

6 tiam esse præstandam à subditis: legibus verò impiis † & iniquis: vel de novo divini cultus genere instituendo, ab impio & infideli magistratu latis, nequaquam obligari statuimus *cum Dn. Helfrico Ulrico Hunnio 2. de auctorit. jur. civil. c. 1. q. 5.* Tunc enim fax regulæ Apostolicæ prælucere debet: Deo magis est obediendum, quàm hominibus. *Act. c. 4. v. 19. cap. 5. v. 29. can. quisquis metu. c. nolite timere, caus. 11. quæst.* 3. vel, ut loquitur *Augustinus sermon. 6. de verb. Domini*: in hoc casu contemnamus potestatem, timendo potestatem. Sic tres illi viri sancti, Sadrach, Mesach & Abednego, Nabuchodonosori Regi impiam legem de idolo adorando ferenti, parere noluerunt, sed ignis & mortis potiùs supplicium obire, à quo tamen singulari Dei providentiâ & miraculo in fornace Babylonica liberati & conservati fuerunt. *Daniel. c.* 3. Manum igitur de tabula.

CAPUT IV.

AN LEGES HUMANÆ habeant tam naturalem, quàm civilem obligandi vim in conscientiis?

De hac quæstione gravi & difficili comitia aguntur in Scholis Theologorum, Jurisconsultorum, & Politicorum, *An nimirum leges humanæ violatæ obligent in conscientia tam naturaliter, quàm civiliter?*

1 De Civili † obligatione res est expedita, cùm lex sit ipsa membrorum nostrorum domina. *l. liber homo. 13. à pr. ff. ad L. Aquil.* & inventrix pœnarum ac præmiorum ad bonum publicum, cujus interest: ut quemadmodum virtutes & benè merita beneficiis ac bonorum præmiis exornantur & compensantur: sic etiam male-

maleficia & improbæ actiones non maneant sine pœna, & vindictæ compensatione. *l. ita vulneratus.* 51. *circa fin. ibi: neq; impunita. eod. tit. Dn. Gædd. de verb. signif. ad l.* 6. *n.* 7.

At de *naturali* † obligatione controvertitur, sunt enim ex 2 ordine Theologorum & JCtorum, quibus negativa arridet sententia. *Calvin. lib.* 4. *Instit. cap.* 10. *sect.* 5. *Gerson. de vita spirituali, lect.* 4. *Fernand. Vasquius* 1. *illustr. controvers. c.* 28. *num.* 11. 14. 15. *& c. seq.* 29. *num.* 1. *&c.* Repudium verò his mittunt *Thom. de Aquin. l.* 3. *quæst.* 96. *art.* 4. *Dominicus Sotus lib.* 1. *de just. & jur. q.* 6. *art.* 4. *Gregor. Tholozan. lib.* 8. *de Repub. c.* 2. *num.* 5. *Gædde. d. num.* 7. *& seqq. post Bartol. Bald. & Jason. in loc. ibi cit. Besold. class.* 1. *disput. Polit.* 1. *thes.* 32. *& in œconomia tit.* 3. *&* 4. *lib.* 1. *ff. fol.* 163. *Helfricus Ulricus Hunius* 2. *de auctorit. jur. civil. cap.* 1. *quæst.* 2.

Rationes sententiæ affirmantis

Huic opinioni affirmativæ, immotis subnixi fundamentis, & nos subscribimus.

Nam 1. Quicquid ex lege † naturæ provenit, illud obligat 3 naturaliter in foro conscientiæ. Atqui leges humanæ justæ & rationabiles à lege naturæ derivantur, sicut *in l.* 1. *ff. de furt.* §. 3. furtum admittere, legi naturali dicitur esse prohibitum, *& l.* 42. *de verb. signific.* idem rescribit Ulpian.

2. Obedientia † erga magistratum, uti erga parentes, na- 4 turalis est. *l.* 2. *ff. de just. & jur.* quare & naturaliter obstringet, & & per consequens prævaricatoribus vulnus conscientiæ infliget.

3. Nec jure naturali solùm, sed & divino † mandato, ma- 5 gistratus jussus ad; obedientiam & pœnam nos obligant, cùm Deus politias, earumque ordinationes rationabiles approbet, nec violatores velit esse impunitos. *Melanchton. in exam. Theolog. in loc. de magistrat. polit.* Et quid hoc est, quod dicit Divus Paulus 1. *epist. ad Rom.* 13. *v.* 1. *&* 2. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: Non enim est potestas, nisi à Deo: qui autem restiterint, sibiipsis judicium accipient? Et D. Petrus ad fideles in Ponto, Bithynia & Cappadocia scribens, præcipit: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcel-

Digitized by Google

lenti: sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 1. *epist. 2. v. 13. & 14.*

6 4. Quicquid in contemptum† Dei vergit, illud obligat in conscientia. Jam verò violatio legum humanarum in contemptum divini nominis cedit, quia hæ à lege æterna derivantur, ut loquitur *Thomas d. l.* & patet ex testimoniis sacris modò adductis, quibus earum violatores ordinationi Dei resistere dicuntur. Ergo.

7 5. Nisi hoc concederetur, omnis † potestas magistratus funditùs tolleretur, nulla amplius esset auctoritas legum, unicuique pro lubitu vivere liceret.

8 6. In specie de legibus† Romanorum aliud argumentum desumit *Robertus Maranta de ord. judic. part. 3. num. 121.* à ratione scilicet justitiæ, quòd leges & jura Romanorum summâ justitiâ & ratione fuerint scripta & exarata.

Quamvis verò leges humanæ violatæ non quidem
9 πρώτως † & ἀμέσως, primariò & immediatè, ut loquuntur, obligent, tamen δευτέρως καὶ ἐμμέσως, secundariò & mediatè, quatenus videlicet magistratus ex potestate sibi divinitùs concessa decernit.

10 Diximus autem, leges tantùm justas† & rationabiles obligandi vim habere, eisque obedientiam esse præstandam. Quod si enim leges illæ humanæ fuerint injustæ, nec è fontibus justitiæ derivatæ &c. nullius conscientiam illaqueare possunt, sed rectè contemnuntur, ut in cap. præced. monuimus.

11 Ut autem leges† Imperatoriæ sint & dicantur justæ, debent 1. ex ipsis juris divini & naturalis visceribus erui. 2. de rebus nec divino, nec naturali jure expreßè prohibitis ferri. *Dn. Gerhard. in cent. quæst. Polit. decad. 5. q. 8.* Et tunc distinguit: si transgressio fiat ex contemptu, pervicacia &c. itemque si legis materia gravior, procul dubio obligationem nasci in foro conscientiæ: aliàs non item.

Dissentientium argumenta refutantur *à Gæddæo ad d. l. 6. n. 10. 11. & seqq. & Hunnio d. q. 2.* ad quos me remitto.

CAPUT

CAPUT V.

AN MUTANDÆ LEGES Majorum.

Correctionem † mutationemque legum esse *periculosam*, adeoque *evitandam*, communi sapientum calculo est receptum. 1

Ratio autem, quare tantopere sit fugienda legum correctio, prima est: quia mutationem † juris sequitur mutatio morum: mutationem morum comitatur novitas quædam subita: hæc autem solet movere & conquassare Rempub. Quare *Aristot. lib.* 2. *Polit.* dicit: Receptas leges non esse mutandas, etiamsi quid incommodi habeant: quia enim plerunque cum malis bonæ extirpantur, & ex mutatione sæpiùs majus malum nascitur, inde Augustus voluit etiam quædam, licet deteriora, conservari, teste *Dione lib.* 82. Et *Thucydides lib.* 6. illos tutissimè agere asseverat, qui præsentibus moribus legibusque etiamsi deteriores sint, minimum variantes, Rempublic. administrant. Hoc ipsum est, quod tradunt alii: Malas leges retineri ad vitandum majus malum. 2 Rationes pro sententia negante.

2. Maxima est vis † vetustatis, & gravissimum Imperium consuetudinis. Nam neque ab iis facilè desuescunt homines, quæ diuturno usu quasi in succum & sanguinem suum converterunt: nec sine maxima difficultate assuescunt iis, quæ hactenus usui communi incognita introducuntur. Unde *Johan. Bodin. lib.* 4. *de Repub. c.* 3. ipsa, inquit, vetustatis species tam cara cuique est, ut lex antiqua sine magistratibus seipsam facilè tueri possit: legum verò novitas vix ullâ præmiorum spe aut metu pœnarum, aut magistratuum officiis consistere potest. 3

3. Ex procellis istis mutationum auctoritas † magistratus penitùs annihilatur, per leges earumque observantiam accuratam, inprimis verò, si in earum præfractores graviter & severè animadvertatur, subditi auctoritatem magistratus cognoscunt, 4

eamque extimescere incipiunt: At quando leges à magistratu latæ abolentur, paulatim ejusdem existimatio evanescere iterum incipit. *Aristot. lib. 2. Polit.*

5 4. Omnis auctoritas reliquarum † legum tollitur. Cogitat vulgus statim superiori legi, perinde ut huic, magistratus gravissimas adjunxerat minas, & tamen ipse eam sustulit, quidni ergo & nobis eandem non adeò strictè observare integrum esset. *Idem ibid.*

6 5. Reipublicæ † interest, ne crebras legum mutationibus jus incertum reddatur, & cum novo Rege subinde nova sit lex.

7 Sexta ratio peti potest ex *Pausonia dicente*: Legibus † auctoritatem in homines convenire, non hominibus in leges. *Ferrar. in judic. praexercitamen. lib. 3. c. 8.*

8 Præterea, semper curæ fuit † legumlatoribus, cavere, ne sine gravi consilio leges longo usu comprobatæ mutarentur. cujus rei exemplum recitat *Demosthenes in Orat. contra Timocratem*:
,, Narrabo vobis judices, inquit, legem Locrensem: Non
,, enim deteriores eritis audito hoc exemplo, præcipuè quo ci-
,, vitas utitur, quæ legibus rectè constituta est. Illi enim adeò
,, custodiendas esse veteres leges sentiunt, & patria instituta
,, tuenda, nec novas leges pro cupiditatibus paucorum, aut
,, ad eludenda judicia ferendas esse; ut si quis novam legem
,, rogaturum se esse ostenderit, cogatur eam proponere, collo
,, in laqueum inserto. Quòd si legem propositam populus
,, approbat suasor discedit illæsus. Sed si lex repudiatur, sua-
,, sor strangulatus laqueo interficitur. Hujus periculi ma-
,, gnitudine deterrentur cives, ne novas leges ferant, quare
,, & veteribus majore reverentiâ & studio obtemperant. Ac
,, multis seculis una tantùm nova lex apud eos lata esse dici-
,, tur. Cum enim legem civitas haberet de talione, ut si quis
,, alteri oculum effoderit, vicissim sibi oculum erui patiatur,
,, nec mulctetur pecuniâ; Quispiam unicum oculum haben-

ti mi-

Digitized by Google

ti minitatus est, se oculum ei effossurum esse. Motus hac comminatione is, qui unicum habebat oculum, ac reputans, quàm misera in cœcitate vita futura esset, venire in concionem ausus ad dissuadendum novam legem, ut si quis oculum effoderit alicui habenti unicum, vicissim sibi utrumque oculum erui patiatur, ut æqualitatem calamitatis pœna efficiat. Hanc ajunt Locri unicam legem inde usque à ducentis annis latam esse.

Quin & Lycurgus,† ut æternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat Spartiatas, de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur, & simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit: abjicique in mari ossa sua moriens jussit, ne relatis Lacedæmona, solutos se Spartiani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur, ut refert *Justin. lib.* 3. 9

Solon † item promulgatis legibus, Athenienses jurejurando adegit, ut eas centum annos stabiles esse paterentur. *Plutarch. in Solone.* 10

Denique apud Æginetas † cautum erat, ut qui novæ condendæ legis occasionem daret, invisus & execrabilis fieret omnibus. *Alexand. ab Alexandro lib. 6. genial. dier. cap.* 14. *fol.* 354. *in fin.* 11

Verùm hæc & similia alia temerariam † nullâque probabili necessitate susceptam correctionem mutationemque legum prohibent. 12 Quid enim impediet, necessitate ita † exigente, & evidente mutationis utilitate elucente, veteres leges, minus præsertim æquas mutari? Tunc enim locum habeat omnium publicarum prima ac præcipua lex: *Salus populi suprema lex esto.* Unde rectè *Bod. l.* 4 *de Rep. c.* 3 *n.* 427. Nulla tam sancta lex est, quam non oporteat urgente necessitate mutari. consentit huic rei auctoritas Ulpiani *in l.* 2. *ff. de const princ.* in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum 13

Pro affirmante cum limitationibus.

 est.

est. Utilitas autem evidens sic intelligenda: ut si lex, aut consuetudo, nisi corrigetur, paulatim esset corruptura jus naturæ, quod immutabiliter retinere oportet. *Oldendorp. in præfat. class. de ord. jur. reg.* 9. Quod si verò nulla utilitas manifesta, vel causa legis abrogandæ probabilis est, contra officium boni Principis faciet, si legem abrogare velit. *Bodin. lib.* 1. *de Repub. c.* 8. *num.* 87. videmus sanè multa per Imperatorem Justinianum in Codice & Novellis constitutionibus, propter varias negotiorum ac rerum circumstantias mutata esse, sicut ipse Justinianus *de emend. Codicis sui, & secunda ejus edit.* §. 2. fatetur, quòd quædam ex emersis posteà factis aliquam meliore consilio permutationem, vel emendationem desiderarint. & §. 4. Hoc nemini dubium est, ait, quod si quid inposterum melius inveniatur, & ad constitutionem necessariò sit redigendum, hoc à nobis & constituatur, & in aliam congregationem referatur, quę Novellarum nomine constitutionum significetur.

Rursus in Recessibus Imperialibus, constitutiones juris civilis sæpè antiquantur, mutantur & corriguntur, ab Imperatoribus subsequentibus. Lex siquidem ad humanæ naturæ varietatem, & quod semper venit, moderata est. Quid enim stabile inter homines, & ita immobile, ut nullum patiatur mutationem; cùm omnis noster status sub perpetuo motu consistat? *Novell.* 7. *c.* 2. *à princ. & lib.* 2. *feud. tit.* 24. *quæ fuit prim. caus. benefic. amit.* quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut aliæ emergant causæ &c. Quid igitur prohibebit, justas leges hominum arbitrio atque voluntate constitutas, pro ratione & varietate temporum, personarum, rerum indigentia, locorum, & aliarum circumstantiarum, gravi judicio & consilio antegresso justè mutari, vel saltem corrigi? Sic etiam *Thomas lib.*
14 2. *quæst.* 97. *art.* 1. docet, legem etiam justam duplici † de causa mutari posse. 1. ex parte rationis, quoniam humanæ rationi naturale esse videtur, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat, quod manifestum est in scientiis speculativis, cujus primi inventores quædam imperfectiora tradiderunt, quæ tamen successores eorundem postmodum magis magisque perfecerunt.

Ad

Ad eundem modum etiam in disciplinis practicis, primò leges quædam rudiores inventæ sunt, quæ tamen postmodum hominibus magis magisque excultis, in leges meliores permutatæ sunt. Sic olim apud Græcos lex erat, ut mariti uxores certâ pecuniæ summâ sibi emerent; apud Cumas lex erat de cœde, ut si accusator multos induceret testes ex propriis agnatis, reus proclamaretur is, qui accusatur. Postmodum verò leges hæ mutatæ fuerunt. 2. ex parte hominum, quorum actus lex mensurat: Homines siquidem, si conditione varient, & mutentur, leges quoque rectè mutabuntur, quia secundùm diversas hominum conditiones diversa iisdem expetunt: sic si populus esset moderatus, communisque utilitatis studiosissimus, rectè per legem sanciri posset, ut penes populum esset jus creandi & eligendi magistratum. Quod si idem populus paulatim depravatus, suffragium suum venale haberet: & in magistratum homines flagitiosissimos eligeret, rectè jus creandi & eligendi magistratum adimeretur, & ad paucorum bonorum arbitrium redigeretur. *Hactenus ille.*

Sed quid multis? ipse † Deus ex his, quæ in Vet. Testamento 15
statuerat, nonnulla mutavit, & remisit in Novo.

Et Solon Atheniensium † legislator designatus, primùm 16
omnium Draconis leges, præter illas, quæ de cœde erant, propter asperitatem magnitudinemque pœnarum abrogandas curavit. Una enim ferè omnibus mors pœna definita erat: ut etiam qui otii damnati essent, capite mulctarentur: & eis, qui olera aut fructus surripuissent, idem supplicium, quod speculatoribus aut homicidis, constitutum esset. ob quam causam Demades dicere solebat: illas non atramento, sed sanguine fuisse scriptas. *Plutarch. in vit. Solonis.*

Refert *Polydor. Vergil. lib. 11. Histor. Anglic. in vit Henric. I.* 17
Reges † Anglicos initio principatus sui, vel novas leges ex usu Reipub. tulisse, vel veteres emendasse, vel etiam in totum abrogasse, quas populus inprimis iniquas, & se prægravantes existimarit, nonnunquam antiquatas, etiam in pristinum usum revocasse.

Negari sanè non potest, quòd longè felicior † sit ea Respub. 18
ut

ut docet *Machiavel. lib.* 1. *discurs. c.* 2. cui statim ab initio prudentissimus vir aliquis contingit, à quo ita legibus instituatur, ut non sit opus, eam deinceps aliis novis legibus emendare, ut Spartani suam Rempubl. statim in principio legibus & institutis Lycurgeis sufficienter munitam habuerunt, & suprà octingentos annos pacificè, & absque ullo insigni aut periculoso motu vixerunt,

19 *Plut. in Lycurg. Xenoph. de Repub. Laced.* Infelicior † contrà ea censenda, cui non statim contingit tam sapiens quispiam moderator, à quo benè instituatur: sed necesse habet subinde novas leges & instituta excogitare, ut melius institui queat.

20 Leges cautè abrogandæ. Cæterùm, leges nunquam *sine summa* † *cautione & circumspectione* mutandæ, nec earum abrogatio erit præceps. Nam quæ à natura fiunt mutationes, sensim perficiuntur: & omne subitaneum ac temerarium naturæ est inimicum, nec diu subsistere potest. *Aristot.* 5. *Polit.* Ac nihil magnum, inquit *Arrian. Epict. lib.* 1. *c.*15. fit subitò, cum ne uva quidem, aut ficus. Et hoc est quod docet alii, leges mutandas esse *leniter & lentè.* Quas duas considerationes circa legum mutationem observandas esse, præclaris sententiis probat *Lips. lib.* 4. *c.* 9. Sanè, sicut Medici jubent, ne in corpore cacochymo humores nimium moveantur, atq; adeò istâ commotione irritentur & exasperentur: ita, in recenti præsertim imperio, sollicitè cavere debet Princeps, ne moveat humores istos consuetudinum receptarum, atque ita irritet ac exasperet subditorum, à quibus recens receptus est, animos. *Bartbol Keckerman. lib.* 1. *syst. Polit. c.* 6. Quin præstat, ex judicio *Bodini d. l. num.* 427.

21 Vel non utendo antiquandæ. legis conditionem † utcunque iniquam ferre, ac paulatim non utendo antiquare, quàm momento abrogare. Ita Romani plerasque leges XII. Tabularum sensim exolescere, quàm abrogatione tolli maluerunt: ne id cæteris legibus XII. demeret auctoritatem. Cùm verò diuturnâ oblivione sepultæ fuissent, id est, anno post septingentesimo, quàm latæ fuerant, placuit Abutiâ rogatione leges duodecim inusitatas, quæ suâ vetustate jam pridem extabuerant, abrogari, ne cuiquam inposterum fraudi esset, si in eas committeret. Ad hoc judicium suum aggregat *Erasm. Roterodam.* dicens: Leges inutiles, quæ sine magno malo non queant

abro-

abrogari, paulatim sunt antiquandæ, aut certè corrigendæ. Ratio est evidens, quæ enim sensim fiunt à paucis deprehenduntur, nec nisi conversione secutâ sentiuntur: quâ ratione nemine animadvertente legum XII. tabb. rigorem evanuisse dictum est. Et cui est ignotus Agis? † qui cùm repentè Lycurgi leges revocare vellet, 22
non tantùm intentione sua, sed & vita excidit. *Plutarch. in ejus vita.*

Monent prætereà sapientissimi viri, in mutationibus pristinæ rei † umbram semper esse retinendam, de quo vide *Clapmar.* 23
lib. 6. de arcan. Imper c. 5. Machiavel. lib. 1. discurs. theorem. 25. aliàs Umbra rei
nulla Respublica tam subitò mutari potest, quin aliquid præce- pristinæ
dentis formæ retineat, ut docuit *Arist. l. 4. Pol. c. 5. in fin.* retinenda.

Leges tamen fundamentales † Imperiorum, Regnorum, 24
Principatuum & Rerumpublicarum (quales in Rom. Imperio sunt Leges fun-
Aurea Bulla Caroli IV. & Decreta seu Recessus Imperiales: For- damẽtales
mula pacis Religiosæ concessa, Translactio Passaviensis, *Sleid. l. 24.* mutationi
com. Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 3. ad lit. b. In Gallia Leges Salicæ: in Po- non obno-
lonia Statuta Regni) antiquare non est integrum. Istis enim mu- xiæ.
tatis, status & salus Reipub. mutaretur & everteretur. *Antimachiavel. lib. 1. theorem. 1. Bodin. lib. 4. de Repub. c. 3. num. 426. Hotoman. in Franco-Gallia c. 25. Fruckman. de Regal. § solut. potest. eff. 4.*

Mutatio verò & emendatio legum non privatâ, sed publicâ † auctoritate, Principis scilicet, fieri debet. Cujus enim potesta- 25
tis est legem sancire, ejusdem est abrogare, derogare, subrogare, Mutatio
interpretari &c. *§. sed & quod principi placuit. Inst. de jur. nat. gent.* legum à
& civil. l. 1. ff. de constit. prin. c. l. 1. & ult. C. de legib. cum sim. il. Olden- Principe
dorp. d. l. Donell. 1. com. 12. ubi Dn. Hillig. in not. instituẽda.

Hæc igitur sit nostra conclusio: Legum mutatio non levi- Conclusio.
ter † fieri debet, sed urgente necessitate: Non citò, sed justâ præ- 26
currente consultatione: Non catervatim, sed parcè:
Non à quovis, sed à primo Reipub.
magistratu.

CAPUT VI.

AN LEGES VESTIARIÆ; itemq; Sumptuariæ; in benè constituta Republica ferendæ?

1 Leges *Vestiarias* † vel maximè in Repub. sanciendas suadet *Georgius Lauterbeckius* im Regentenbuch / *part.* 3. *c.* 10. quo loco graviter luxum hodiernum & excessum in vestitu perstringit, talemque à magistratu minimè ferendum monet. Esse sanè magnum abusum, lippis & tonsoribus notum est, in quo mala insunt plurima, ut ad oculum demonstrat *Guilhelm. Perkins. in armill. aure. c.3. apud Dn Gerhard. decad.5. quæst. Polit. 5. & Camerar. cent. 2. hor. succisiv. c.39. & cent.3. c.76.*

2 Nam 1. est profusio † donorum Dei, & opum, quæ in alios bonos usus conferri possent.

3 2. Indicium, & quasi vexillum superbiæ, † quâ quis se aliis vult præferri. Quò facit insignis locus *Ludovici Vivis in productione ad sapientiam*: Suborta in vestitu contentio multa docuit supervacanea, dum nempe homines ex eo, quod infirmitatem arguit, honorem captant. Unde *Divi Bernhardi* dictum est: Qui gloriatur de veste, similis est furi, qui gloriatur de cauterio: quia vestis est signum & pœna reatus.

4 3. Est signum lasciviæ † & luxuriæ, quæ civitati exitium adferunt. Conviviorum luxuria & vestium ægræ civitatis indicia sunt, inquit *Seneca Epist.* 114. imò moriturae. *Lips. lib.* 4. *Polit. c.* 11. *num.* 88. Nam hæc juventutem, ubi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt; dum eadem illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quam ob causam censores rei vestiariæ à Principe, vult constitui.

5 4. Levitatis, † quæ quotidiè aliquid novi invenire studet, aut saltem imitatur. vulgare est illud *Accij* Poëtæ veteris:

Dissecta vestis dissectus animus.

5. Si-

5. Signum otii † & ignaviæ. Qui enim in cultum corporis multum operæ impendunt, ii plerunque aliarum rerum negligentes, & laboris impatientes sunt. Sic *Cato Censorius*: cui magna corporis cultus cura, ei magna virtutis incuria. 6

6. Contemptum † infert vestitus & ornamenti patrii, à quo non temerè recedendum esse, monet *Petr. Martyr. class. 2. loc. com. c. 2. sect. 68. & Jun. part. 2. quæst. Polit. 52.* Sanè per habitum & vestitum provinciæ à provinciis, & Regnicolæ à peregrinis sunt distinguendi. *Sophon. cap. 1. v. 8.* De Germanis nostris conquerens *Aretius part. 2. problem. Theol.* unius coloris, inquit, vestem parant reliquæ ferè gentes omnes: Hispani & Itali nigro colore, Galli cœruleo, nigro, flavo, interdum albo, aliòve colore: soli Germani miscent colores. Rectè itaque Thalmudistæ in suis vanissimis phantasiis nonnunquam vera admiscentes, Israëlitas in illa diuturna & tristi servitute Ægyptiaca tria tradunt constanter retinuisse: Linguam Hebraicam, puritatem Religionis, suæ gentis vestitum. *Camerar. cent. 3. c. 78.* ubi addit: prudenter ergo considerateque Helvetii, ut linguæ antiquæ: ita morum atque habitus retinentissimi, nuper sanciverunt, ut, qui avitum habitum vestimentorum mutaverint, peregrinumque assumserit, aut deponeret, aut à publicis honoribus, muneribus & magistratibus excluderetur, & exsors viveret. *Sic ille.* 7

Quare ex usu Reipub. est, ne peregrinus feratur, aut aliunde ascitus habitus: sed ut proprius cuique genti & peculiaris, quantum fieri potest, retineatur: præsertim cùm vestes peregrinæ, peregrinos etiam mores induant, Reipub. exitio futuros: & illud inprimis præstent, ut novæ semper sumptuum occasiones habeantur. *Dn. Matth. Bernegger. dodecad. 4. q. 5. Pol. in Tacit.* In scenam adduco Alexandrum Magnum. Hic, cùm superatis Persis, & abjectâ Macedonicâ modestiâ, vestem patriam Persicis ornamentis mutasset, unà cum his superbiam, & animi insolentiam ac mollitiem induit. Quâ re Macedonum animos à se avertit, quibus non Macedonum arma de Persis, sed Persarum deliciæ de Alexandro triumphare videbantur. *Curt. l. 3. & 5. de reb. gest. Alex. Bapt. Fulgos. lib. 3. de dict. & fact. memorab. c. 6.*

D 2 7. Ad-

7. Adde, quòd in mutatione receptorum habituum, &
8 aſſumptione peregrinorum, aliquid † fatale vel monſtri lateat. *Camerar. d. c. 76.* cujus rei exemplum ſuggerit nobis *Curt. prædict. loc.* de Dario; qui cùm in principio imperii ſui acinacem Perſicum juſſiſſet mutari in eam formam, quâ Græci utebantur, protinùs tunc Chaldæi interpretati ſunt, Imperium Perſicum ad eos tranſiturum, quorum formam armorum aſſumſiſſent. Pariter cùm Andronico juniore imperante Conſtantinopoli, in aula tanta fuiſſet veſtitus mutatio, ut non Græcorum amplius, ſed Latinorum, Myſiorum, Trybillorum, Syrorum, Phœnicum colluvies eſſe videretur: mox prudentiores non obſcurum omen vel mutandi, vel affligendi Imperii inde acceperunt.

9 Denique confuſio † eſt ordinum, officiorum & conditionum, quas in vita Deus conſtituit, dum plebeii nobilium cultum imitantur: neque hi ab illis: vel publicæ perſonæ à privatis diſtinctione veſtimentorum cognoſci poſſunt: adeò ut in multos cadat, quod eſt in proverbio, *Servus cùm ſis, coram geris?* Inde natum adagium, quòd apud Lacedæmones ingenui tantùm comam alerent. *Eraſm. Roterodam. Chil. 2. cent. 9. adag. 21.* Alia ſanè veſtimenta Secularibus, alia Eccleſiaſticis, alia militibus, alia plebeiis, alia illuſtribus, alia nobilibus conveniunt. Inde curandum, ut ea ſint diſtincta, quò ſexus, qualitas ſtatus & conditionis perſonarum agnoſcatur. *Althuſ. in Polit. c. 27.*

10 Talis lex † veſtiaria Romæ ad nimium luxum prohibendum, à Tiberio Cæſare fuit lata, quâ alia veſtis erat Senatoris, alia equitis, alia coloni, alia ingenui, alia ſervi. *Dio l. 7. hiſt. Rom.*

Hanc rem veſtiariam poſteà renovare voluit Alexan-
11 der † Severus, & omnibus dignitatibus ac conditionibus genus proprium veſtitus dare, ex quo à ſe invicem dignoſcerentur. Quod tamen Ulpianus & Pauli JCti ei diſſuaſerunt: plurimarum rixarum fore ſeminarium, ſi abjecti homines per veſtitum proditi injuriis exponerentur. Manſit igitur res veſtiaria in excuſſa. *Lamprid. in vit. Severi.*

12 Spartæ † quoque Ephori quotidie obire inſpectiones veſtimentorum ſunt ſoliti, ne quid induceretur à decenti habitu

bitu alienum. *Plutarch. in vit. Lycurg. & Ælian. lib. 14. variar. histor.*

Amplius: Gratianus, Valentinianus & Theodosius † Impp. 13
in l. 1. C. quæ res ven. non poss. sanciunt, quòd capitale sit, vendere lanam, aut pannum purpurâ infectum: quia solus Imperator eo amictu uti velit. Octavianus verò Cæsar publico edicto prohibuit, ne quisquam, nisi qui magistratus officio defungeretur, purpuram gestaret. *Sueton. in ejus vit.*

Rectè itaque & ex usu † Reipub. fiet, si magistratus ad ex- 14
emplum veterum Rerumpub. ejusmodi leges ferat, & subditos hac in parte compescat, ut modum observent, & intra certos se cancellos contineant. Quale laudabile institutum est Reipub. Venetæ, Augustanæ, Noribergensis, Ratisbonensis, Francofurtensis ad Mœnum, & aliarum in Germania, ubi certa vestimentorum genera, ac pretia eorundem constituuntur, & singulis pro ratione muneris, status & dignitatis assignantur & permittuntur. In quam rem etiam est *Imperij Ordinatio Politica Augustan. de Anno* 1530. & 1548. *Francofurt. de An.* 1577. *tit.* **Von unordentlicher und köstlicher Kleidung,** *& seqq.*

Hæc de legibus vestiariis.

Sumptuariæ † non minùs necessariæ. Nam magnificus 15
ille apparatus conviviorum parit egestatem, ac æs alienum. Econtrà verò virtus frugalitas & temperantia multis malis & vitiis Rempublic. liberat. *Keckermann. lib. 1. system. Politic. cap. 10. fol.* 204.

Sanè si ea annuatim † computentur, quæ in commessatio- 16
nes passim prodiguntur ingentem pecuniæ summam videremus, quæ penes Remp. maneret, si immoderatus iste conviviorum luxus inhiberetur. *idem ibid.* Nam proh, dolor hodiè superare nitimur luxu conviviorum Heliogabalum: Apicium cœnis: Lautè cibum capimus. Liberalem dicimus, qui conviviis exhibendis nimius esse solet: magnificum, qui ultra sortem suam sese ostentat: civilem, qui strenuus est salutipotator. *Schönborn. lib. 3. Polit. cap.* 17. Ubi etiam infelicis luxuriæ istius tormenta memorat ex *Senec, Epist.* 119. Quærit quemadmodum post saturitatem

 quo-

quoque eſuriat, quemadmodum non impleat ventrem, ſed faciat, quemadmodum ſitim primâ potione ſedatam revocet.

17 Luxus † igitur in conviviis ſevere à principe coercendus eſt, & ſtatuendæ ſunt leges ſumptuariæ. *Keckerman. & Lipſ. dd. ll. Dn. Matth. Bernegger. dodecad. 4. in Tacit. q. 19.* exemplo Romanorum, apud quos ſaluberrimum fuit inſtitutum legum ſumptuariarum, quæ etiam ad convivia pertinebat, adeoque ſtrictè fuêre obſervatæ, ut Fabricius & Æmilius cenſores, ipſum Cornelium Ruffum, qui bis Conſul & Dictator fuerat, Senatu moverint, quòd argenti facti cœnæ gratiâ decem pondo haberet. *Gell. lib. 16. c. 1. Valer. Max. lib. 2. c. 9.*

18 Claud. Tiber. Nero † etiam lege conditâ de moderando in victu ſumptu edixit: Ne caupones in urbe Roma aliud, quàm legumen atq; herbas venderent, pœnâ pro delicatioribus cibis impoſitâ. Paulò poſt tamen exquiſitiſſimorum ciborum hanc ſumptuariam legem ipſe violavit, atq; in cauponas atque apothecas, quas Tybridis ripa conſtruxerat, excolendorum ciborum gratiâ ſe contulit. *Baptiſt. Fulgoſ. lib. 8. de dict. & fact. memorabil. cap. 6.*

19 *Cuſpin. in vit. Neron.* Neronem in hoc imitatus eſt L. Sylla † Dictator. Nam cùm apud Romanos per legem modum funeribus atque conviviis præfiniſſet, in Metellæ conjugis funere, atque in epulo, quòd ſæpiùs populo exhibuit, nimiâ profuſione pompâque, legem à ſe factam transgreſſus eſt. *Fulgoſ. d. l.* Et quamvis hodiè aliqui Principes & Reſpublicæ eaſdem leges figant & retineant, ſæpè tamen executio illarum nulla eſt, ut dici & uſurpari poſſit illud *Horatij:*

Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt?

Diximus autem luxum in conviis refrenandum. Nam mo-
20 derata † convivia & conventus ſtatis temporibus ad fovendam, conciliandam & conſervandam concordiam, charitatem & amicitiam Princeps concedere debet. *arg. Num. c. 9. Levit. c. 23. Bodin. lib. 3. de Repub. c. 7. Althuſ. in Polit. c. 22. fol. 367. edit. prior.* Et *Johan. Caſ. lib. 2. Sphær. Civit. cap. 8.* monet, magiſtratum convi-

via

via subditis publica concedere debere propter tres causas: 1. Propter recreationem cibi. 2. Propter sustentationem pauperum: quia pauperes ex conviviis publicis suas quoque eleemosynas possunt accipere ex reliquiis conviviorum, aut alioquin ex liberalitate convivantium. 3. Propter reconciliationem litigantium. Nam sæpè in hilari convivio gravissimæ lites & controversiæ componuntur, quas ipse magistratus & severa tribunalia componere nequiverunt.

CAPUT VII.

AN LEGES MOSAICÆ FOrenses seu Politicæ in Christianorum politiis necessariò observandæ?

COmmunis ferè est sententia Theologorum, Jurisconsultorum, & totius antiquitatis, *leges Mosaicas judiciales* † *seu politicas*, ad Christianos; & cives Novi Testamenti non pertinere; à 1 qua tamen nonnulli divortium faciunt, asserentes universo orbi terrarum, omnibusque ac singulis Monarchiis istas esse latas.

Pro sententiæ suæ confirmatione hæc ponunt fundamenta,

1. Quòd idem † sit auctor legis ceremonialis, judicialis 2 & moralis. Aut igitur tota cum singulis suis partibus eodem modo est abolenda, aut tota retinenda. Nec enim nobis erit integrum, leges quasdam supremi legislatoris retinere, quasdam omittere. Arg. opinionis affirmantis.

2. Quòd Deus † sit immutabilis. Ergo & leges à se 3 latæ.

3. Quòd

4 3. Quòd leges Mosaicæ justæ † fuerint, ac æquitati & rationi naturali consentaneæ.

5 4. Quòd indignum † sit homine Christiano, Ethnicorum leges præferre divinis, & putare Scævolam, Papinianum, Ulpianum & alios Legumlatores sapientiùs leges suas condidisse, quàm ipsum Deum.

6 5. Quòd Deus in circumcisione dicat: statuam † pactum meum inter me & te, *fœdere sempiterno. Gen.17.v.7.*

7 6. Quòd Moyses de ceremoniis & judiciis expreßè dicat ad Israëlitas: Non addetis † ad verbum, quod vobis loquar, nec auferetis ex eo. *Deut.4.v.2.*

8 7. Quòd Christus † non venerit solvere legem, sed implere, *Matth.5.v.17.*

Quamvis verò hæc argumenta primâ fronte appareant speciosa, attamen si penitiùs inspiciantur, & ad veritatis libram pensiculentur, suo valore & pondere receptam Dd. opinionem non excedent, ut inferiùs patebit.

9 Asserimus itaque, quòd lex Mosaica Politica † seu Forensis non cuique ex æquo conveniat Reipub. sed ei tantùm, cui specialiter lata fuit: & sit tantùm exemplar condendarum legum honestarum in quacunque Republica: non verò impediat vel prohibeat aliquid pro re nata in melius, vel in aliam atque aliam formam mutare. Quod hisce argumentis evictum dabimus.

10 Rationes negantis. 1. Moyses fuit legislator populi † Israelitici tantùm, in cujus politia, quandiu hæc durabat, leges illæ observandæ erant. Nec enim potuit alios suæ jurisdictioni non subjectos, ad eorum observantiam astringere. Unde rectè *Cald. consil.* 10. legem Mosaicam vocat jus speciale Judæorum. Et *Gerson. in tract. de contract. part.* 1. *considerat.* 10. scribere non dubitat, fore hunc hæreticum, qui credat, judicialia Moysis præcepta nos obligare.

11 2. Imò Deus noluit † has leges aliis ferri, nisi Judæis, dum *Exod.* 21. *& seqq. Deut.* 5. *v.* 31. ad Moysen præfatur: Hæc

sunt

ſunt judicia, quæ propones eis. (Iſraelitis) Et plerunque addit: Hęc obſervabitis in generationibus veſtris.

3. Leges forenſes & ceremoniales fuerunt nervi politiæ † Judaicæ. Deſtructâ itaque politiâ & templo, leges illæ ſimul 12
abrogatæ cenſebuntur. *Phil. Melancht. in exam. Theolog. in loc. de Lege. Marti. Chemnitius part. 2. Loc. Theol. c. 5.*

4. Si leges iſtæ Moſaicæ nos neceſſariò obligarent in Novo Teſtamento ſine prævaricatione Apoſtolus † uſus non fuiſ- 13
ſet jure & civitate Romana. *Act. 16. v. 37.* non potuiſſet ſalvâ pietate dicere: propter conſcientiam poteſtatibus ſublimioribus, & per conſequens earum ordinationibus ac legibus, ſubditi ſitis. *Rom. 13. v. 1.* Quid? quòd ipſe Chriſtus jure † Romano utatur, 14
quando didrachma pro ſe & Petro Romanis Capernai ſolvit. *Matth. 17. v. ult.*

5. Expreßè dicit Scriptura: Lex † & Prophetæ uſque ad 15
Chriſtum. *Luc. 16. v. 16.* Hinc Chriſtus legem forenſem Moſaicam de † divortio & libello repudii ſuſtulit. *Matth. 5. v. 31. 32. & cap.* 16
19. v. 7 8. 9.

Moralem † legem & neceſſitatem obſervationis nos obli- 17
gare, omni caret ſcrupulo. Eſt enim lex moralis non ad tempus data, ſicut reliquæ leges, ſed eſt æterna & immota ſapientia, & regula juſtitiæ in Deo. Deinde, notitiæ legis moralis in ipſa creatione inſitæ ſunt à Deo mentibus hominum, nec poſſunt, illis manentibus, aboleri. *Rom. 1. v. 19.* Politicam verò etiam ex morali promanantem, unà cum politia Moſaica abrogatam eſſe, conſtanter aſſerimus, quæ ſcilicet in novo Teſtamento nuſpiam parte aliquâ ſit repetita, qualis eſt illa de filio immorigero lapidibus obruendo *apud Matth. c. 15. v. 4.* de illis ſiquidem legibus, quæ in Novo Teſtamento alicubi expreßè repetuntur, ac de novo obſervandæ proponuntur, nullum eſt dubium, quin illa Chriſtianos etiamnum ligent, & ad ſui obſervantiam obſtringant. *Helfricus Ulricus Hunnius de auctorit. jur. civil. c. 1. q. 8. fol. 165.* Quinimò cùm Chriſtus quaſdam ſaltem leges repetierit, conſequens videtur, illas, quas non repetiit, à Chriſtianis in Novo Teſtamento obſervari noluiſſe. *idem ibid.* A partibus noſtris ſtat *Robertus Maranta part. 3.*

specul. aur. num. 47. & 48. inquiens: In lege Mosaica sunt quædam præcepta moralia: & quædam mystica, quæ loquuntur in figura. Quoad præcepta moralia, est in viridi observantia: quia dicitur lex naturalis, quoad illa, & est immutabilis: ut sunt decem illa præcepta, quæ mores concernunt. Quo verò ad præcepta mystica, quæ sunt sacramentalia, vel ceremonialia, dicta lex Mosaica est mutabilis: & ut plurimum non servatur ex adventu Christi. Nam lex Mosaica loquebatur in figura: deinde per adventum Christi successit ipsa lux & veritas in mundo; quæ omnia velamina Veteris Testamenti aperuit & illustravit, ut pulchrè dicit *Bald. in c. translato. in fin. de constit.* Et sic per legem Evangelicam & Apostolicam fuit sublata lex Mosaica in præceptis mysticis: *Hæc ille.*

18 Cùm itaque quælibet † politia suas proprias habeat leges, liberum est Christianis sequi quasdam leges Mosaicas forenses, & ad Rempublicam suam transferro, ut & aliarum politiarum honestas leges. Genus enim in illis naturale & morale, determinatio verò ad forenses, leges pertinet. *Chemnit. d. c.* 5. Do exemplum. Lex moralis, naturalis, seu æquitas postulat, facinorosos esse puniendos: at pœnam certam non determinat. Lex verò forensis in specie eandem definit, & fures quadruplum reddere jubet. Illa est immutabilis, hæc mutabilis. Et sic in legibus Mosaicis duo spectanda: Æquitas, quæ legis naturæ est, ac proinde perpetua: hæc enim semper & ubique postulat, ut maleficia puniantur: deinde modus seu circumstantiæ, quæ variant pro gentis, loci & temporum qualitate. Consentientem hic habemus *Jacobum Herbrandum in compend. Theol. in loc. de lege* ita scribentem: Si magistratus leges quasdam forenses in usum revocare vellet, planè ei hoc liberum esset, cujusmodi sunt sanctissimæ, honestissimæ, & utilissimæ, *Exod.* 22. *Deut.* 22. qualis est illa, de vitio virgini oblato, quam stuprator dotare, & ducere cogebatur: nec per omnem vitam dimittere illam ampliùs poterat, cùm tamen aliàs liceret repudiare uxorem. Hanc in usum revocare, honestum & valde utile esset: nec ita leviter, ac ridiculè atrocissimum scelus, ac flagitium usitatissimum puniendum. Unde levitas & turpitudo invalescunt. Ita

&

& *Chemnit. cap.* 4. *in fin. de leg.* sublatâ opinione necessitatis, possunt usurpari quædam forenses Mosaicæ, quædam ad formam nostrarum politiarum accommodatæ sunt, ut de Decimis. Imò decet magistratum, quoties peculiaris aliqua circumstantia vel temporis, vel loci, vel personarum non obstiterit, in constituendis legibus suis ad Mosaicarum legum perfectissimum exemplar respicere: cùm earum auctor sit Deus, justissimus & æquissimus legislator, ut sentit & scribit *D. Ægidius Hunnius tom. 1. disput. Theolog. Marpurg.* 44. *de civili magistrat. thes.* 40. sed & ex Jureconsultis *Maranta d. l. num.* 13. tenet, legem Mosaicam etiam hodiè in decisionibus causarum posse allegari. Nec non *Wesenbecius in paratit. de rit. nupt. num.* 8. Quanquam, ait, leges Moysis forenses ad nostrás politias nihil attinent: tamen cùm divinitùs latæ sunt, in iis ostenditur, quod Deus approbet. Quatenus magistratus legem propriam Judæorum in usum revocare, & in administratione Reipub. sequi possit, multis etiam tractat *Franciscus Junius in libel. de Polit. Mos. observat.* & *Althus. in Polit. c.* 17 *per tot.* Quanquam sint quædam leges forenses Mosaicæ, quæ in usum revocari nec possint, nec debeant. Cujusmodi sunt, quæ de divisione terræ, de distinctione tribuum, de matrimoniis, de facultatibus Israelitarum anno Jubilæo ad pristinos possessores redeuntibus, de Rege ex sola gente Israelitica deligendo, de suscitando semine fratri defuncto, ex relicta fratris vidua, &c. sunt latæ. *Helfric. Ulric. Hunn. d. q.* 8.

Ponderemus nunc argumenta, quæ pro necessaria observantia legum Mosaicarum fuêre adducta.

Ad primum respondeo cum *Paulo Burgensi in scrutin. Scriptur.* Etsi † unus idemque sit dominus & legislator omnium illarum legum: ipse tamen in legum suarum promulgatione diversitatem servavit: Moralem primo loco, primóque tempore tradidit, & solenniori modo, tabulis lapideis insculpsit, ac in arca fœderis reponi curavit; quorum nihil in forensibus & ceremonialibus legibus animadvertitur. 19 Responsiones ad argumenta prioris sententiæ.

Secundum fuit, quòd Deus non mutetur ut homo. *Num.* 23. *v.* 19. Respondeo; verum hoc, quòd Deus sit immutabilis; attamen

20 men ipse † leges forenses & ceremoniales ita tulit, ut non perpetuò, sed ad certum tempus durarent, donec veniret semen, & deinde abrogarentur. *Hebr. 9. v. 10.* Ergo quia Deus voluit leges illas esse mutabiles, ut voluntati Dei sua constet immutabilitas, necesse fuit eas abrogari. *Chemnit. d. c. 5.*

In tertio fundamento æquitas legum Mosaicarum obtrudebatur. Ad quod respondeo: verum hoc, quòd leges illæ in the-
21 si † & hypothesi, respectu Israëlitarum æquæ fuerint. Inde autem non sequitur, has ipsas respectu nostræ Reipublicæ æquas esse: ex cujus consideratione dici possunt æquæ in thesi, at non in hypothesi: quia, ut diximus supra, non cuique ex æquo conveniunt Reipub. sed ei tantùm, cui specialiter sunt latæ. Nec enim quævis, quovis seu omni tempore, & omnibus in populis, locum habere possunt: sed pro temporum, populorum ac Rerumpub. diversitate ac varietate, diversæ leges fieri debent. *Helfric. Ulric. Hunn. d. q. 8.* Imò non rarò fit, ut leges, etiam sapientissimæ, in eadem Repub. latæ, sæpè pro ratione ac variatione temporum, morum, ac ingeniorum hominum mutentur.

Ad quartum argumentum dico *cum Ægidio Hunnio in d. di-*
22 *sput. 44. th. 48. & seqq.* aliarum † politiarum leges Mosaicis præferri non simpliciter, sed κατά τι, id est, pro temporis, loci & personarum conditione, ut modò dictum. Accommodatæ enim fuerunt leges forenses & ceremoniales. 1. ad formam & statum Reipub. Judaicæ. 2. ad circumstantias illius temporis, cùm expectabatur Messias in illa politia nascendus. 3. ad conditionem illius terræ, propter vicinas regiones. 4. ad mores illius populi.

Ad quintum respondeo, quòd sit ambiguitas in vocabulo
23 *sempiterni* † *seu æterni*, quod septem modis sumitur à Theologis & Philosophis, ut præter alios videre est *apud Benedictum Pererium lib. 12. Comment. in acroasin Arist. c. 8. & Chemnit. d. l.* Primò enim æternum significat id, quod initio & fine durationis caret, & habet esse omninò immutabile, ut Deus. (Et hæc æternitas à Theologis dicitur perpetuitas durationis absoluta, sine fine.) Secundò, significat id, quod est inseparabile ab aliqua re, sive ea res sit æterna, sive

sive non, ei necessariò ac semper conveniens. Tertiò, æternum in sacris literis dicitur non solùm id, quod semper duraturum est, sed etiam id, cui certus aliquis finis non constituitur: vel, cujus duratio limitatur per vitam hominis. Illo modo *D. Augustinus lib. quæst. in Genesin, c.* 31. exponit promissum Dei datum Abrahæ, *Gen.* 17. de terra Chanaan possidenda à semine ac posteris Abrahæ in æternum. Hoc verò *Deut.* 15. *v.* 17. dicitur: Erit tibi servus in perpetuum. 1. *Reg.* 1. *v.* 22. dicit Hanna de Samuele: Habitabitis ibi in seculum. Quartò, æternum dicitur aliquid non in se, sed ejus rei, quam significat, & præfigurat; atque hoc modo in sacra Scriptura legimus fœdus circumcisionis fore æternum, & legalia veteris fore sempiterna, non in se, quippe quæ (non secus atque nubes accessu Solis dissipantur) adventu novæ legis abroganda & abolenda erant, sed eâ ratione, ut erant umbræ, & figuræ rerum cœlestium æternarum. Quintò, æternum dicitur, quod licet initium habeat, fine tamen durationis caret, sic ait Scriptura, ignem inferni æternum esse. Sextò, æternum dicitur, quod licet non in perpetuum duret, ita ut sit incorruptibile, habet tamen valdè longam diuturnam durationem, nec ejus interitus à nobis percipi, & notari potest: quippe cùm non totum simul uno interitu pareat, sed per partes paulatim, ac beatissimè definat esse, quâ significatione divinæ literæ montes & colles appellant æternos, eademque & mare, & omnia elementa vocari possent æterna. (Et hanc perpetuitatem Theologi appellant periodicam vel limitatam.) Septimò, æternum dicitur aliquid propter singularem, eximiam & supernaturalem participationem æternitatis Dei: atque hæc ratione visio essentiæ divinæ, quæ una continet universam sanctorum gloriam & beatitudinem, in Scriptura dicitur vita æterna.

Ad sextum in hunc modum respondentem introduco *Martinum Chemnitium d. c.* 5 *fol.* 49. Deus constituit certum† terminum durationis, intra quem nihil debebat addi vel demi: promulgato autem novo fœdere, non debebat tantùm demi aliquid, sed omninò antiqua vetus. *Jerem.* 31. *v.* 31. & 32. *Daniel.* 9. *vers. ult.* 24

Ultimo loco dicebatur, Christum non venisse solvere legem, sed adimplere. Verùm cum universo Theologorum choro
25 hic respondeo, id esse subaudiendum de lege † morali, non verò de forensibus & ceremonialibus legibus, è quibus Christum nonnullas sustulisse, anteà probavimus.

CAPUT VIII.

DE MAGISTRATIBUS, *eorumq́; generibus, constitutionibus: itemq; censoribus.*

1 POst doctrinam legum proxima est illa de Magistratibus, qui earum executores sunt constituti. Hinc *Magistratus* † *lex animata, vivens ac loquens* dicitur *in l 8. ff. de just. & jur. Novell.* 105. *c.* 2. *in fin.* lex verò mutus Magistratus, *Cicer.* 2. *de legib.* ideoque lex carens executione, est quasi campana sine pistillo. *Melchior Clingius in Instit.*

Priusquam autem ad definitionem ipsam Magistratus per-
2 veniamus, paucis vocis † derivationem, itemque significationes
3 trademus. In omni † enim disciplina potior quidem rerum, prior autem verborum ratio est habenda. Quod ipsum etiam innuit Ulpianus *l.* 1. *in princ. ff de just. & jur.* dicens: Juri operam daturus priùs nosse oportet, unde nomen juris descendat. *& l.* 1. *à pr. ff de reb. cred. si cert. pet.* E re est, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Nec non Galenus *lib.* 1. *de methodo c.* 1. principium, inquit, in omni disputatione & re est nomen. Sed & Aristot. 4. *Metaph. text.* 10. à significatione nominum incipere docet. Nisi enim homines convenirent in significatione nominum, non posset de rebus inter eos esse disputatio. Quare & idem 1. *Top. c.* 14. ait: Magnum adfert adjumentum ad perspicuitatem, si quot modis quid-

quidque dicatur, in promptu habemus. Nec enim quisquam res probè intelligit, nisi priùs verba cognoverit. Verba enim, ut docet *Plato in Cratylo*, sunt instrumenta, quibus res significantur.

Dicitur ergò Magistratus † à magistro. *l. 57. ff. de verb. sign.* 4 Notatio.
qui eum significat, cui præcipua alicujus rei cura incumbit *d. l. 57. l. 1. in pr. & §. 3. de exer. act.* & aliquando quamlibet in genere potestatem. *l. eum 13. de jurisd. omni judic. l. potestatis. 215. de V. S.* tam personam quàm honorem. *Festus lib. 11.* crebriùs eos, qui in civitatibus jus dicunt, denotat. *l. magistratib. 12. de jurisd. & tot. tit. C. de magistratib. municipal. & ibi Wesenb.*

Post nomen res statim quærenda est. Definitio.

Inter Jurisconsultos qui Magistratum rectè definiat, nos habere neminem, disertè affirmat *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 2. num.* 260. Quare ipse *c. 3. à pr.* Magistratum † definit officialem, qui publicum imperium habet. 5
Verùm illa ad artis amussim non est, & meritò impugnatur *ab Ottone Melandro in idea stud. Pol. fol. (mihi)* 58. ex hâc ratione, quià magistratus municipalis, est magistratus, & tamen imperium non habet. *l. 26 ff. ad municipal.* ubi ea, quæ magis imperii sunt, quàm jurisdictionis, magistratum municipalem facere non posse, respondet JCtus Paulus. Et propterea magistratus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei servandæ causâ jubere possidere, aut dotis servandæ causâ, vel legatorum servandorum causâ.

Jacobus † *Cujatius in parat. Digest. de orig. jur.* tres hasce ma- 6
gistratus definitiones tradit: Magistratus est persona publica, quæ jurisdictioni præest: vel, quæ tribunali jus dicit: vel, quia jurisdictionem ac judicium publicum habet.

Has ipsas tribus argumentis impugnat *Bodin. d. c. 2.* ad quæ tamen accuratè respondet † *Melander fol. 56. & seq. & fol. 59.* 7
Magistratum definit personam, quæ in cives suos potestatem habet.

Christophorus † *Besoldus class. 2. disput. Polit. 3. th. 2.* refe- 8
rens priorem definitionem Cujacii, eam veram dicit, si Jurisprudentiam; angustam, si politicen spectemus. Quare politicè ipse

Magi-

Magiſtratum definit, præfectum publicæ ſocietatis, cum poteſtate
9 conſultandi, judicandi, imperandi, &c. *Philippo* † *Melanchthoni in Exam. Theolog. in loc. de Magiſtrat. Polit.* Magiſtratus dicitur perſona publica, ad conſervationem legis & humanæ ſocietatis cum poteſtate à Deo armata & inſtituta. Quæ definitio deſumpta eſt ab origine & prima cauſa, itemque officio & fine magiſtratus.

10 Magiſtratum eſſe divinam † ordinationem, tùm ratione originis, tùm ratione auctoritatis & dignitatis, abundè teſtatur Scriptura ſacra. *Dan.* 2. *v.* 21. *cap.* 4. *v.* 14. *Sap.* 6. *v.* 4. *Rom.* 13. *v.* 1. 1. *Petr.* 2. *v.* 13. *cum ſeqq.* & *Proverb.* 8. *v.* 15. Per me, inquit divina ſapientia, Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Quod Imperatores, Reges & Principes agnoſcunt, dam Dei gratiâ, Von Gottes Gnaden/ ſe conſtitutos ſcribunt. *Weſenbec. ad princ. procem. Inſtit. num.* 3.

11 Et Imperatores Græci † ſeſe θεοσεβεῖς, pios, religioſos, & à Deo coronatos, itemque χριστοὺς κυρίου, unctos Domini profiteri ſolebant *Marquard. Freber. in not. ad Pet. de Andlo de Rom. Imper. lib.* 1. *cap.* 2.

12 Nec non *Heſiodus* † Regum divinitatem admiratus, eos à Jove procreatos eſſe ſcripſit.

Quæ opinio fuit etiam à multis uſurpata, ut eum gentilem Deorum exiſtimarent, qui virtutis hujus præſtantiâ clarus eſſet. *Boter. lib.* 1. *de Polit. illuſtr. c.* 12. *fol.* 69.

13 Hinc ſacræ † Majeſtatis Epitheton, & Imperator ſalutatur ſanctiſſimus. *l. Titia.* 87. §. *fin. ff. de legat.* 2. divinus. *l.* 12. *à pr. C. de acquir. poſſeſſ.* Non quòd hac ratione præpotenti ac immortali Deo, quod ipſius proprium eſt, eripiatur, ut infert *Bodin. lib.* 1. *de Repub. c. ult. num.* 173. & *lib.* 2. *c.* 6. *num.* 225. ſed potiùs quòd Imperator officii ſui debeat eſſe memor. Eſt enim divinæ majeſtatis imago. *Alberic in princ. ad l. decernimus. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Et ex *Menandro* aſſerit *Petr. Gregor. Tholozan. lib.* 7. *de Repub. cap.* 11. Regem Dei vivam eſſe, & referre imaginem; quia ſcilicet Dei perſonam

Digitized by Google

sonam repræsentat, ejusque vice fungitur. *in caus. 23. quæst. 5. c. 27.* itemque *c. 29.* magistratus vocatur minister Dei in terris, ejusque judicium censetur prodire de vultu Dei. Similiter & *à Baldo in princ. de pac. Constant.* magistratus dicuntur delegati & vicarii Dei, ordinarii hominum Rectores. Quin apud Psalmistam magistratus dicuntur Dii: Ego dixi, vos Dii estis, & filii altissimi. *Psal. 82. v. 6.* item: Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat. *Psal. 82. v. 1.*

Dicuntur autem magistratus Dii † metaphoricè, propter similitudinem, quam cum Deo respectu divini imperii sibi delegati obtinent. *Timpler. lib. 2. Polit. c. 1. q. 6.* 14

Hoc igitur modo † excusari possunt, qui Principibus viris cultus divinos & æternales, divinum splendorem &c. attribuerunt, quique rescripta Imperatorum divinas constitutiones, & divina oracula nominarunt, qui tamen *à Waremundo ab Erenberg. in proœm. lib. 1. medit. pro fœder. num. 32.* & ab aliis ibi relatis virgulâ censoriâ notantur, & impietatis accusantur. 15

Cùm ergò Dei gratiâ Reges regnent, & omnis potestas à Deo sit, ut jam luculenter probatum, falsò Pontifex † Imperiorum & Regnorum conferendi & transferendi sibi potestatem arrogat, juxta dictum: Quodcunque ligaveris. *Cap. Apostolic. de sent. & re judic. in 6. c. alius. 15. quæst. 6.* quod operosiore refutatione non indiget. 16

Denique errore † haud ferendo ducuntur Anabaptistæ, qui magistratum & statum Politicum, tanquam Christianismo indignum ac prorsus profanum evertunt, tollunt judicia civilia, & Christiano nefas esse docent, quenquam in jus vocare, aut legibus adversus alios experiri. Neque enim vel Christus vel Apostolus tribunalia tollit, dum ille malo resistere vetat *Matth. 5. v. 39.* hic verò Corinthiis litibus interdicit. *1. Corinth. 6. v. 7. & seq.* Sed vindictam duntaxat privatam, & effrenem litigandi libidinem cum aliorum offensione conjunctam damnant. Alioquin Apostolus Cæsaris tribunal appellando, in suam ipsius legem commisisset. *Act. 25. v. 10. D. Ægid. Hunn. volum. 1. disput. Theolog. Marpurg. 44. de civili magistratu, th. 42. 43. 44.* Et quid aliud judi- 17

 cium

cium,quam veluti statera æquitatis, vox legis, omnisque contentionis ac litis consummatio? Breviter: est de omnibus, quæ in jus vocantur,ipsius justitiæ expressa conclusio. *Casus lib. 4. Sphær. civit. c. 16. fol. 227.* Quod verò interdum homines † improbos magistratu fungi violemus,idque magno Reipublicæ malo,functioni per se fraudi esse nequit. Distinguendum enim est inter imperia ipsa, & ἀταξίαν imperiis adjunctam, quæ à prava hominum voluntate existit. *idem Hunn. dict. disp. th. 10. & 11.*

18

19 Cæterùm magistratum vulgò dispescunt † in superiorem & inferiorem.

Divisiones

20 *Superiorem* † dicunt,qui nemini subjectus est, sed qui ipse summum in alios imperium obtinet, summus Imperator scilicet, Rex vel summa Respublic. *Obrecht. disput. prior. de bell. thes. 115.*

21 Hîc tamen *Matthias Stephani lib. 2. de jurisd. part. 1. cap. 1. num. 2.* Imperatorem † propriè loquendo non vult dici magistratum, sed quovis magistratu majorem, causam, fontem,è quo omnes alii magistratus profluunt atque dependent: non dignitatem,sed dignitatum culmen, fundamentum & principium,quem retulimus sup. part. 1. c. 22. n. 4.

22 *Hermann. Kirchner. de Repub. disp. 8. th. 1.* Magistratum,qui à summa † potestate concessum imperium obtinet, pro cujusque Reipublicæ statu, gradibus suis ita distinguit, ut alius major, alius minor sit.

23 *Major,* † qui nulli,præterquam summæ potestati subest. *Intermedius & subordinatus*, vulgò dicitur. *Stephan. Junius de jur. Magistr. quæst. 6.*

24 *Minor*, † qui superioris magistratus imperio tenetur, aliisque sese inferioribus, vel magistratibus, vel privatis imperat.

25 Deinde, Magistratus aut † est togatus, aut armatus.

26 *Togatus*, † qui domi & in pace togatis civibus imperat.

27 *Armatus*, † qui fons & in bello armatis militibus.

28 Tertiò,Magistratus aut † est perpetuus, aut temporalis.

Perpe-

Perpetui † imperium nullis annorum spatiis terminatur. 29

Temporarij † verò annuo spatio, vel biennio & sic deinceps definitur. 30

Quartò, Magistratus alius † est ordinarius, alius extraordinarius. 31

Ordinarius † est, cujus jurisdictio lege aut voluntate Principis certa est definita. *Dn. Vult. lib. 1. Jurisp. Rom. c. 12.* Tales magistratus fuêrunt apud Romanos: Senatores, Consules, Prætores, Ædiles, Tribuni plebis, & Quæstores. *Dn. Dan. Otto in jur. public. cap. 3. fol. 51.* 32

Extraordinarius, † cujus jurisdictio certâ aliquâ lege definita non est, sed qui necessitate postulante creatus, eâdem cessante & ipse desinit. Cujusmodi in Republica Romana erant Interrex, Dictator, &c *Vult. d. l & Dan. Ott. d. c. 3. fol. 67.* 33

Alii † Magistratus extraordinarios, qui munus publicum extra ordinem, imperantis arbitrio gerunt, non magistratuum, sed curatorum titulo insigniunt. vide *Arnisæ. lib. 1. de doctrin. Polit. cap. 17.* 34

Modus † constituendi Magistratum aut Principatum, vel est ordinarius vel extraordinarius. 35 Constitutiones.

Ordinarius † fit electione aut successione: unde aliud *Regnum* est *electivum*, aliud *successivum* seu *hereditarium*. 36

Electio † est, cùm spreto natalium jure, suffragiis Princeps designatur. *Lips. lib. 2. Polit. c. 4.* Eaque legitima est, quando fit secundùm leges & instituta, moresque Reipublicæ: & ab iis, qui electionis jura habent. *Thol. 7. de Repub. 15.* 37

Electiò rursus vel † est libera, vel adstricta. 38

Libera † electio est personæ cujuslibet, sive illa sit ex numero civium, sive peregrinorum: sive principalis, patritii, aut plebei status: Cujusmodi Regna electiva pleraque apud veteres fuerunt, quando ab ovibus, rure, rastris, ligonibus, Reges adhuc vocarentur. 39

Adstricta † est ad certum personarum genus, ad indigenas sc. & cives, velut olim in Regno Israelitico. *Deut. 1. v. 15. & 17. v. 6.* 40

Digitized by Google

v. 6. & hodiè in Imperio noſtrate, in quo Imperator non niſi ex Germanico ſanguine eligitur, ut demonſtravimus ſupra lib. 1. c. 21. num. 34. & ſeqq.

41 *Succeſſio* † eſt, in quo is honor gentilis eſt, & Princeps ex Principe naſcitur. *Lipſ. d 1.* vel: cùm magiſtratus defuncto ſuccedunt liberi, vel proximi agnati in eadem familiâ. Natus tamen continuò Rex non eſt, ſed ex populi conſtitutione, & Regni commiſſione. *Stephan. Jun. Brut. in vindict. contra Tyran. quæſt.* 3. *fol.* 60. qui ſimul aſſerit, & in ſucceſſivis Regnis Reges non tam naſci, quàm fieri, non tam Reges, quàm Regum candidatos haberi.

42 Modus *extraordinarius* † fit vel immediatâ Dei vocatione, ſicut Deus in Republica Iſraëliticâ immediatè quandoque magiſtratus conſtituit *Ægid. Hunn, d. diſput.* 44. *th.* 8. vel forte, vel jure belli, fœderis, aut jure dotis, emptionis, ceſſionis, deditionis, donationis, permutationis, de quibus & aliis ejusmodi modis diximus lib. 1. c. 2. per diſcurſ item jure fœderis & illuſtri pacto mutuæ ſucceſſionis, quo viri illuſtres inter ſe conveniunt, ut alterius ſtirpe extinctâ, ad alterum bona perveniant: quod pactum hereditatem conventionalem, ſeu pactionalem, anomalam, item fraternitatem, Germanicè Erbverbrüderung vocant. Atque tale pactum viget inter Duces Bavariæ & Comites Palatinos ad Rhenum: Inter Duces Saxoniæ & Landgravios Haſſiæ, &c.

43 Magiſtratibus accedunt † *Cenſores*. Ut enim legibus magi- Cenſores. ſtratus ac judices: ita moribus præficiendi ſunt Cenſores, qui ea, quæ legibus definiri nequeunt, notent, caſtigent, corrigant. vide
44 *Chokier. in aphoriſm. Polit. lib.* 5. *c.* 19. *fol.* 281. Hi † maximarum minimarumque rerum, præcipuè circa morum diſciplinam, cognitionem animadverſionemque habeant; de quibus leges aut non ſcriptæ, aut quæ judicio pœnali haud dignæ videbantur. Inquirebant etenim olim, quo ſe quisque modo, domi ſuæ, intra laris penetralia, erga uxorem, liberos, erga ſervos, erga propinquos, neceſſarios, vicinos gereret: quæ inſtitutio liberorum, quæ diſciplina, unde victus & amictus, quis opum uſus, quis abuſus, quæ incuria, quis focus & menſa &c. omnes malas artes, libidines, volu-

Digitized by Google

voluptatesque indignas, otium, luxum omnem prohibebant. *Kirchner. de Repub. disput. II. th. 2. ad lit. c.* ab universisque exigebant, ut probati & industriæ non sumptibus & divitiis studerent. vid. *Scip. Amirat. lib. 11. discurs. 2. in Tacit. Alexand. ab Alex. lib. 3. genial. dier. c. 13. Bodin. lib. 6. de Repub. c. 1. Camerar. cent. 1. medit. histor. c. 15. Schönborn. lib. 3. c. 10. Arnisæ. lib. 1. doctrin. Polit. c. 16. fol. 386. & seqq. ad fin. cap.* Exinde illorum animadversio seu censura, appellata est magistra † pudoris & modestiæ. *Cicer. in Pison.* 45
non solùm Romanis, verùm etiam Græcis usitatissima. Hodiè † in 46
nostris Rebuspublicis adeò obsoletam tam necessariam provinciam Reipub. perspicimus, ut non modò non colatur, sed etiam ferè ignoretur. *Lips. lib. 4. Polit. c. 11.* Unde illius † neglectus mul- 47
torum magnorumque malorum perpetua causa, à prudentioribus reputatur. In optimè † tamen constitutis Rebuspublicis ex- 48
teris, puta Veneta, Lucensi, Genuensi florida est aliquantùm. *Bodin. dict. loc.* Hodiè quidem locorum † quorundam usu, relictum 49
est hoc munus Ecclesiasticæ censuræ, & senioribus Ecclesiæ permissum, ut si quos malè vivere cognoscant, admoneant, castigent, & indicent. Sed cum publicæ † censuræ notâ & correptione de- 50
stituantur, parùm inanibus efficitur reprehensionibus. *ex Sturm. lib. 2. de admin. bell. Turc. Kirchner. d. l.*

CAPUT IX.

DE OFFICIO MAGISTRAtus publico, eoq́ Ecclesiastico & Politico.

DIximus in priori capite de magistratuum generibus & constitutionibus. Proximum est ut de officio eorundem agamus.

Id verò consistit † in conservatione humanæ societatis, le- 1
gis tam divinæ, quàm humanæ.

Divinæ, puta utriusque tabulæ Decalogi.

Humanæ, ut legem naturæ, & quam ipse promulgavit, quæ Civilis & Politica dicitur. Quod tum fit, quando præmia piis, impiis supplicia irrogat. Cum enim Deus hominum vitas regi velit per magistratum, armat eos hâc potestate, imò dat mandatum, ut puniant violatores legum, juxta illud: Non pares eis, nec misereberis. *Melanchthon. in examine in loc. de magistrat. politic. Ægid. Hunn. volum. 1. disput. Theolog. Marpurg.* 44. *th.* 18. *& seqq. Casman. in doctrin. Polit. cap.* 10. *Aristoteles lib.* 10. *Ethic. c. ult.* docet, quòd Magistratui & Legislatoribus incumbat administratio civilis rerum publicarum & privatarum circa educationem & studia hominum. Huic præcepto aures accommodaturi, in præsenti capite priùs disseremus de administratione, seu regimine & officio Magistratus publico, quod est vel Ecclesiasticum, vel Politicum, seu Civile. Sic enim Diogenes Pythagoricus in legitimo Rege hæc requirit *apud Stobæum in sermon. de Regno*, ut belli Dux sit, ut Judex, ut Sacerdos.

Officium Ecclesiasticum.

2 ECCLESIASTICUM, † est circa curam rerum sacrarum.
3 Nam prima † & præcipua pars officii magistratus est Religio, seu curatio rerum divinarum. *Plat. l.* 2. *&* 4. *de Rep. & Aristot. lib.* 7. *Polit. c.* 8. Sic gentilium Romanorum prima & summa religionis fuit consultatio, prima senatus cura. Omne siquidem Imperii fundamentum, omne stabilimentum in religionis constitutione consistit, dicente *Polybio lib.* 6. *histor. Rom.* Nec ulla unquam Respub. fuit, quæ non primam suarum legum partem de religione fecerit. *Zacharias Friedenreich. in Polit. c.* 12.

In hanc sententiam laudatissimus Imper. Justinianus *in l. unic. C. nemini lic. sign. salv.* ait: Cura nobis diligens est, per omnia superni numinis religionem tueri, & *Novell.* 3. *in fin.* scribit: non minorem sibi curam esse Ecclesiæ, quàm animæ. Nec enim absque re S. Scriptura Principes vocat nutritios & patronos Ecclesiæ. *Esai.* 49. *v.* 23. & ad muros ejus ædificandos cõstitutos. *cap.* 60. *v.* 10. & ut portas suæ ditionis aperiant, quò Dominus gloriæ introeat, monet Psalmista, *Psal.* 24. *v.* 7 *&* 9. Sanè ita proprium esse Principis curare & tueri sacra, veteres statuerunt, ut plerique habuerint

rint Sacerdotii & Regni munera conjunctim, ut tradit *Bodin. l. 3. de Repub. c. 8. num. 353. Tholozan. lib. 8. de Repub. c. 2. num. 6. & seqq. Arnisæ. in tractat. de subject. & exempt. cleric. cap. 1. num. 4.* Unde *& Plato lib. 6. de legib.* templa domibus regalibus conjungi jubet.

Et hoc jus † *sacratum* vocat Vergilius: alii *sacrorum. David Paræus in tract. de Potest. Regum contra Pap. fol. 74.* id vocat *potestatem regiam circa Ecclesiasticam*: item *potestatem Ecclesiasticam externam.* 4

Dicitur *externam* illam esse potestatem. Nam *interna* † Principi laico adimitur. Hæc enim potestas Ecclesiastica interna ab Ecclesiasticis Ecclesiasticè in Ecclesiâ exercetur, docendo, solvendo, ligando, sacramenta administrando, &c. *Externa* verò est νομοθετικὴ, quæ † circa Ecclesiasticas res & personas exercetur, ut tàm Politici, quàm Theologi monent & docent. seu: est potestas disponendi, ordinandi, & curandi media de religione vera, Deique cultu ex verbo divino introducendo, conservando & defendendo. Re utraque functione Ecclesiasticâ & civili, agit etiam *Ægidius Hunnius tom. 1. disput. Theolog. Marpurg 44. th. 25. 26. & 27.* 5 6

7 Atq; hinc Christianus Magistratus habet potestatem † convocandi Episcopos, & Synodos congregandi: quia ejus est providere, ut verbum Dei purè ac sincerè tradatur, pax & tranquillitas in Ecclesiâ conservetur, hæreses & schismata, quibus pax & tranquillitas ista turbatur, puritas doctrina vitiatur, ratione justâ tollentur. Quàm ad rem cùm faciant etiam Concilia, palàm est, quòd convocatio eorum Magistratui competat. *Johan. Förster. in tract. peculiari de Concil. disput. 1. th. 34 & 35.* videri etiam potest *Salomon Gesnerus l. b. 1. de Concil. c. 3.* ubi de utilitate Conciliorum disserit, & hæc prodesse docet: primò, ad sinceram doctrinam confirmandam & longè latéque propagandam. deinde, plurimum etiam facere ad reprimendas hæreses & falsa dogmata, ab eorum patronis disseminata. Tertiò, utiles etiam esse Synodales congressus ad disciplinam Ecclesiæ emendandam. Postremò, Synodorum congregationem conventus esse nervos amicitiæ & con-

Potestas congregandi Synodos ad Principem spectat.

conjunctionis. Unde pietas laudatur quorundam Imperatorum, qui ad tollendas religionis controversias Synodos indixerunt, quibus ipsi non solùm interesse, sed etiam praeesse voluerunt. Neque verò hoc pacto functiones confunduntur, dum Magistratui Religionis cura committitur, *Dn. Hunni. dict. disput.* 44. *thes.* 22. & 23.

8 Est verò Magistratus † supremus, vel inferior.

9 Supremus † est Romanus Imperator.

10 Inferiores † Magistratus sunt Principes, & alii in gradu eminenti constituti, ut sunt Comites, Barones & Urbes liberæ Imperiales.

11 Supremus Princeps Concilia Universalia † sive Oecumenica convocare potest, quæ ideò Universalia vocantur quia ab Universali omnium Domino Imperatore cogebantur, ut tradit *Lutherus in lib. de Conciliis & Ecclesia, tom.* 7. *Witteberg. fol.* 501. *Gesnerus d. lib.* 1. *de Concil. c.*2. *fol.* 12. Idque ex indictione quatuor

12 Oecumenicorum † Conciliorum præcipuorum post natum Christum celebratorum, ex Historiis Ecclesiasticis ὀφθαλμοφανερῶς patet. sc. Niceni I. Constantinopolitani I. Ephesini I. & Chalcedonensis.

Magnum illud & celeberrimum Concilium apud Niceam

13 † urbem Bithyniæ, Constantinus Magnus convocavit, An. Christi 328. *Secundum Salomonem Gesnerum lib.* 2. *de Concil. cap.* 4. *fol.* 113. An. Christi 325. Sic *Eusebius lib.* 3. *de vitâ Constantini c.*6. Constantinus Magnus Concilium generale, tanquam Dei exercitium instruens, in unum locum coëgit, & Episcopos undique per literas honorificè scriptas, ut eò maturarent, accivit. In hoc Arrium decem & octo supra trecentis Episcopis residentibus adesse jubet, ac de propositionibus ac quæstionibus judicari. *Ruffin. l.*1. *Hist. Eccles. c.* 1. *in fin. Histor. tripartit. lib.* 1. *c.* 21. *in fin. Socrat. lib.* 1. *c.* 5. *Theodoret. lib.* 1. *c.* 7. *Sozomen. lib.* 1. *c.* 16. *tom.* 1. *Concil. fol.* 198. *col.* 2.

14 *edit. Colon. An.* 1538. Hic conventus † dictus est primò Synodus Oecumenica, id est totius orbis Synodus: ideò quòd passim ex οἰκουμένην per varias & diversas terrarum partes hi viri sancti & religiosi

ligiosi ab Imperatore Romano convocati sint. Unde & Imperator οἰκουμενικὸς dicitur, vel ut *in l. de predicatio. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* κύριος τοῦ κόσμου, Dominus mundi, eò quòd neutiquam Pontifici Romano, sed soli Imperatori Synodi Oecumenicæ convocatio competat, qui & in his partibus terrarum jus censitionis, indictionis & Imperii habet. *Luc. 2. Matthias Stephani de jurisdict. lib. 3. part. 1. cap. 14. num. 105, & num. 106.* hanc Synodum Nicenam Oecumenicam, in qua & Symbolum Nicenum promulgatum, omnium Synodorum matrem vocat.

Concilium Constantinopolitanum I. † contra Macedonium Deitatem Spiritus S. negantem, indixit Theodosius Magnus An. Christi 385. Anno imperii Theodosii 3. *Funccius in Chronolo. Socrat. lib. 5. c. 8. à pr. Theodoret. lib. 5. c. 7. Sozomen. lib. 7. cap. 7. Niceph. lib. 12. c. 10. tom. 1. Concil. fol. 237. col. 2. Zonar. in vit. Theodos.* in hoc adfuerint centum & quinquaginta Patres. *Novell. 131. c. 1. & lib. 4. C. de Sum. Trinit.* 15

Ephesinum I. † fuit convocatum à Theodosio II. sive Juniore (qui respectu Theodosii avi, vel Senioris ita cognominatur) contra Nestorium. *Evagrius lib. 1. cap. 3. Nicephor. lib. 14. cap. 34. Histor. Tripartit. lib. 12. c. 5. à pr. Liberatus in Hist. Concil. Ephesin. tom. 1. Concil. fol. 304. col. 1. in med.* An. Epochæ Christi 431. *secundùm Förslerum disp. 8. thes. 39. de Concil.* juxta alios, An. 432. vel etiam Ann. 433. *secundùm Funccium*, Ann. 435. & Ann. Theodos. 24. 16

Contra secundam † Synodum Ephesinam in qua hæresis Eutychetis quorundam Episcoporum pravo intellectu adjuta dicitur, Leo I. Papa epistolam exaravit ad Theodosium Augustum, in quâ cum omnibus Sacerdotibus cum lachrymis & gemitibus ei supplicat, ut intra Italiam alia Synodus generalis celebretur, in qua ejus errores retractentur, quemadmodum expressè videre est *in Epistola 23. Leonis ad Theodosium tom. 1. Concil. fol. 354. col. 1.* itemque *Liberatus in Breviario c. 12.* testatur, Leonem advolutum Imperatoris pedibus cum lachrymis petiisse Concilium: Factum id esse, ait *Evagr. lib. 2. c. 10.* postquam Dioscorus præses 17

 desi-

designatus, in Concilio Ephesino omnia turbasset. *& epist.*24. Leo Pulceriam Augustanam apud clementissimum Principem Theodosium asserere, & ut Concilium in Italia convocetur, locusque & tempus ab Imperatore definiatur, rogare dignetur. Quod si Leo tum temporis plenariam potestatem habuisset convocandi Synodum, adeoque ipsum Imperatorem citandi, & excommunicationis fulmine percutiendi, num credibile est, illum cum lachrymis & gemitibus rogaturum fuisse, ut Theodosius Synodum, & quidem intra Italiam celebrari jubeat; præsertim cùm certum esset Imperatorem Eutychianis plus nimio patrocinari, blanditiis Chrysaphii eunuchi (ut sæpe fit in aulis) circumventum? *Gesner. in refut. lib.*1. *Bellarmini de Concil. c.*13. *fol.*298. unde *fol.*207. *præced.* stupendam dicit esse impudentiam Bellarm. qui audet asserere, Leonem suâ auctoritate Synodum Chalcedonensem convocasse, pluresque epistolas Leonis ad Imp. fideliciter recenset.

18 Chalcedonense† Concilium coadunatum est á Martiano Imperatore adversus Eutychetem, *secundùm Funccium* An. Christi 455. & An. 2. Martiani, juxta alios An. Domini 458. *Evagr. lib.*2. *c.*1. *dict. tom.*1. *Concil. fol.*400. *col.*1. *actione* 1. ubi *à pr.* compilator disertis verbis testatur, factam esse hanc Synodum ex decreto Impp. Valentiniani & Martiani. Quid? confitentem habemus ipsum Leonem in epistolis, quarum multæ extant eodem tom. 1. ad Martianum Augustū, quòd ab ipso petierit & efflagitarit Synodum, ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem. *epist.*41. 47. 48. 57. *& in d. epist.*41. etiam per Dominum nostrum Jesum Christum obtestatur & obsecrat clementiam Imperatoriam, ut in ea Synodo fidem, quam beati Patres ab Apostolis sibi traditam prædicaverunt, non patiatur, quasi dubiam, retractari.

19 Et hæc quatuor† Concilia Universalia & Oecumenica fuêre principalia seu præcipua, quod asseritur etiam in præambulis Concilii Chalcedonensis *d. tom. fol.*393. *col.*1. *in med.* quorum in Ecclesia magna meritò est auctoritas. *Gesner. d. lib.*1. *c.*5. *fol.*77. Et *Gregorius Magnus lib.*1. *epist.*24 se ea venerari affirmat, sicut sancti Evangelii quatuor libros, veneratur etiam & suscipit Justinian. Imp. *in l. reddentes*, 9. §. *suscipimus*. 3. *C. de Sum. Trinit.* Quin *in d.*

c. 1.

c. 1. *Novell.* 131. sancimus, ait, vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ. *& in fin. cap.* prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus. A causis Ecclesiasticis, & Synodis hisce generalibus sive Oecumenicis, ut non appelletur, canonem Ecclesiæ esse, scribit *Socrates.* facit etiam *d. l.* 4. *C. de Sum. Trinit.* In his enim velut in quadrato lapide, sancta fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. *c. sicut sancti.* 2. *distinction.* 15.

Præter enumerata tamen alia † quatuor Concilia generalia recenset *Christ. Matth. Colleg.* 2. *disp. Polit.* 6, *th.* 12. & quinto loco ponit illud, quod fuit à Justiniano Constantinopolin convocatum, An. Christ. 552. sexto, quod à Constantino Pogonato, h.e. Barbato Byzantii fuit institutum, An. Chr. 681. septimo, quod ab Irene Leonis IV. Imperatoris uxore habitum Niceæ, cùm ipsa cum Constantino adolescente adhuc Imperio præesset, An. Chr. 788. in octava serie, quod Constantinopolin convocatum ab Imp. Basilio, An. Chr. 860. His addit testimonium ipsius *Cusani lib.* 3. *de Concilijs c.* 16. confitentis & dicentis: Sciendum est, quòd in universalibus octo Conciliis semper invenio Imperatores & judices suos cum senatu primatum habuisse. Exempla aliorum Conciliorum à Principibus indictorum enumerat. *Arnisæ. d. c.* 6. *num.* 13. *fol.* 414. *& seqq.* 20

Addimus jam; quòd Episcopi Orientales † à Damaso Romam advocati ob defectum potestatis convocantis, venire recusarint, *teste Theodor. l.* 5. *c.* 9. frustrà item laboraverit Liberius † in cogendo Concilio, cùm Constantius à partibus Arrianorum jam staret, & à Liberii precibus, quibus, ut Synodum cogi imperaret, instabat aures averteret, recensente *eadem Theodoret. lib.* 2. *cap.* 16. & post eum *Arnisæo d. num.* 13. *fol.* 412. ubi addit, quòd nec Eugenius † IV. Gallos ad Concilium potuerit cogere, cùm eos illuc ire vetaret Carolus VII. Rex Franciæ. Siquidem, inquit in Concilio Agathensi, c. 35. vocati ad Synodum Episcopi jubentur adesse, *nisi gravis infirmitas corporis, aut præceptio regia impediat. c. si Episco-* 21 22 23

G 2 pus

24 *pus* 13. *dist.* 18. stet ergò invictum, quòd non Pontifici † Romano, ut contendunt Romanenses, eorumque præco *Bellarmin. lib.* 1. *de Concil. c.* 12. sed soli Imperatori concessa sit potestas convocandi Concilia Oecumenica & Universalia.

Quemadmodum verò Imperator Synodos Universales si-
25 ve Oecumenicas rectè & ritè congregat: ita inferiores † Magistratus, seu Principes in suis Provinciis Concilia particularia, quæ Nationalia seu Provincialia dicuntur, convocare possunt. *Förster.*
26 *disput.* 1. *de Concil. th.* 23. Tantam † enim hi potestatem & auctoritatem in suis territoriis obtinent, quantam Imperator in Imperio universo: exceptis iis, quæ Imperatori in præeminentiam & signum superioritatis expressè sunt reservata. *Geil.* 2. *observ.* 57. & *lib.* 1. *de pac. pub. c.* 6. *num.* 10. & 11. *Wesenbec. consil.* 27. *num.* 29. *Modestin. Pistor. consil.* 28. *num.* 1. *Mynsing. respons.* 37. *num.* 22. *Kirchner. de legat. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 11. & *seqq.* adeoque repræsentare Imperatorem in suis ditionibus vulgò dicuntur.

Non tantùm autem interesse illis Conciliis, sed & præes-
27 se † Princeps debet. *Arnisæ. d. c.* 6. *num.* 11. Unà judicare, judicatum promulgare, legibus ac pœnis sanciæ. *Christoph. Matth. th.* 31. qui *th. seq.* id judicium circa religionem non absolutum vocat, contra Stapletonum, sed limitatum, sc. cognitionis, discretionis, directionis, definitionis, depromulgationis circa religionem exercendum, vel Episcopis imperandum.

28 Cæterùm, non solùm *defensio,* † *conservatio, nec non propagatio sinceræ ac veræ religionis* ad Principem spectat, sed etiam *Re-*
29 *formatio* † *abusuum*, exemplo piorum Regum in V. Test.

Sic Asa Rex Judæ purgavit universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. 1. *Reg. c.* 15. *v.* 12.

Sic Ezechias Rex Judæ dissipavit excelsa, contrivit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentem æneum, quem fecerat Moyses. 2. *Reg.* 18. *vers.* 4. Sacerdotes & Levitas templum Domini sanctificare, mundare, purgare jussit. 2. *Paralipom.* 29. *v.* 4. & 5.

Sic Josias mundavit Judam & Jerusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptilibus. Destruxit aras Baalim, & simulacra,

ſacra, quæ ſuper impoſita fuerant, demolitus eſt, &c. Mundatâ
jam terrâ & templo Domini, Principes Conſiliarios miſit, ut in-
ſtaurarent domum Domini ſui. 2. *Reg.* 23. *à v.* 4. *ad* 25. 2. *Paralip.*
34. *v.* 5. *& ſeqq.*

Quâ in re verbum † Dei, tanquam certiſſimam judicii re- 30
gulam, ſequetur: ne errore deceptus ſanam doctrinam pro hæreſi
damnet, aut pro veri Dei cultu idolomaniam tueatur. *Ægid. Hun.*
d. diſp. 44. *th.* 21. *& th.* 30. peccat Magiſtratus, qui religionis præ-
textu nova fidei dogmata & cultus verbo Dei contrarios promul-
gat, exemplo Jeroboami, Achabi, Nebucadnezaris & Antiochi.
2. *Reg.* 16. *Dan.* 3. *Maccab.* 1.

Defenditur etiam & conſervatur Religio, cùm totius ordi-
nis † Eccleſiaſtici functiones & actiones officii propriæ provehun- 31
tur & conſervantur. *Friedenreich. d. c.* 12. exemplo ſc. Salomonis.
1. *Reg.* 5. *&* 6. 2. *Paral. c.* 8. *v.* 14. Joſaphati. 2. *Paral. c.* 17. *v.* 7. *&* 8.
Ezechiæ 2. *Paral. c.* 29. *v.* 10. *& ſeqq.*

Quamvis autem Princeps debeat † conſtituere, promove- 32
re, & reformare divinum cultum, errores tollere, ut pura, ſecun-
dùm Scripturam vigeat religio: idque faciat non jure imperii:
verùm ut præcipuum Eccleſiæ membrum, & tanquam defenſor
& protector Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque doctrinæ: hinc non † ſo- 33
lus de ceremoniis & aliis rebus Eccleſiaſticis: ſed cum aliis mem-
bris, præcipuè Eccleſiæ miniſtris, de his conſtituet, decernet &
exequetur. *ex Polycarp. Leyſer jun. diſp. ad Formul. Concord. dec.* 9.
quæſt. 6. *Dn. Beſold. claſſ.* 1. *diſp. Polit.* 4. *th.* 16. *& præced.* 14. atque
inde errare eos ſcribit qui Magiſtratui Politico poteſtatem libe-
ram ceremonias ſuo arbitratu obtrudendi, aut abrogandi conce-
dunt: cùm Eccleſia non ex ſolo Magiſtratu conſtet, ſed etiam ex
Paſtoribus & Auditoribus. Eodem prorſus modo cùm *Dn. Arniſæ.*
d. num 11. docuiſſet Principem ſemper pro Eccleſia debeat vigila-
re, & quandocunque res exigit, Epiſcopos hominèsque doctos de-
liberationem inſtituendam congregare, expreſſè profitetur *num.*
12. ex ea aſſertione ſe non aſtruere velle, quòd Principi liceat pro-
priâ auctoritate ſine conſilio & præſcripto ſuorum Theologorum
in religionis negotio quicquam immutare, idque ne Ethnicos

quidem fecisse: sed ipsum allegari judicio ac sententiis sanorum Theologorum. Facit huc *l. 6. C. de sacrosanct. Eccles.* in qua Impp. Honorius & Theodosius ita rescribunt: si quid dubietatis emerserit, id oportet non absque scientia viri reverendissimi, sacrosanctæ legis antistitis Ecclesiæ urbis Constantinopolitanæ, conventui Sacerdotali sanctóque judicio reservari. unde etiam *Dn. Friedenreich. d. c.* 12. officium magistratus religiosum, partim cum Ecclesiastico commune, partim sibi planè proprium & peculiare habere inculcat.

34 Commune † Magistratus & Ecclesiastici ordinis officium vocat, quod conjunctâ auctoritate & consilio secundùm normam Scripturæ expedire debent: nempè, ut exortas religionis controversias examinent atq; componant: casus matrimonii dubios cognoscant atq; decidant: morum censuras Ecclesiasticas tum erga quosvis delinquentes, tum etiam erga ipsos Ecclesiæ ministros, exerceant: ministros Ecclesiæ eligant, & si contra officium suum fecerint, rursus deponant: de adiaphoris seu ritibus Ecclesiasticis leges ferant. *è Jer. Nicolai lib. 4. Theol. c. 7.* In quibus omnibus, addit, nullam supremam & absolutam magistratus potestatem & judicium cognoscimus: sed cum Ecclesiasticis cõjungimus. Utrosque autem verbo Dei subjicimus. *Esa. c. 8. v. 20.* Exemplum hujus rei est illustræ in sacris literis. Sic enim HiskiasRex consilium cœpit cùm Principibus, Universóque cœtu in Jerusalem, ut facerent Phase mense secundo. 2. *Paral.* 30. *v.* 2. *& v.* 23. dicitur: Placuit universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies septem, quod fecerint cum ingenti gaudio.

35 Religiosum † officiosum quod ab Ecclesiastico distinctũ habet Magistratus, religionis rectè constitutę patrociniũ esse *scribit Friedenreich.* tùm ut ministros Ecclesiæ alat, tùm ut defendat.

36 Ex ratione paulò ante dicta idem deducit *Besold. th. 17. jus vocandi † ministros Ecclesiæ*, non soli competere Magistratui, ut Politici hodiè contendunt, sed toti Ecclesiæ quæ est communis nostrorum Theologorum sententia, & ipsa veritas.

Jus vocandi ministros toti Ecclesiæ competit.

Nam 1. discrimen † est inter regna & jura Politica, quæ vo-
37 cantur Regalia, & inter regnum Christi. Vult enim Christus suum regnum,

regnum,& mundi regna cum suis officiis distincta esse *Joh.18.v.36.* Ministerium v. verbi & vocatio ministrorum non pertinet ad jus politiæ, sed ad regnum Christi. Quare Politicæ majestati magistratus subjici non debet ministerii Ecclesiastici constitutio. *Martin. Chemnit p 3. Loc. Theol. in loc. de Eccles. c. 4. fol. 225. Dn. D. Mentz. to. 2. disp. Theol Marp. 22. th. 89. & in exeg. Aug. Conf. ad art. 19. fol. 420.*

Deinde: Ecclesiæ in hisce terris gubernatio † non est externa Monarchica, & per consequens nec electio Monarchica erit, hoc est, ex unius duntaxat arbitrio pendens. *Dn. Christ. Matth. d. disp. 6. th. 42.* Ubi graviter errare omnes ferè Politicos sentit & scribit, qui vocationem ministrorum Ecclesiæ inter jura majestatis referunt: cùm jus majestatis Monarchicum sit absolutum, & legibus solutum, superiorem non agnoscens, quale jus non est vocatio ministrorum. conf. *Witakerum de Romano Pontifice quæst. 1. An Ecclesiæ Regimen sit Monarchicum.* 38

Neque etiam Ecclesiæ gubernatio quoad vocationem ministrorum, aliaque nonnulla jura ac privilegia est purè Aristocratica, quia jus vocandi & constituendi ministros *ratione possessionis* toti Ecclesiæ competit. *D. Chemnitius d. l. & in Examine Concil. Trident. part. 2. de Sacrament. Ord. fol. 409. & seqq. edit. Francofurt. de An. 1615. Mentzerus in d. disp. per tot. in exeg. fol. 425.* Quare hoc respectu Ecclesiæ regimen de Democratia nonnihil participat. *Dn. D. Gerhard. disp. 6. AntiBellarmin. th. 5.* & eo modo *Flacius in lib. de electione Episc in ead. th. 5.* adductus, Regimen Ecclesiæ Democraticum esse dixit.

Tertia ratio pro vocatione totius Ecclesiæ hæc est: Quod omnes † tangit, ab omnibus debet approbari. *c. quod. de reg. jur. in 6.* 39

Quartò, eam suadet communis † praxis Apostolorum (quæ instar regulæ est, atque sic de jure divino: quia Apostoli suo communi exemplo hunc ordinem in vocatione Ministrorum observandum esse monstrarunt. *Albert. Grawerus in expositione Michææ c. 1. q. 2. fol. 17.*) in electione Matthiæ. *Act. 1. v. 23. & seqq.* in ordinatione Diaconorū, *c. 6. v. 3.* ubi ita Apostoli inquiūt: Dispicite ergo fratres ex vobis viros septem idoneo testimonio ornatos, plenos 40

Spiritu

Spiritu Sancto & ſapientiâ,quos præficiamus huic negotio. *c.* 14. *v.* 23. creantur per ſuffragia (*χειροτονήσαντες*) per ſingulas Eccleſias Presbyteri. *& c.* 15. *v.* 22. cum eligendi eſſent,qui cum mandatis ad Antiochenam Eccleſiam mitterentur,dicit Lucas: Tum placuit Apoſtolis & Senioribus cum tota Eccleſia, delectos ex ſeſe viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primarios inter fratres.

41 Et hanc Apoſtolicam † formam electionis & vocationis poſteà etiam retentam & uſurpatam in veteri & puriore Eccleſia, certo quodam ordine à præcipuis Eccleſiæ membris, nomine & conſenſu totius Eccleſiæ, refert *Chemn. d. c.* 4 *fol.* 326. *& in Exam. d. tit. de Sacram. Ordin. fol.* 4'0.

42 Quintò,in hanc rem ſunt multi vetuſti canones † in jure Canonico. *Diſtinct.* 23. *c.* 2 *circa fin.* de Epiſcopo dicitur: Qui cùm in his omnibus examinatus,fuerit inventus plenè inſtructus,tunc cum conſenſu clericorum & laicorum & conventu totius Provinciæ Epiſcoporum,maximéque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentiâ ordinetur Epiſcopus. *Diſtinctione* 24. *canon.* 2. eſt *ex Concilio Carthagin.* 3. *c.* 22. Nullus ordinetur clericus,niſi probatus fuerit,vel Epiſcoporum examine,vel populi teſtimonio. *& ead. diſtinct.* 24. *can.* 6. *ex Concil. Carthagin.* 4. *c.* 22. dicitur: Epiſcopus ſine concilio Clericorum ſuorum,clericos non ordinet, ita ut civium conhiventiam,& teſtimonium quærat. *Diſtinct.* 51. *c.* 5. §. *ſed.* reſcribitur ex *Concilio Toletano* 4. *c.* 18. Sed nec ille deinceps Sacerdos erit,quem nec clerus,nec populus propriæ civitatis elegit, vel auctoritas metropolitani,vel comprovincialium Sacerdotum aſſenſus non exquiſivit, &c. *Diſtinct.* 61. *c.* 16. Qui(Sacerdos)dum fuerit,cum ſolennitate decreti, omnium ſubſcriptionibus roborati, ad nos ſacrandus occurrat. *& Diſtinct.* 62. *c.* 1. ita loquitur Leo Papa: Nulla ratio ſinit,ut inter Epiſcopos habeantur,qui nec à clericis ſunt electi,nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. *Diſtinct.* 63. *c.* 27. Vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus Sacerdotum exſpectantur

ctantur. *Item*: per pacem & quietem Sacerdotes, qui præfuturi sunt postulentur: teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. *distinct. 67. c. 1.* Reliqui Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita ut cives & alii Sacerdotes assensum præbeant, &c. Et *in c. 15. caus. 8. q. 1.* Requiritur in ordinando Sacerdote, & præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne qua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.

Hinc reliqua adhuc sunt vocabula nominationis seu postulationis, præsentationis, consensus & confirmationis, seu collationis. *Chemnit. d. c. 4. fol. 227.*

Maneat ergo quòd jus & potestas vocandi ministros toti Ecclesiæ competat, servatô † tamen justo ordine & decoro. *Grawerus d. q. 2. fol. 14. in fin. & seq. à pr.* pro ratione & consuetudine cujusque provinciæ, ex mente aliorum. Nam Ecclesia est corpus † complectens omnia membra Christi, *Ephes. 1. v. 23. & 4. v. 12.* quæ membra, seu ordines ita distinguuntur, ut unus sit ordo Presbyterii, secundus Politici Magistratus, tertius reliquæ multitudinis: vel si dichotomia instituatur: in presbyterium & populum: Presbyterii nomine intelliguntur non tantùm ministri verbi, sed etiam illi, qui ab Ecclesia ad functiones Ecclesiasticas constituendas sunt deputati: quos Seniores, Præpositos & Consiliarios Ecclesiæ, adeoque Senatum Ecclesiasticum, vel Consistorium, spirituale appellamus. Populus autem dividitur rursus in Magistratum & subditos. *Dn. Mentzer. thes. 81. cum seqq. & in Exegesi fol. 424. circa fin.*

43

44

Inter tres autem illos ordines, qui ad electionem & vocationem concurrunt, πρωτεῖα † penes Pastores esse, sacrorum Antistites tradunt, adeoque Presbyterio primas concedunt: se- 45

cundas

cundas magistratui pio & Christiano, qui est membrum Ecclesiæ: Tertias populo tribuunt.

46 Paulò aliter † *Paulus Tarnovius in decad. quæst. illustr. Theolog. de ministerio Ecclesiastico, quæst.* 3. eligendi & vocandi potestatem penes totam Ecclesiam esse docet, hoc ordine conveniente, ut magistratui seu patronis arbitrium, presbyterio judicium, populo suffragium relinquatur. Eumque morem Ducum Megapolensium Agenda Ecclesiastica parte 2. approbandum & servandum præcipere.

47 Quod v. ab initio† Ecclesiæ N. T. magistratus fuit præteritus, factum est ex necessitate, quia Ethnicus erat: jam verò postquam magistratus conversi sunt, duplici ratione ad eos ministerii probè constituendi cura pertinet. 1. Quia sunt Christiani, & Ecclesiæ membra non postrema. 2. quia sunt custodes legis divinæ. *Grawerus d. q. 2. fol.* 19.

48 Cùm igitur jus vocandi ministros, ad totam Ecclesiam per-
49 tineat, id uni † aut alteri soli parti tribui non debet. Unde à regia
50 via aberrant hodiè Pontificii; † ad solos cleros seu Episcopos, & potissimùm ad summum Pontificem vocationem & ordinationem ministrorum referentes. *Concil. Trident sess.* 24. *cap.* 4. *can.* 7. *Bellarmin. lib* 1. *de Cler. c.* 3. *&* 4. Nam nefas † est ministrum sibi sumere partes Domini. Doctores autem & Pastores sunt ministri Ecclesiæ. 2. *Corinth.* 1. *v.* 24. non Domini. 1. *Petr.* 5. *v.* 3. Ergo. *D. Mentz. d. disp.* 22. *th.* 88. *& in exegesi fol.* 426.

51 Et sic etiã luce meridianâ clariùs apparet, quòd nec soli † populo & promiscuæ multitudini id juris concedendum sit: quia in Ecclesia ordine fieri omnia debent, & vitari confusiones. 1. *Corint.*
52 14. *v.* 33. *&* 40. Unde meritò improbatur Anabaptistarum † turbulenta confusio, qui quibusvis etiam Sartoribus & Sutoribus, faciunt copiam sine justo discrimine docendi, qui se aliquid profecisse legendo Scripturas profitentur. *Clarissim. Mentzer. d. disput. thes.* 90. *tum seq. & in Exeges. fol.* 410. *in fin. Chemnit. d. c.* 4. *fol.* 314. *&* 326.

53 Falsissimum † exinde quoque esse tradit *Grawerus d. fol.* 15.

ut ex cæteris, laniis, coquis, sartoribus ministri protestantium effecti sunt, ita cùm lubet, ad eadem officia redeunt, & ipsi sibi laici fiunt & Episcopi, quod *Johan. Baptista Ficklerus in sua Replica contra Heilbrun. p.* 87. scribit, non opus esse ibi aliis mediis, quàm ut sine discrimine, cuique dicatur: *Eas tu Johannnes, & sis concionator. Tu Michaël, accipias panem, & vinum, & vicino administres cœnam. Tu Balthalde eas, & absolvas rusticos, &c.*

Quæ autem legitima † est ratio Ecclesiæ in ministrorum ordinatione & constitutione: eadem quoque erit in depositione & remotione. *Chemnit. d c. 4. fol. 229 in med. & seq.* Fieri † namque debet consentiente totâ Ecclesiâ: siquidem qui jus vocandi habet, is etiam habet jus dimittendi. *Grawerus d. q. 2. fol. 23.* Si tamen contingat, † ut ministri Ecclesiæ omnes & singuli hæreses foveant, & falsa dogmata Ecclesiæ proponant, Magistratus in casu necessitatis illos ab officio justè removere potest. *idem ibidem.* 54 55 56

57 Et hæc theoria † verissimè ita sese habet ex auctoritate Scripturæ sacræ, praxi primitivæ Ecclesiæ, aliisque rationibus.
58 Quamvis praxis † hodiè alia fit in plerisque Ecclesiis reformatis, in quibus Principes & Status jus illud vocandi ministros sibi ferè solis reservatum volunt ex transactione Passaviensi de An. 1555. §. Damit aber.

59 Nam ex hac † apud Status Imperii Reformatæ Religionis est directio jurisdictionis Ecclesiasticæ, & ad eos jura Episcopalia pertinent, quorum vigore instituunt Senatus seu Consistoria Ecclesiastica, & per ea de Episcopis & Pastoribus vocandi, examinandis, in officio dirigendis, judicandis, disponendis, leges dant. *Besold. th. 19.* ubi statim addit. Quæ tamen judicia itidem presbyterium Ecclesiæ repræsentant: nec absolutè ad Principes spectant, ut curiæ merè seculares. Per illa Consistoria, † (quæ ex monito Politicorum constabunt non ex Theologis & cleris solùm, sed simul ex doctis, gravibus & honestis viris Laicis, seu Politicis, qui æquè sunt pars Ecclesiastici cœtus) vel per Superintendentes, & alia jura Episcopalia expediri 60

Administratio juris Episcopalis vi pacis Religionis ad Status Imperii devenit.

 curant

cundas magistratui pio & Christiano, qui est membrum Ecclesiæ: Tertias populo tribuunt.

46 Paulò aliter † *Paulus Tarnovius in decad. quæst. illustr. Theolog. de ministerio Ecclesiastico, quæst.* 3. eligendi & vocandi potestatem penes totam Ecclesiam esse docet, hoc ordine conveniente, ut magistratui seu patronis arbitrium, presbyterio judicium, populo suffragium relinquatur. Eumque morem Ducum Megapolensium Agenda Ecclesiastica parte 2. approbandum & servandum præcipere.

47 Quod v. ab initio † Ecclesiæ N. T. magistratus fuit præteritus, factum est ex necessitate, quia Ethnicus erat: jam verò postquam magistratus conversi sunt, duplici ratione ad eos ministerii probè constituendi cura pertinet. 1. Quia sunt Christiani, & Ecclesiæ membra non postrema. 2. quia sunt custodes legis divinæ. *Grawerus d. q. 2. fol. 19.*

48 Cùm igitur jus vocandi ministros, ad totam Ecclesiam per-
49 tineat, id uni † aut alteri soli parti tribui non debet. Unde à regia
50 via aberrant hodiè Pontificii; † ad solos cleros seu Episcopos, & potissimùm ad summum Pontificem vocationem & ordinationem ministrorum referentes. *Concil. Trident sess. 24. cap. 4. can. 7. Bellarmin. lib 1. de Cler. c. 3. & 4.* Nam nefas † est ministrum sibi sumere partes Domini. Doctores autem & Pastores sunt ministri Ecclesiæ. 2. *Corinth.* 1. *v.* 24. non Domini. 1. *Petr.* 5. *v.* 3. Ergo. *D. Mentz. d. disp. 22. th. 88. & in exegesi fol. 426.*

51 Et sic etiã luce meridianã clariùs apparet, quòd nec soli † populo & promiscuæ multitudini id juris concedendum sit: quia in Ecclesia ordine fieri omnia debent, & vitari confusiones. 1. *Corint.*
52 14. *v.* 33. & 40. Unde meritò improbatur Anabaptistarum † turbulenta confusio, qui quibusvis etiam Sartoribus & Sutoribus, faciunt copiam sine justo discrimine docendi, qui se aliquid profecisse legendo Scripturas profitentur. *Clarißim. Mentzer. d. disput. thes. 90. cum seq. & in Exeges. fol. 420. in fin. Chemnit. d. c. 4. fol. 314. & 326.*

53 Falsissimum † exinde quoque esse tradit *Grawerus d. fol. 15.*

ut

ut ex cæteris, laniis, coquis, sartoribus ministri protestantium effecti sunt, ita cùm lubet, ad eadem officia redeunt, & ipsi sibi laici fiunt & Episcopi, quod *Johan. Baptista Ficklerus in sua Replica contra Heilbrun. p. 87.* scribit, non opus esse ibi aliis mediis, quàm ut sine discrimine, cuique dicatur: *Eas tu Johannnes, & sis concionator. Tu Michaël, accipias panem, & vinum, & vicino administres cœnam. Tu Balthalde eas, & absolvas rusticos, &c.*

Quæ autem legitima † est ratio Ecclesiæ in ministrorum ordinatione & constitutione: eadem quoque erit in depositione & remotione. *Chemnit. d. c. 4. fol. 229 in med. & seq.* Fieri † namque debet consentiente totâ Ecclesiâ: siquidem qui jus vocandi habet, is etiam habet jus dimittendi. *Grawerus d. q. 2. fol. 23.* Si tamen contingat, † ut ministri Ecclesiæ omnes & singuli hæreses foveant, & falsa dogmata Ecclesiæ proponant, Magistratus in casu necessitatis illos ab officio justè removere potest. *idem ibidem.* 54 55 56

Et hæc theoria † verissimè ita sese habet ex auctoritate Scripturæ sacræ, praxi primitivæ Ecclesiæ, aliisque rationibus. 57
Quamvis praxis † hodiè alia sit in plerisque Ecclesiis reformatis, in quibus Principes & Status jus illud vocandi ministros sibi ferè solis reservatum volunt ex transactione Passaviensi de An. 1555. §. Damit aber. 58

Nam ex hac † apud Status Imperii Reformatæ Religionis est directio jurisdictionis Ecclesiasticæ, & ad eos jura Episcopalia pertinent, quorum vigore instituunt Senatus seu Consistoria Ecclesiastica, & per ea de Episcopis & Pastoribus vocandi, examinandis, in officio dirigendis, judicandis, disponendis, leges dant. *Besold. th. 19.* ubi statim addit. Quæ tamen judicia itidem presbyterium Ecclesiæ repræsentant: nec absolutè ad Principes spectant, ut curiæ merè seculares. Per illa Consistoria, † (quæ ex monito Politicorum constabunt non ex Theologis & cleris solùm, sed simul ex doctis, gravibus & honestis viris Laicis, seu Politicis, qui æquè sunt pars Ecclesiastici cœtus) vel per Superintendentes, & alia jura Episcopalia expediri 59 60

Administratio juris Episcopalis vi pacis Religionis ad Status Imperii devenit.

 curant

Digitized by Google

curant Principes. *idem Besold. in tract. de jurisdict. Imp. Rom. q.* 18. *fol.* 53. quò refert inspectiones, visitationes, templorum extructiones, administrationem, dispensationem, & defensionem bonorum Ecclesiasticorum: itemque cognitionem in causis matrimonialibus quibus rectè & ritè præsident Principes. *Andreas Knichen. de jure territ. c.* 3. *num.* 234. *Bocer. de jurisdict. c.* 3. *num.* 44. 51. 80. & in gradibus de jure positivo prohibitis dispensant. *Beza de divort. fol.* 75. *Joachim. Stephan. in Institut. jur. can. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 31.

61 Insuper Magistratus est custos † utriusque tabulæ Decalogi, quoad externam disciplinam. Et propterea Principes Seculi intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenere, scribit *Isod. lib.* 3. *sent de sum. bon. cap.* 53. ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. *can. filijs.* 31. *caus.* 16. *quæst.* 7. *can. quando.* 39. *caus.* 23. *quæst.* 4. *can æquali.* 43. *caus. ead. quæst.* 5. Unde

62 scelera † & flagitia commissa contra primam tabulam: puta Blasphemiam, Idololatriam, Magiam, Atheismum, Epicureismum: contra secundam: scilicet, homicidia, adulteria, &c. gravi animadversione persequetur. *D. Ægid. Hunnius tom.* 1. *disput. Theol. Marp. th.* 19. & 20. *Besold. th.* 2. Ita Servetus An. Chr. 1500. instinctu Johannis Calvini propter atroces blasphemias Genevæ combustus est, ut alicubi refert *Theodor. Beza.* itemque Valentinus Gentilis Bernæ, ob blasphemias in filium Dei pertinaciter defensas capitali supplicio est affectus, An. 1566. 9. Septembr. *Chytræus in Saxonia, lib.* 21. *fol.* 566.

63 Hæc censura † morum Ecclesiastica quibusdam in locis relicta etiam est Senatui Ecclesiastico, vel Consistorio spirituali: Permissumve senioribus Ecclesiæ, ut, si quos malè vivere cognoscant, admoneant, castigent & indicent.

Diximus etiam sup. Magistratus officium esse, providere, ut omnes hæreses tollantur, omnes dissentiones Religionis præca-

64 veantur. Quare summis † viribus enitetur, ut una, eaque vera Religio, quantum fieri potest, vigeat, & floreat in suâ ditione, quâ de re actum à nobis fuit sup. hac part. 2. cap. 1. num. 5. & multis seqq.

Et

Et hactenus de officio Magistratus Ecclesiastico, pro ratione instituti nostri disseruimus, sequitur ut de Politico sermonem instituamus.

Officium POLITICUM † MAGISTRATUS consistit in 65
ista lege XII. *Tabb. salus populi suprema lex esto.* Ad quam Maxi- Officium Magistrat. Politicum.
mam imperandi, velut ad Helicem & Cynosuram in administratione semper spectabit. Proinde oculum † ante omnia ad salu- 66
tem & utilitatem Reipub. intendet, ut monet *Plut. in Lacon. & Agesil. & Saluft. in Jugurth.* & velut è sublimi specula prospiciet, ut subditorum quisque sub sua vite, ceu S. Scriptura loquitur, tutò & securè possit vivere. Hinc *Boter. lib 3. de orig. urb. cap. 21. fol. 932.* Officium, inquit, boni Magistratus in Repub. benè constituta est, fortunas subditorum in tuto collocare, justè judicare, unicuique id, quod suum est, tribuere, personam nullius respicere, hoc est, potentem imbecilli, divitem inopi, gentilem inquilino, civem advenæ, patritium plebeio minimè anteponere, sed æqualite jus universis æqualiter impertiri.

Homerus officium boni Regis descripturus, ejusque exemplar ab oculos positurus, dicit, quòd sit ἤπιος πατὴρ, bonus pa-
ter: Nam ut dixit *Seneca*: Bonus † Princeps non differt à bono pa- 67
tre. Pater publicus insignitur etiam *à Cassiodoro. Tholozan. lib. 8. de Repub. cap 1.* Ergo etiam suis benevolentiam paternam exhibebit, bonum publicum quæret, & promovebit, magisque subditis quàm sibi consulet, juxta illud *Claudian. ad Honor.*

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis:
Nec tibi: nec tua te moveāt, sed publica vota.

Imperialis benevolentiæ proprium esse judicamus, inquit Imp. Lotharius *in c 1. à pr. de prohibit. feud alienat. per Lothar.* commoda subjectorum investigare, & eorum calamitatibus diligenti curâ mederi: similiter Reipub. bonum statum, ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis præponere. Ideinque rescribit Justinian. Imp *Novell. 8. in pr.* Ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. *Cicer. libr. 1. offic.* Hinc optimè optimus

Imp. Hadrianus sæpè pro concione dixit: se sic gesturum Rempub, ut sciat rem populi esse, non suam *Spart. in ejus vit.*

68 Augustissimæ † memoriæ Princeps Philippus Landgravius Hassiæ tribus commendari bonum Principem dicere est solitus: 1. probâ monetâ, 2. securis itineribus. 3. præstatione promissorum, *Waremund. ab Erenberg. de regn. subsid. c. 5. nu. 37.*

69 Priori ergò loco de cura † & ratione *circa monetam* per Principem habendam dispiciemus.

70 Dicta est moneta † à monendo. *Isidor. lib. 16. c. 17.* ut scilicet moneat, cujus auctoritatis & æstimationis propriè sit, & nequid fraudis in materia, signo, vel pondere monetæ fiat. *Coras. miscell. lib. 3. c. 3. n. 3. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 7. n. 51.* moneat itidem quemque subditorum, vectigalia & census dandos esse ei, cujus utpote legitimi Principis & Magistratus imaginem in nummo circumferant. *Matth. 22. v. 17. Rom. 13. v. 7. Kirchner. de Repub. disp. 20. addit. 1. ad lit. a.*

71 Tria † verò in omni moneta consideranda veniunt, ut monent omnes Politici & Jureconsulti. 1. Materia. 2. Forma. 3. Pondus. *l. 1. C. de vet. numism. Constit. crim. Carolin. art. 3.*

72 Materia † monetæ qualis esse debeat, disserit *Nicol. Oresmius c. 2.* ubi probat, aurum & argentum metalla esse ad monetam aptissima, quia pretiosa sunt, & faciliùs portari, atq; adeò ad mercaturam majorem habiles esse possunt, ut refert *Keckerm. in curs. Phil. disp. 31. q. 20.*

73 Forma † nummi consistit in valore publico, qui dependet à pondere, charactere, & pretio. *Bornit. lib. 1. de nummis. cap. 7. Schönborn. l. 4. Polit. c 30.*

74 Quod si moneta secundùm † prædicta justa & legitima sit, ne Principi quidem summo licet eam vertere & pervertere. *Tholoz. l. 9. c. 1. nu. 31.* reprobare vel mutare, sive per augmentum, sive

75 per diminutionem. Rei † enim cùm publicæ, tùm privatæ maximoperè interest, ne legitima moneta reprobetur ac mutetur. *Matth. Steph. l. 2. de jurisd. part. 1. c. 1. memb. 2. n. 176* cui pulchrè respondet *Bodin. lib. 6. c. 3. n. 680.* dicens: Non modò corrumpi moneta, sed ne mutari quidem potest sine incommodo civitatis: qua-

quoniam mutatio pretii ac materiæ numismatum, census etiam ac bonorum cujusq; dubitationem affert, quo fit, ut nemo quantum in bonis habeat, constituere possit. Incerta sunt pacta conventa, quæ versantur in societatibus, tutelis, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas continetur, incerti reditus, vectigalia, tributa. *Et paulò post:* Principi non magis licet improba numismata cudere, quàm occidere, quàm grassari: nec à jure gentium, quo quidem auri & argenti pretium constitutum est, discedere, nisi Regis nomen ac splendorem amittere, ac falsæ monetæ fabricator, quàm Princeps appellari malit: quod à Dante Poëta Philippo Bello Regi Francorum probro datum est: quòd numismata corrupisset, ac dimidiam æris partem argento miscuisset: unde frequentes in tota Gallia tumultus, cujus facti cùm Regem serò pœnituisset, ac nummos pristinæ bonitati restituisset, Ludovicum filium admonuit, ne deinceps adulterari numismata pateretur. *Hact. ille.*

Imò nihil † post legem magis in Repub. necessarium, quàm nummorum pretium, pondus & imago *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 167. Quid enim nummus? † Mensura est commutandarum rerum. *Arist. l.* 1. *Polit. c.* 6. *& l.* 5. *Ethic. c.* 5. Primus est & ultimus in commutatione, adeoque maximè necessarius ad quotidiana commercia, & omnes vitæ usus. *Plat.* 5. *de legib.* Quis itaque non intelliget, maxima incommoda & mala ex malevola mutatione monetæ sequi? Commerciorum inde oriri difficultatem? Quis non cernit, ipsius Principis famam obscurari & lædi? Nam proba † moneta ornamentum Regis maximum est per repræsentatione imaginis Principis. Nec alia in re tanta potest ejus esse memoriæ claritas, cùm per manus hominum, nihil quoad Priucipem pertineat, tantum transeat, frequenterque versetur, quantum pecunia, ut loquitur *Cagnol. in lib. de rect a princ. educat. c.* 74. *fol.* 92. Sic in moneta adulterina † nomen & imago Principis non modò in præsentis ævi, verùm etiam posteritatis manu erubescere cogitur. *Kirchn. de Repub. disp.* 20. *addit.* 1. *ad lit. a.* sed nec falsificare monetam Princeps ex hac causa debet, quòd nimis † turpe & detestabile ipsi sit fraudem committere, & in eo reperiri, quod in alio turpissimâ morte deberet punire. *Keckerm. d. q* 20.

76 77 78 79 80

Quod

Quod autem diximus, Principi non esse integrum mone-
81 tam vertere & pervertere, id verum † exaudit *Kirchner. d. l.* sine
82 extrema Reipub. necessitate. Necessitas † enim semper excepta intelligitur. *l. 13. & 49. ff. famil. hercisc. &c.* & non æneos, seu æreos, ut apud Romanos olim. *Alexand. ab Alex. lib. 4. gen. dier. c. 15* itemque Britannos. *Cæsar. lib. 5 de bell. Gall.* (quorum illi difficillimis bellorum, obsidionum, calamitatum temporibus, non tantùm æneos aut strenuos, sed etiam scorteos, ligneos, cartaceos nummos ad tempus facere compulsit necessitas. *Wolff. Lazius lib. 1. de Repub. Rom.*) nec non ferreos, ut apud Spartanos. *Plut. in Lyc.* coriaceos, ut apud eosdem. *Senec. 5. de benefic. c. 14.* nec non papyraceos nummos, ut apud Siculos *Andr. de Isern. in c. quanto. in verbo, monetam. de jurejur. Sixtin. d. l.* admittit. eâ tamen æqui-
83 tatis † lege, ut mutatis in pristina temporibus, dispendia subditorum à Principe & Repub. resarciantur. *Covarruv. de vet. num. c. 7. Kirchner. dict. l.* referens Afflictum, qui gehennæ periculum & damnationis pœnam, in eo, nisi fiat, Principibus constitutam esse exclamat.

Etsi autem mutatio monetæ alioquin à solo Principe pen-
84 deat, non tamen ad privatum † aliquod lucrum, sed ad salutem Reipub. referri debet. *ex Oresmio Keckerm. lib. 1. syst. Polit. cap. 21. fol. 331. & in curs. d. l.* quibus in locis adducit *Gabriel Biel in lib. de*
85 *monet.* sententem, quòd Princeps in uno † tantùm casu possit quærere lucrum ex moneta, majorem ejus valorem constituere, quàm reverâ valeat ejus materia: nempè quando eget subsidio pro defensione Reipub. & subjicit: Extra hunc casum valor mutari non debet, quòd nummus sit instar legis, quam sæpiùs mutare periculosissimum est.

86 Prudens † ergo Magistratus illud in antiqua Rom. Reipub. receptum, ad suam transferat: *Nummos legitimos improbare nulli fas esto. Numisma publicè signatum nullus vitiato, neq; ad exteros mercandi causâ transferto. Marquard. Freher. in tractat. de re monet. fol. 20.*

87 Meritâ † ergò laude celebrantur Romani, quòd nullius ferè rei tantam curam & solertiam habuerint, quàm rei nummariæ

probè

Digitized by Google

probè ad posteritatem transferendæ, ut *idem Freher.* notat *lib.* 1. *dict. tract.*

Eadem † cura & industria etiam fuit laudatissimorum nostrorum Impp. dum de re monetaria sanctissimas constitutiones fecêre. Fridericus III. *Decret. Comit. Francofurt. de An.* 1442. Ferdinandus *edict. August. de Ann.* 1559. *&c.* Cujus rei causâ etiam monetæ ponderatores & probatores vulgò Wardin/ *d. decret. August. & Spirens. de Ann.* 1570. *& alibi* ordinati, qui exactissimam monetæ probandæ rationem haberent. Iisque bini quotannis indicti dies, Calend nim. Maii & Octobris, quibus cura monetariæ rei & diligentissima lustratio instituenda. *d. Constit. Ferdinand.* Talesque Græci appellarunt Zygostatas, & per singulas civitates eos constituerunt, qui suâ fide atque industriâ neque fallant, neque fallantur, ut loquitur Imp. *in l.* 2. *C. de ponderat. & auri illatione.* Sed quid leges, † inquit *Kirchner. d. l.* has constitutiones quoque referens, sine moribus vanæ proficiunt? *Horat. lib.* 3. *Od.* 2. Abusus hujus rei longè maximus: nemo tamen huc usque comminationis toties repetitæ effectum vidit. Quare his temporibus rectè applicari poterit illud, quod olim prædixit *Philippus Melanchthon.* & refert *Keckermann. d. qu.* 20. Es wird der Welt an dreyen Dingen sehr mangeln/ an Holtz/ an guter Müntz/ vnd guten Freunden. 88 89

Quò itaque major † rei nummariæ est necessitas, eò magis nummorum depravationi prospiciendum: cùm ea res incredibile afferat universis ac singulis detrimentum. *Bodin. d nu.* 380. Falsarii † & adulteratores monetæ gravissimis pœnis coërcendi, ut & illi, qui descalpendo, rodendo, vel in orbem attondendo numisma publicè signatum violant. *Keckerm. d. fol.* 331. 90 91

De jure † civili, *l.* 2. *C. de fals. monet. & jure novissimo,* in der peinlichen Halsgerichtsordnung/ *artic.* 120. falsam monetam cudentes criminis læsæ majestatis fiunt rei, ideoque ignis supplicio addicuntur, bonis omnibus confiscatis. 92

Apud Ægyptios † si qui monetam circumciderent, aut cuderent adulterinam, aut pondera vel signia immutarent, aut falsis literis inscriberent: illis manus ambæ amputabantur, ut quæ cor- 93

poris pars peccasset, etiam pœnas lueret per universam vitam. *Diodor. Sicul. lib. 1. c. 6.*

94 Sueci † adulterinam monetam colliquarunt, & in falsarios, vivos immiserunt, vel in sublimiori trabe circumligatos, per totum corpus monetâ undique splendente, his gulam fregerunt. *Olaus lib. 6. c. 13.*

95 Altera commendatio boni Principis erat circa *curam † viarum publicarum, seu tutum iter. Bartholom. Keckerman. in curs. Philosoph. disp. 31 q. 21.* Sententiam illam Principis Philippi accipit de cura, & conservatione, & refectione viarum publicarum, seu platearum, qualis cura antiquis Romanis Ædibus curulibus fuerit demandata. *l. un. ff. de via public.* verùm nos *cum Herman. Herman. in dict. addit. 1. ad lit. b.* de tuto itinere accipimus, & dicimus, operam dandam esse Principibus, ut tota regio non modò in consularibus viis, sed etiam in omnibus semitis ac locis tuta, pacata, & libera conservetur. Quò pertinet effatum Ulpiani *in l. 13. ff. de offic.*
96 *præsid.* congruit bono † & gravi præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit, quod non difficilè obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Nam & Sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere; receptoresque eorum coërcere, sine quibus latro diutiùs latere non potest.

97 Tertia laus & nota erat *à fide † promissi.* Rectè siquidem
98 Alphonsus † Rex Hispaniarum dicere solebat: Tantum valere debet apud Regem verbum simplex, quantum privatorum hominum jusjurandum. *Panormitan. l. 1. de dict. & fact. Alphonsi apoht. 58. & Isocrates in Orat. ad Nicoclem de Reg. institutis:* Perpetuò, ait, tantùm studium & reverentiam præ te fer, ut tuis verbis major sit fides, quàm aliorum juramẽtis. Animo siquidem obstringi, non aliâ quâvis arte potest. *Æn. Sylv. lib. 1. com. c. 58.* Hæc de notis, à quibus bonum Principem Landgravius commendavit.

Gregor. Tholozan. lib. 10. de Repub. c. 1. num. 3. officium Re-
99 gis in hoc etiam consistere arbitratur, ut sit amator † & conservator pacis. *& Æn. Sylv. de ort. & auct. Imp. Rom. c. 3.* Princeps pa-
cem

cem suis subditis, & sibi tutum tranquillumque regnum parabit. Hinc *Seneca Tragœdus* encomium optimi Imperatoris his voluit comprehendere versibus:

Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere Patriæ, parcere civibus,
Ferâ cæde abstinere, mores regere,
Reddere orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus, petitur hâc cœlum viâ.

Serenissimus etiam Rex Britanniæ Jacobus Sextus in δώρῳ βασιλικῷ ex 6. *Æneid.* filio suo Henrico commendat versus illos Virgilii:

Tu regere Imperio populos Romane meméto,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere nomen,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Quare Princeps pacem † & concordiam inter subditos 100 suos fovebit, litium & discordiarum semina, stirpes & fibras omnes tollet, dirimet, & extirpabit ab ipsis radicibus. Summoperè † enim civitati expedit, ut una sit omnium civium in amicitia 101 conspirantium fides ac voluntas. Sic suadet *Aristot. l. 5. Polit. c. 4.* discordias † potentium & inferiorum Magistratuum tollendas 102 esse, quia trahăt ad se, & in partes universum populum. Valeat ergo † *Machiavell. in discurs. c. 4.* dissidia & factiones civitati com- 103 modas esse existimans, adeoque alendas, refutatus à *Keckerman. in curs. disp. 31. quæst. 5. &c.*

Ad publicum munus Magistratus pertinet quoque procuratio † mediorum ad vitę civilis commoditates necessariorum, 104 ut est inspectio & cura commerciorum regni, quæ versatur circa eorundem res, personas, locum, tempus. *Althus. in Polit. cap. 27.*

Digitized by Google

105 Rerum † importatio debet esse facilis & expedita, scilicet illarum rerum, quæ ad quotidianum victum & vitam sunt necessariæ: Contra impedienda importatio rerum, quarum usus, imitatio, vel tractatio est noxia, & bonos civium mores corrumpit, quales sunt pigmentariorum, cupedinariorum. *idem cod. c.* ubi
106 impediendam † monet exportationem rerum, ad victum necessariarū in Regno, ne penuriâ Regnicolæ laborent, maximè tempore importuno, aut caritate imminente. Econtrà videndum, ut faci-
107 lior † sit exportatio & distractio rerum non necessariarum, superfluarum, inutilium, vel abundantium.

108 Jure † civili cautum quoque est, ne ad barbaros hostesve ex Regno transportentur res & arma, quibus illi contra nos uti possint. *l. 1. & 2. C. quæ res export. deb.*

109 Quò autem merces undique apportentur, mercatus † seu nundinæ frequentes & solennes institui debent: & simul præcavendum, ne necessaria ejusmodi à mercatoribus anticipentur, ne cariora fiant.

110 Nundinæ † à nono die Romæ sunt dictæ, quasi novendinæ, quòd ex celebratæ fuerint. *Macrob. 1. Saturnal. 16. Columell. 1. de re rust.*

111 Usus † nundinarum non utendo 10. annis amittitur. *l. 1. ff. de nundin. Geil. 2. observ. 60. num. 1.* De jure verò Saxonum annis demum 31. per non usum. *Schönborn. lib. 4. Polit. cap. 31.* Hæc circa res.

112 Personæ † commercia exercentes tales sint, quibus jure permissum est negotiari, non proditores vel exploratores regni, & corruptores civium. *d. l. 4. C. de commerc.*

113 Locus † erit aptus, idoneus, & tutus. Quare, juxta verbum Landgravii Magistratus ad ejus accessum præbeat secura & libera itinera, portus, &c.

114 Tempus † relinquitur in arbitrio negotiantium. Nundinarum tamen seu mercatuum tempus commodius videtur, quod in illud anni tempus est rejectum, quo solet esse serenum, tranquillum, sine pluviis, frigore, vel magna nive. *Althus. d. c. 27.* quod etiam providendum monet, ne dies cultui divino destinatus merci-

bus

bus illis tribuatur, & negotiis hisce profanis profanetur. *Nehem. c. 13. à v. 15. usq. ad 23. Exod. c. 20. v. 8. 9. & 10.*

Sine quibus commercia † commodè exerceri nequeunt, sunt mensura, pondera, & statera publica, à Magistratu approbata. De his autem præcipit Dominus *Levit. c. 9. v. 36.* statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, *& Deut. cap. 25. v. 13.* Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus. 115

CAPUT X.

DE OFFICIO MAGISTRAtus Oeconomico.

DEscripsimus modò officium magistratus publicum: ordo requirit, ut dispiciamus de œconomico, † cujus ratione constitutorum subditorum salutem procurare tenetur. Quod officium ἐν πλάτει & latè *Oeconomicum*, vel *quasi* dicitur. Nam doctrina de Officio Oeconomico speciﬁcè & propriè sumpto, ex lege κατ' αὐτὸ pertinet ad Oeconomiam. Hîc autem officium Magistratus considero, non quatenus privatam domum seu aulam spectat, sed Rempublicam, adeoque publicam etiam utilitatem: ad quam se Princeps habet tanquam publicus paterfamilias ac provisor, inque illa, veluti magna œconomia ea procurat, quæ ad suorum subditorum valetudinem, & sustentationem pertinent. 1

Curam † ergo & regimen illud circa horum nativitatem, & sanitatem constituit *Kekerm. lib. 1. syst. Polit. c. 8.* nec non educationem *c. 9. Christian. Matthiæ Colleg. 1. Polit. disput. 5. th. 5.* circa nativitatem, sanitatem, & annonam seu victam. 2

Curam Nativitatis † dicunt, ut subditi legitimè nascantur: id quod tùm fit, quando legitimum contrahitur matrimonium. Ergo attendendum † monent, quinam legitimè nascantur: & pro- 3 *Cura nativitatis.* 4

prohibendum severè, ne Respublica spuriis repleatur. Ubi & hoc
5 magistratui incumbit, ut obstetricum † habeatur ratio, & publicâ auctoritate delectus earum instituatur. *Keckerm. fol.* 176. *à pr.* ad exemplum scilicet Pharaonis Regis Ægyptiaci, in officium & operas obstetricum singulariter advertentis. *Exod.* 1. *vers.* 15. *& seqq.*

Cura sanitatis.

6 Quòd *sanitatis* † subditorum Princeps curam gerere debeat, monet *Arist. in Polit.* dicens: Quemadmodum boni patrisfamiliâs munus est, ut suis de sanitate prospiciat liberis: sic etiam boni Principis est opus, ut de subditorum suorum valetudine sollicitus sit.

7 Sanitatis causæ † constituuntur tùm principales, tùm minùs principales.

8 Principales † sunt quatuor: 1. salubritas aëris. 2. salubritas aquæ. 3. cibi. 4. & medicamentorum.

9 De aëris † & aquæ salubritate diximus supra lib. 1. c. 3. nu. 19. & multis seqq.

10 De salubritate ciborum † hunc Canonem proponit *Keck. d. c. 9. fol. 181. in fin. & in curs. Phil disp. 30. q. 7.* Provideat Magistratus, ne carnes aut pisces corrupti, contagiosi, & putridi publicè vendantur, ne fructus immaturi sub initium autumni immaturiùs usurpentur: ne denique cupediarii cupediis suis ac deliciis nimis valetudini subditorum noceant. Utque flumina limpidiora & salubriores aquæ in urbem deriventur, ut tubi & fistulæ quàm purissimæ serventur, ne cibi aliàs salubres cocti, aquis insalubribus corrumpantur, morbosve causentur.

11 Circa medicamenta † Principem operam dare jubet, ut ea probata in Rempublicam importentur, atque eo fine certis ac statis temporibus curet lustrari Pharmacopolarum officinas.

12 Minùs † principales seu ministeriales causæ sunt Medici, & provisores sanitatis, quos Princeps, cum hisce curis omnibus ipse solus non sufficiat, ceu ministros constituit in ordinandis iis, quæ ad publicam sanitatem pertinent. Hi † nullo non tempore sunt constituendi, iisque opera impensiùs danda, ut quod monet *Francisc. Ripa in tract. de Pest.* Plateæ, atque adeò omnia civitatis loca, tàm

Digitized by Google

tam publica, quàm privata fiat mundissima, nec putridis hinc inde repleta, aut infectis scatentia: vel denique cadaverum mortuorum aut sepulchrorum apertorum fœtoribus plena, ne malis istis odoribus aëris oriatur infectio, & sic pestis sequatur, *Keck. d. q. 7.* idem cavetur *in l. 2. §. 29. ff. ne quid in loc. public. & in L. unic. ff. de via publica*, in qua stercoribus, odoribus pestilentibus, & morticiniis prohibendis olim apud Romanos constituti ædiles. Quod etiam testatur *Francisc. Patrit. lib. 3.* dicens: Fuit ædilium cura apud Romanos, ut viæ publicæ adæquarentur sternerenturque, ne quid in illis ædificaretur, quod usui ornamentoque obesset: Aquarum ductus, publicæque cloacæ ut purgarentur, pontesque reficerentur, eis demandatum est: venditiones, emptionesque ut fierent sine dolo malo curabant, redhibitionemque præstabant morbosi pecoris, morbosique insani servi venatici. Apud Venetos † certi 13
ex Magistratu constituuntur, quorum munus est, providere, ne quid putridum & fœtidum, aut quod incolumitati civitatis officere possit, vendatur, *Quirinus Piso in lib. de Roman. & Venet. Magistratuum comparat.* Inprimis † tamen tempore pestis, aut aliorum 14
morborum contagiosorum seu epidemicorum ejusmodi provisores ordinandi, ut diligentissimè provideant, ne ex locis infectis contagio attrahatur, & in civitatem serpat: aut si hoc factum fuerit, operam dent, ne longiùs virus vagetur. Ubi *ex Contareno lib. 4. de Repub. Venet.* refert *Christ. Matth. d. disp. 5. th. 18.* quod, postquam illis Magistratibus hæc cura in Repub. Venet. demandata fuerit, numine divino favente, nulla penè pestilentia grassata fuerit. De officio Magistratus tempore pestis videatur *Côler. in Oeconom. lib. 9. cap. 6. Kesler. de officio Juridico-pol. l. 2. c. 21.*

Tertia cura Magistratus constituebatur *circa Annonam* † seu 15
rem frumentariam, cujus curam diligentissimam habebit. Neque enim saturo populo, ut dixit olim Aurelianus, quicquam potest esse lætius. Quid verò, ut scribit *Kekkerman. d. disp. 30. q. 8.* periculosius famelico populo, quem non arma, non Magistratus, non jura divina aut humana, non leges, non pudor aliquis coërcere valet, juxta illud Lucani:

Cura annonæ.

Nescit

Neſcit plebs jejuna timere.

16 Conſtituenda † itaque publica granaria, frumentorum copia, tempore uberrimorum annorum illic reponenda, quæ neceſſitatis uſui reſervetur, & difficilimis temporibus ſuccurratur ſubditis, quibus eo beneficio ſe gratiſſimum Princeps reddet, *Petrarch. de Repub. optimè adminiſtranda. & Keckerman. d. q.* 8. ſic ſuadet: urgente annonæ caritate publica aperientes horrea, inprimis pauperum patribus ad opus faciendum neceſſariis, affectorum curam habeant, eosque ex publico gratis alant, reliquis verò validis in privato occupatis rerum communione frumentum communicent, in publico verò opus facientibus pro labore frumentum ſolvant, ditioribus denique certo pretio vendent. *Hæc ille.*

Sic Joſephus frugum abundantiam in ſingulis urbibus condidit, *Gen.* 41. *v.* 47. *&* 48. ſic Roboamus, filius Salomonis in civitatibus munitis ſui Regni horrea ciborum, ſeu, ut D. Hieronymus reddidit, frnmentorum, hoc eſt, olei & vini, 2. *Paralip.* 11. *v.* 11. ſic Ezechias juſſit parari horrea in domo Domini, quò primitiarum reliquiæ in futuram neceſſitatem reconderentur, 2. *Paralip.* 31. *v.* 11. *&* 12. Sic Romanis ſumma annonæ cura ſemper fuit. Ex Africa & Ægypto, aliiſque Provinciis Romam vehebatur frumentum ad alimenta civium: quam vectionem tranſmarinam vocat *Tacit. lib.* 13. Julius Cæſar bellis Germanicis intentus, ne populus fame laboraret, Romam eſt reverſus, & frumentum in annonæ difficultatibus leviſſimo pretio, interdum nullo, viritim populo diſtribuit, *Cagnol. de rect. princ. inſt. c.* 78. Marcus Antoninus Philoſophus Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit, omnique frumentariæ rei conſuluit, & graviter providit, *Jul. Capitolin. in ejus vita.*

Horum exempla imitatus Caſimirus Rex Polon. annonæ penuriam & famem inſignem Anno 1362. copiâ frumenti prudenter mitigavit, *Herbortus lib.* 10. *hiſtor. Polon.* Idem quoque in Repub. Venetorum obſervari, teſtis eſt *Contaren. lib.* 4. *de Repub. Venet.* & in Norica, (quæ Venetorum optimè conſtitutæ Ariſtocratiæ

tiæ vestigium quàm proximè exprimit) in cujus granario trecentorum annorum acervos sibi ostensos fuisse, scribit *Kirchn. de Repub. disp. 21. th. 1. ad lit. b.*

In hunc usum constituendi † præfecti annonæ, horreorum publicorum inspectores & visitatores, iique sapientes & industrii, *Gen. 41. v. 33.* qui frumentum colligant & condant, atque ab omni carie & corruptione illæsum conservent, quod fiet, si suo tempore vetus eruatur & vendatur, inque ejus locum novum recondatur, *Keckerm. in curs. Philos. disp.* 30. *q.* 8. scilicet juxta præceptum Imperatorum Valentiniani & Valentis *in l. 2. C. de conditis in publicis horreis*, ubi ita rescribunt Authemio præsidi: Cùm ad quamlibet urbem mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputatæ & incorruptę species præbeantur. & exemplum Romanorum, apud quos præfectus annonæ erat constitutus, ad cujus officium pertinebat, ut annona urbi prępararetur, & ubivis panis copia redundaret, pondereque justo venderetur. *Novell.* 88. *Vultej. l. 1. Jurisp. Rom. c.* 12. Pharaonis Regis Ægyptiaci, qui Josephum talem præfectum constituit, *Gen.* 41. *v.* 40. *& seq.* Itemque Nehemiæ, qui similiter fideles super horrea constituit, *Nehem. c. 13. v. 13.* 17

Antiquitus † qui frumento publicè emendo erant præpositi, *Sitonas* dixêre & Sitoniæ munus, id est, frumentationis, *Budæus in l. numerum. §. 1. ff. de mun. & hon. l. 2. ff. de vacat. & excus. mun.* Apud Athenienses dicebantur *Fori curatores*: apud Venetos hodiè *Cereales*, item *Provisores*, de quibus utiliter monet *Keckerm. d. c. 8. fol. 186. & in curs. Philosoph. disp.* 30. *q.* 8. ut pro tempestatis & annonæ ratione de rerum pretio statuant, ne vendentium arbitrio æstimentur, sed justo pretio distrahatur, atque inprimis apud eos, qui panem & potum vendunt, exemplo Hollandorum, apud quos certis temporibus publicè proclamatur, quanti pistores panem vendere debeant: & Venetorum, apud quos veteris justitiæ ædiles cibariis pretium adscribunt. 18

Quò tamen difficultas † & caritas annonæ, quantùm industriæ & diligentiæ humanæ est, præcaveatur à magistratu, hoc agat, ne frumentum exportetur in magna copia, sed advehatur po- 19

K tiùs

tiùs permutione factâ è vicinis regionibus. *Patrit. de Repub. tit. 11.*

20 Imò cogat † eos, ut *post Guerinum Pisonem* monet *idem Keckerm. d. q. 8.* qui frumentum possident, ut vendant, quod proprio usui superest, nec patiatur ex doctrina *Guilielmi Postelli*, ut quis civium plus frumenti viniq; quæstus causâ apud se reponat, quàm rerum illius usus exposcere videtur: usque adeò privatus illis census sit brevis, commune verò bonum magnum.

21 Annonæ quoque flagellandæ † ansa omnis est præcidenda, quod fiet, si pœna severissima statuatur in annonæ flagellatores, qui faciunt, ut annona (cujus appellatione frumentum, panis, caro, acetum, vinum, lardum, oleum, legumina, & si qua sunt alia, *Althus. in Polit. c. 27.*) gravior & carior fiat ad privatam utilitatem, *l. 2 ff. ad L. Jul. de annon.* Dardanarios, annonam attemperantes, vexantes, onerantes, *Decian. in crim. tract. lib. 7. c. 22.* quorum avaritiæ obviam itum est tam mandatis quàm constitutionibus, *l. 6. ff. de extraord. crim.* Dicti a. sunt Dardanarii, *secundùm Cujacium, & Basil. Fabrum in thesauro*, à Dardano Mago, qui magicis suis artibus sterilitatem agrorum ac famem induxit: ita ut ejusmodi Dardanarii similes sint, imò pejores istis Pythonicis mulieribus, imò publicis homicidis. Nam vita & victus pari passu ambulant. *Keckerm. d. c. 8. fol. 188. in fin.* Item in usurarios, propolas & similes, quibus *Althus. d. c. 27.* annumerat laniones, qui carnem inflant, ut frustra graviora, majora & elegantiora appareant, idque ea de causa, ut cariùs distrahant & vendant, pistores, coctores, caupones, & similes negotiatores, qui clam inter se, multis collatis ad hoc consiliis, procurant, & statuunt aliquid, quod ad proprium commodum spectare videtur, in detrimentum & perniciem Reipub. eorumque variis technis monopolium redolentes certas leges constituendas monet.

22 Cura miserabilium personarum.

Non solùm a. de subditorum prosperâ adhuc valetudine utentium sustentatione Princeps erit solicitus, sed vel maximè *miserabilium* † *personarum*, quæ nihil acquirere, & certum vitæ genus sectari non possunt: & de certis reditibus providebit, quibus illæ ordinariè possint sustentari, idque non tantùm mandato divino: sed & propter decus Reipubl. Neque enim major est nota Reipub.

Digitized by Google

pub. malè constitutæ, quàm si multæ miserabiles personæ in ea oberrent, & subsidia vitæ non inveniant: quæ res etiam maximam confusionem in Repub. parit, *Keckerman. in syst. Polit. c. 14. fol. 254.*

Prudenti † ergo consilio in benè constitutis Rebuspublicis 23
miserabilium personarum receptacula & Collegia fundata sunt, de quibus *lib. 1. Cod. tit. 2. de sacrosanct. Eccles. & tit. 3. de Episcop. & Cleric. Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 11. Schönborn. lib. 3. Polit. c. 18.* Scilicet ORPHANOTROPHIA, quæ educant minores, parentibus & substantiis destitutos, *l. 32. C. de Episcop. & Cleric. l. 17. C. de sacrosanct. Eccles.* BREPHOTROPHIA, quæ alumnos habent infantes, præsertim expositios, *l. 19. & l. 22. eod. tit.* PTOCHOTROPHIA, in quibus aluntur mendici & pauperes, *d. l. 19. & 22.* XENODOCHIA, quæ advenas, ægrotos, inopes, debiles, invalidos, qui sibiipsis per laborem de alimentis prospicere non possunt, hospitio excipiunt, *d. l. 22.* Et talia Xenodochia sive Hospitalia laudatissimè instituta sunt apud Amsterdamenses & Argentinenses. NOSOCOMIA, quæ valetudinarios, GERONTOCOMIA, in quæ recipiuntur senes, *l. 16. & 18. C. de sacrosanct. Eccles.*

Hoc nomine † *Bodin. lib. 3. de Repub. cap. 8. num. 361.* com- 24
mendat Parisienses, qui sanos aut ægrotos humaniter alunt & curant: parentibus ac bonis orbatos pueros ac puellas partim literis, partim mechanicis artibus quatuor distinctis Collegiis præter Nosocomium maximum maximisque opibus auctum studiosissimè erudiunt.

Morbis † quoque contagiosis constituenda esse NOSODO- 25
CHIA, vel LEPROSARIA, tradit *Kirchn. de Republ. d. th. 1. ad lit. c.* & talia fuisse constituta, sacra pagina docet.

Sed & mentis † impotes & insanos Magistratus in Republ. 26
oberrare non sinat: sed certis ad eam rem destinatis domiciliis sive ergastulis includi, *Keckerm. c. 14. in fin.*

Hæ personæ † variis utuntur privilegiis, iisque quibus Ec- 27
clesia, de quibus passim *sub d. tit. C. de Episcop. & Cler.*

Illi v. qui ad curanda † debilium corpora deputantur, para- 28
bolani dici solent, *l. 18 eod. tit.* quòd fortè inde confictum, scribit

Digitized by Google

Schönborn. dict. cap. 18. quod sese audacter periculis omnibus objicerent, neque ullius quantumvis pestiferi morbi contagionem timerent. Nam παράβολα, inquit, dicuntur à Graecis, quae summis periculis objecta sunt.

29 In hunc pium usum Magistratus provideat † de certis reditibus, quibus personae miserabiles ordinariè possint sustentari, *Keckerman. d. c.* 14. *fol.* 214. Ita Julianus Augustus Paganos Pontifices Christianorum exemplo ad Nosocomia & Xenodochia extruenda, ac publicis privatisque opibus augenda cohortatur, *Nicephorus Callistus, & Aristot. l. 6. Polit. c. 9.* monet, ut divites, qui facultatem faciendae mercaturae habent, egentibus ad necessitatem vitae suggerant, & libenter largiantur, unde piè Ludovicus VIII. Rex Franciae, qui multa pupillis ac tenuibus viduis testamento legavit, *Bodin. l. 6. c. 2. num.* 691. *fol.* 1002.

Ut autem sustentationis habenda est ratio universim: ita

30 *& singulis,* † *suus ut dimensus sit labor*, curandum est, *Dn. Besold. class.* 2. *disput. Polit.* 4. *th.* 4. Nam grave est in Repub. vel unum otiosum alere, *Xenoph.* 2. *Cyropaed. & Keckerm. l.* 1. *syst. Polit. c.* 10. *fol.* 209. Magistratus, inquit, sedulitatem inprimis inter subditos suos conservet, & hominem otiosum nullum in Repub. ferat: talem nempè qui laborare adhuc possit vel debeat, ut qui aetate est

Otiosi in Repub. non ferendi?

31 integrâ, & valetudine bonâ. Nam quid otium? † est ἀταξία quaedam contra legem & voluntatem Dei, praecipientis, ut homines in sudore vultus sui panem quaerant, *Gen.* 3. *v.* 19. *& apud Jobum c.* 5. *v.* 7. dicitur: Quod homo ad laborem nascatur, sicut avis ad volandum. Ex sententia *Divi Augustini* otium est pulvinar & balneum diaboli, ex voce *D. Bernhardi cap.* 5. *de vita Christiana*, cogitationum & tentationum malarum incentivum. Homines siquidem nihil agendo, malè agere discunt. Quò spectat etiam dictum Gersonis *in opusculo de remediis contra pusillanimitatem*: Cor otiosi hominis est instar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu est, molit & consumit seipsum. Hinc, dum isti homines fugiunt labores, quibus honestè, si vellent, victum sibi comparare possent, plerumque

Digitized by Google

quę sunt improbi, leves, fraudulenti & petulantes. Sed & perniciosi sunt sibi & toti Reip. dum tempus otiando & vagando miserè perdunt: & instar fucorum circa alvearia volitantium, aliorum domos perreptant, stipemque ab aliis importunè & impudenter extorquent, *Timpler. lib. 1. Polit. c. 5. q. 16.* præter experientiam, idem hisce verbis testatum facit, *Bodin. lib. 5. c. 2. num. 357.* Nihil in Republ. tàm perniciosum, quàm otiosorum ac tenuium hominum huc illuc errantium multitudo: & qui privatorum bona diripiunt, & in eversione Reip. spem omnem fortunarum suarum posuerunt. Unde & *Lips. lib. 4. Polit. c. 11.* scribit: quod otiosorum hominum multitudo facilè mutationem Reipubl. causari possit.

De detestabili vitio, otio nimirum, multa exempla & morales doctrinas inducit *Camerar. cent. 1. hor succisiv. c. 15. & cent. 2. c. 32.* docet, otium, inertiam, desidiam, multò deteriora vitia se ipso parere, unà cum encomio laboris, cum quo confer *cap. 33.* de odio otii & amore laboris.

Quis igitur civitatis † sentinas & catharmata, ut *à Schönborn. lib. 3. c. 19.* vocantur, è Repub. non tollenda velit? Imò † non 32
modò tolli, sed etiam omnes otiosos occidi sanxit gravis illa lex 33
Draconis sanguine scripta. Amasis † Rex Ægypti legem tulit, ut 34
singuli quotannis apud Νομάρχην, id est, cujusque præfecturæ præsidem profiterentur, unde viverent: qui autem hoc non faceret, aut certum genus vitæ præsidi approbare non posset, extremo supplicio afficeretur. *Herodot. in Euterpe. Alexand. ab Alex. l. c. 1. Diodor Sicul. lib. 1. Ælian lib. 4.* Hanc legem Solon † ex Ægypto 35
mutuatus Atheniensibus promulgavit, ut testatur *Camerar. d. cent. 1. c. 15.* qui dum in suis legibus inertem turpemque ignaviam severissimè in hunc modum culpavit: Qui desidiam sectatus est, is accusantibus esto obnoxius. Mitiùs † tamen Areopagitæ Athe- 36
narum judices rationem vitæ à quovis exigebant, ita ut exponere cogeretur, unde & quomodo suos alere posset, *Athenæ. l. 9.* Refert *Thomas Morus in Utopia l. 2. tit. de artificiis,* quod in ea Repub. nemo civium non sit deditus artificio, quodque nulla sit usquam otiandi licentia, nullus inertiæ prætextus, nulla taberna vinaria,

nulla cerevisiaria, nusquam lupanar, nulla corruptelæ occasio, nullæ latebræ, conciliabulum nullum, sed omnium præsentes oculi necessitatem aut consueti laboris, aut otii non inhonesti faciant. Hunc populi morem, addit, necesse est omnium rerum copiam sequi, atque ea cùm ad omnes æquabiliter perveniat, fit, ut inops esse nemo aut mendicus possit. Econtra verò mater egesta-
37 tis inertia est, secundùm tritum illud. Nec Chinenses † ullum ferunt vagabundum & otiosum. *Boter. part. 1. lib. 2. Cosmograph. in descript. regni Chinens.*

38 Olim Romæ † censoribus id negotium datum fuit, ne quis
39 otiosus in urbe oberraret. E re igitur civitatis † & salutis publicæ maximè foret, si prædictarum aliarumque laudatissimarum Rerumpublicarum exempla hodiè adhuc in imitationem traherentur, moreque Romanorum crearentur, qui in otiosos homines animadverterent, eosque examinarent; exinde enim multa bona redundarent in Rempub. Nam compertum est, hâc inquisitione sæpissimè detecta gravia scelera, *vid. Camerar. d. c. 15.*

40 Sed & remedium majus † esse nullum potest, alibi scribit *Bodin.* quàm hujusmodi homines, qui propter desidiam in otio vivunt, & in sua turpi inertia voluptatibus diffluunt, è civitate ad bellum emittere, & veluti pravis ac corruptis humoribus plenum corpus evacuare.

41 Nec improbandum, sed omnibus † meritò Rebuspublicis imitandum judicatur Amsterdamensium in coërcendis otiosis nepotulisque consilium, quo laborantes occulto illo malo, quod pigritiam vocant, aut alioqui degeneres & efferos, includunt in quendam honestiorem carcerem, & ergastulum, vulgò das Zuchthauß/ ibique cogunt aut acanthinum lignum (Brasilianum vulgò appellant) in scobem tenuissimam tynocnesti comminuere, aut pannos bombasios contexere, aliaque tractare, procul vel ingenium vel artus cujusque ac robur suadere videntur, usque dum ad frugum perveniant, *post Isaacium Pontanum in histor. Amsterd. l. 2. c. 11. Matth. Berneg. dodec. 3. in Tacit. q. 2.*

42 Quæ hactenus in medium attulimus, *de otio inhonesto* † accipienda sunt, cui dediti sunt illi, qui integrâ ætate, integris viribus,

bus, cùm nihil possideant, laborare tamen sibíque victum acquire-
re nolunt. *Keckerman. in curs. Philosoph. disput. 30. quæst. 11.* in hos
Princeps animadvertet, & curabit, ut quilibet habeat negotia
sua, quibus à malo publico retineatur, ut apud *Lipf. lib. 4. cap. 11.*
monet *Salust.* non verò de *otio honesto,* † in quo vivunt, iterum in 43
duplici sunt differentia. Primò *sedentarij* † seu *viri literati*, qui 44
licet corporis viribus nihil operentur, & vulgò *otiosi* dicantur, ta-
men longè difficiliores labores, ac artifices & operarii subeunt.
Keckerman. d. quæst. 11. de quibus ita *Bodin. ibid.* quòd si rerum cœ-
lestium ac sublimium contemplatione mentem pascant, civium
omnium beatissimos, & inprimis ordinibus censeo collocandos.
Deinde in honesto otio degentes sunt illi, qui *reditibus* † *suis an-* 45
nuis privatim vivunt. Licet autem, inquit *Keckerm.* tales non in
Rempub. peccent, tamen & isti periculosi sunt, secundùm illud
Augustini: *semper aliquid agas.*

Eadem ergo ratione nec *mendici* † *validi* in Republ. feren- 46
di, sed eorum importunitas cohibenda. *Schönborn. lib. 3. cap. 15.* Nec mendici validi.
Nam Deus ipse per Moysen edixit, ne mendicus in populo Israëli-
tico reperiatur, *Deut. 5. v. 4.* Quæ lex Judæis erat lata, sed Christi
tempore mendicantium magna fuit copia. *Luc. 16. v. 20. & cap.*
18. v. 35. Johan. 9. v. 8. Act. 3. v. 2. unde colligitur, depravatum il-
lius Reipub. statum & degenerantem à primis legibus isto tempo-
re fuisse. *Schönborn. d. c. 15.* Et lex *Platonis* fuit: Nemo in nostra
civitate mendicus esto: si quis tentaverit & miserabilibus preci-
bus stipem victumque collegerit, eum præfecti è foro, ædiles totâ
urbe, agrorum præfecti totâ regione exterminent, *lib. 11. de legib.*
& l. 8. ait: Quemadmodum fucus apum, & pituitâ hominis est
morbus, ita mendicus pestis est Reipub. ut ubi multi conspiciun-
tur mendici, ibi etiam inveniantur fures, latibula quæritantes,
crumenisecæ, sacrilegi & hujusmodi scelerum artifices. Quàm
mira interdum in iis lateat calliditas & impostura, insigni hi-
storia *ex Damhoudio in prax. crimin.* enarrat *Camerarius dict. cent.*
1. cap. 16.

Similis ferè est Constitutio Impp. † Gratiani, Valentiniani, 47
& Theodosii, *in l. unic. C. de mendicant. valid.* itemque Caroli Magni
ita

Digitized by Google

ita præcipientis: Mendici per regiones vagari non permittuntur: suos pauperes quæque civitas alito: illis, nisi manibus operentur, nullum quicquam dato, &c. Quod si enim ex constitutione Imperatoria, *l.* 5. §. 7. *ff. de libert. agnoscend.* filius, qui ex industria sua potest victum quærere, non est alendus à patre: multò minùs ferendus, & damno aliorum impinguescendus is erit, qui bonâ corporis habitudine præditus suo se labore sustentare valet? cùm tenues liberti filios olim exponebant, ut Christianorum benignitate ac largitione educarentur, sanxit Imperator Gratianus *in l.* 1. *& seq. C. de infantibus expositis liberis & servis*, ut servitutem servirent iis, à quibus educati fuissent. Huc etiam spectant recentiores Imperii Constitutiones, quibus sancitum & provisum, ne segne, futile & inutile, & velut ex rapto vivens, ejusmodi genus hominum in societate humana feratur, sed exulare jubeatur. In eam est *Reformatio Augustana* Von guter Policey / *de Anno* 1530. *& Anno* 1548. *Francofurt. de Anno* 1577. *tit.* Von Bettlern vnd Müssiggängern.

Apud Thuanum extat, & refertur *à Dn. Berneggero d. l.*
48 Constitutio † Henrici II. Regis Gallorum, de consilio Francisci Olivarii, summâ prudentiâ viri promulgata in hunc modum: Quia Lutetiani, quò se à mendicorum molestia liberarent, eos sponte sibi indicto tributo alebant, eò fiebat, ut genus hoc hominum inertiæ deditum ex omnibus Regni partibus, quasi præmio invitati confluerent: igitur Rex edicto mandat decurionibus, ut publicis operibus mendicos validos exerceant: Cæteri qui aut morbo impediantur, aut mutilo corpore ad laborem sint inhabiles, Prochotrophiorum opibus sustententur: nullibi in publico ad stipem flagitandam permittatur. De cura & sustentatione debilium & ægrotorum apud Parisienses testimonium etiam *Bodin. lib.* 3. *de Repub. cap.* 8. *num.* 361. supr. adduximus: Ubi & hoc testatur, quòd robustos ac valentes operibus publicis urgeant: simulque suadet, ut ingens ille numerus otiosorum hominum, qui nec bello, nec pace ullis artibus aut disciplinis implicantur, è civitatibus exterminentur, aut publicis operibus adhibeantur.

Parisiensium exemplum prudenter imitatus est Senatus

cus †Argentinensis, cujus decretum publicatum & à suggestu proclamatum memini Ann. 1615. quo ignavi & validi mendicantes vel è civitate ejecti, vel ad operas publicas ire jussi sunt; Senes verò & debiles in hospitalia recepti. 49

Rectè ergo monet †*Keckerm. d. c. 14. fol. 255. & in curs. d. q. 12. fol.* 425. ut magistratus constituat certum genus ministrorum & apparitorum, qui vagabundos illos & ignavos mendicantes aliis ex locis accedentes observent, eos in civitate stipem mendicando petere non sinant, sed in Xenodochium deducant, ibi eos examinent, hospitiumque & victum per unam noctem suppeditent, matutino verò tempore statim è civitate educant. Deinde *fol.* 426. hoc consilium suggerit, debere magistratus etiam prævidere, ne quemvis civitatis jure donent, nisi qui certum habeat vitæ genus, unde se sustentare, suumque officium administrare possit, ne ad egestatem brevi redactum ex publico alere cogant, atque ita pauperes cumulentur. 50

Expreßè autem dictum est: *validos mendicantes*, qui robusto sunt corpore, validisque lacertis, non esse ferendos: *tales* †enim sunt, qui mendicandi victus quasi artem quandam factitant, & ita ignaviam potiùs, quàm laborem sectantur. Sic etiam *Basilius in Psalm.* 14. adductus *à Camerario cent.* 2. *cap.* 74. *fol.* 294. mendicorum vult delectum haberi. Nam qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti, ulcera corporisque mutilationes quæstus causâ prætexunt, his non oportet suppeditare, aut exiguo dono eorum latratum depellere, ne ad ignaviam & malitiam sumptus suppeditentur, sed veris & exploratis pauperibus liberaliter largiendo. 51

De illis sunt versus *Plauti in Trinummo*:

De mendico malè meretur, qui ei dat quod
edat aut bibat.
Nam & illud quod dat, perdit & illi producit vitam ad miseriam.

Digitized by Google

Alio tamen versu veteri jubemur illis panem dare, & insuper pro obsonio pugnum impingere:

Δὸς ἄρτον πτωχῷ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Illud quidem, quia homini petenti negare panem vix hominis esse videtur: hoc autem, ut discant ab illa fœda parandi victus ratione abstinere, ut intelligant se omnibus bonis meritò odiosos esse, *Camerar d. c. 16. fol. 94.*

In otiosorum, vagabundorum & mendicorum classe resi-
52 dent etiam *Zygari*, † vel *Cyngari*, vulgò Zigeuner appellantur: de
Nec Zygari. quorum ortu & vitæ genere disserit *Camerar. cent. 1. cap.* 17. quòd non sint oriundi ex Ægypto & Æthiopia, ut quidam volunt, nec etiam ex Assyria & Persia: sed sunt, inquit, nihil aliud, quàm manipulus furum, & colluvies otiosorum & fraudulentorum hominum ex variis nationibus, non ita remotis, sed vicinis collecta, qui extra civitates in agris, in triviis, tentoria erigentes, latrociniis, furtis, deceptionibus & permutationibus, atque ex Chiromantica divinatione oblectantes homines, iis fraudibus victum mendi-
53 cant. Primùm Duce † Zindelo eos in Germaniam venisse Anno Christi 1417. scribit *Crantzius lib. 11. Sax. cap. 2. sed Aventinus lib. 7. Annal. Bojor. in fin.* tradit ad annum 1439. In hoc genus homi-
54 num † & erronum futile & detestabile Maximilianus I. & Albertus IV. Dux Bavariæ prout merebatur, animadvertit, *Hieronym. Ziegel in hist. illust. Germ. viror. cap. 39.* Compertum sanè est, eos proditores atque exploratores hostium esse, scilicet Turcarum: ideoque ex publica Imperii Constitutione locum in Imperio nusquam inveniunt, *in d. Reform. Polit. Augustan. de An. 1530. & 1548. Francof de An. 1577. tit.* Von Ziegennern.

Hactenus de cura Magistratus circa vitam, sanitatem, & sustentationem subditorum: cui addimus membrum ultimum,
55 *circa mortuos † & sepulturam,* cujus jus religiosum, *§. 9. Institut. de rer. divis.*
Cura sepulturæ.

Quæritur itaque: 1. An mortui sepeliendi, & quidem omnes indistinctè? 2. Quo apparatu? 3. Quâ solennitate? quo loco?

56 Ad primum membrum quod attinet: corpora † humana hone-

honorificè sunt sepelienda, ex his rationibus, adductis à *Waremun. de Erenberg. lib. 2. de fœd. c. 1. nu.* 98. Primò, quia fuerunt organa Spiritus Sancti. 1. *Corinth.* 6. *Augustin.* 1. *de Civ. Dei cap.* 12. Secundò, propter naturalem affectum. Tertiò, propter remunerationem. Quartò, propter proximi approbationem. Quintò, propter antiquorum Patrum imitationem. *Gen.* 23. 25. 35. 49. 50. *Exod.* 13. *Jos.* 24. *Tob.* 14. *Marc.* 27. Sextò, propter vitandam maledictionem. Tres inprimis rationes assignat *Christ. Matthiæ th.* 31. quarum prima, est Dei mandatum: Terra es, & in terram redibis. *Gen.* 3. *v.* 19. cum quo dicto convenit illud *Euripid. apud Cicer. in Tuscul.* Reddenda est terra terræ. Secunda, nostra erga defunctos dilectio. Tertia, nostra resuscitatio. Jurisconsultus Modestinus *in l.* 27. *ff. de condit. Instit.* scribit, sepulturam esse memoriam humanæ conditionis. Constantinus Imp. *in l.* 4. *C. de sepulch. violat.* sepulchra appellat domos defunctorum, rectiùs Judæi, qui domos viventium vocant. *è Margar. lib. de Jud. Dn. Gerbard. decad.* 8. *quæst.* 9. Quòd si ergo corpus insepultum relinquitur, contumeliâ afficitur natura, & ipse naturæ conditor, cujus mandatum sacrosanctum violatur. *Schönb. l.* 4. *c.* 5. ubi mox addit, & eos, qui meritū fuerunt suppliciū, eo naturæ beneficio nō fuisse spoliatos. Sic n. septem illos ex Saulis posteritate suspēsos, terrâ conditos legimus. 2. *Sam.* 21. Sanè privationem sepulchri pœnis annumerat *Esaias cap.* 14. *v.* 19.

Mortui sepeliendi.

Quare inhumana † judicatur assertio Theodori Philos. di- 57
centis: nihil interesse, supra terrā, an infra terram putrescat. *Senec. de tranquil. ani. c.* 14. *Cic. in Tusc.* Itemq; Diogenes † inhumatum se 58
abjici jussit baculo tantùm apposito. *Stob. serm.* 121. Siquidem insignium virorum sepulchrum est universa terra, ut dixit *Thucyd. l.* 2.

Barbaris † hoc in more fuit positum, ut sepulturam susque 59
deque habuerint. Sic etiam Albani nefas putabant curam mortuorum agere, *Cassanæ. p. 2. glor. mund. conf.* 5. Colchi defunctos suos de arbore suspenderunt, *Apollon. lib.* 3. *Argon. hist. Nicolaus de moribus varijs gentium.* Idem fertur de Parthis, Bactrianis, & Caspiis, *Bonfin. lib.* 1. *rer. Ungar. decad.* 1. Hircani canibus objecerunt. *Cæl. Rhodig l.* 9. *lect. antiq. c.* 47. Persæ avibus & canibus, *Herod l.* 1. Massagetæ & Berbitæ parentes, propinquos, cognatosque, ubi ad

Digitized by Google

multam senectutem venissent, & aliquo casu mors esset visa appropinquare, mactatos ante magnifico apparatu devorarunt, hâc ratione allatâ: quod pessima esset æstimanda hominum conditio, à vermibus devorari, *Herodot. l.1. Hieron. contra Jovin. cap.36.* Indæ suos cremabant. Et cum more patrio complures uxores eidem nuptæ essent, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maximè dilexerit: victrix gaudio exultans, deductaque à necessariis lætum præferens vultum, conjugis se flammis superjacet, & cum eo tanquam felicissima crematur: superatæ cum tristitia & mœrore in vita remanent, ut his verbis memorat *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 6. num. 14.* Cremabant itidem Romani, quod tamen veteris instituti non fuisse, testatur *Plin. lib. 7. histor. nat. cap. 54.* Sic Claudius Tiberius Nero Romanæ publico funere crematus est, *Cuspin. in ejus vit.* Artomisia cinerum mariti bibisse legitur, ne violentiâ mortis separaretur ab eo, quem vivum perdidius seipsâ dilexerat. Lotophagi & Ichthyophagi in mare projiciebant, *Alexand. ab Alex. lib. 3. genial dier. cap. 2.* Hyberborei verò senes in mare prosiliebant. *Plin. lib. 4. c. 12.*

Cùm igitur pium sit mortuos sepelire, ut docet etiam *Ca-*
60 *merar. cent. 3. medit. cap. 99.* hinc rectè constitutum, ne ob† debitum sepultura impediatur sub pœna amissionis debiti. *l. 6. C. de sepulch. violat. l. 3. §. 4. ff. eod. l. 38. ff. de relig. & sumpt. fun. Geil. in tract. de arrest. c. 11. n. 28.* Quamvis Ægyptiis fuerit permissum, cadavera dare pignori, *Herodot. lib. 2.*

61 Ecclesiastica † tamen sepultura quibusdam personis denegata est jure Canonico, ut sceleratis, usurariis manifestis, furibus & latronibus in flagranti crimine occisis, Judæis, excommunicatis, & iis, qui sibi ipsi violentas manus inferunt; de quibus *Schönborn. lib. 4. cap. 5.*

62 Apparatus † erit moderatus: moderati sumptus & expensæ sepulchrales. Nam Euripides dicebat, mentes hominum insanire, cùm sumptus inutiles pro mortuis profundunt. Et *Ulpian. in l. 14. §. 5. ff. de relig. & sumpt. fun.* scribit: Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi: nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt. Culpæ genus est, inutili-

ter

ter in abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium, *Schönborn. d. c. 5. vid Dn. Gerhard. decad. 8. quæst. Polit. 9.*

Solennitatibus quidam annumerant † nænias, pulsum campanarum. *Chytræ.* luminaria, &c. sed tamen ritum nolarum seu campanarum in multis locis esse sublatum, ut apud Genevates, in Alsatia, in Gallia, aliisque multis locis, refert *Waremund. ab Erenberg. lib. 2. de fœd. c. 1. num.* 103. 63

Denique de loco sepulturæ est dispiciendum, ubi quæritur: an in † civitate, vel extra eam sepulturæ & monumenta mortuorum sint constituenda? Quod extra civitatem jubet constitutio D. Adriani. Hic enim pœnam 40. aureorum in eos statuit, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit, & in Magistratus eadem, qui passi sunt, & locum publicari præcepit, & corpus transferri. *l. 3. §. 5 ff. de sepulch. violat. & in l. 12. C. de religios. & sumpt. fun.* Ita rescribunt Impp. Diocle t. & Maximian. Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi, jampridem vetitum est. Lex quoque XII. Tabb. fuit: Mortuum hominem in urbe ne sepelito. Ratio † autem assignatur, *in d. l. 12. C. de relig. &c.* ne municipiorum jus polluatur. eamque in medium adducit *Francisc. Ripa in tract. de pest. c. 9.* dicens: Cùm ad removendum fœtorem ex cadaveribus provenientem à majoribus nostris inventa sunt sepulchra, non defunctorum, sed viventium gratiâ instituta. 64 65

Et hæc prima ratio est, cur cœmiteria extra urbes bono consilio constituta, ut scilicet mundities in urbibus servaretur.

Altera † datur à *Waremundo ab Erenberg. lib. 2. de fœd. cap. 1. numer.* 110. ut Christiani admonerentur, defunctos exivisse è mundo, & hanc civitatem reliquisse, & cives in cœlis factos esse. 66

Constitutionibus & rationibus accedunt auctoritates † & exempla, tùm sacra, tùm profana. Sic Abraham sepelivit Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan. *Gen. 23. v. 19.* confirmatus 67

tus enim erat ager,& antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth. *v.* 20. Ibi sepultus est ipse Abrahamus,nec non Isaacus cum Rebecca conjuge sua. Item Jacobus, *Gen.* 49. *v.* 30. 31. Rachel uxor Jacobi mortua est,& sepulta in via, quæ ducit Ephratam. *Gen.* 35. *v.* 19. Ex historia ergo Patriarcharum patet,quod in campis locisque patentibus voluerint sepeliri. Quodque tempore Judæorum extra civitates in agris sepulchra fuerint habita,testatum etiam facit *Hospin. de origin. Templ lib.* 3. In Novo Testamento extra urbem quoque exportatus legitur filius viduæ. *Luc.* 7. *v.* 14.

68 Sed & Ethnici † suas sepulturas ante urbes habuêre. De Romanorum sepulchris id loquitur *M. Tullius lib.* 4. *Famil. Epist.* 12. *& lib.* 2. *de legib.* Quamvis Cæsari sepulchrum intra mœnia fuerit concessum. *Dio lib.* 44. & D. Adrianus in foro fuerit sepultus.

De Atheniensium & Corinthiorum monumentis extra urbem collocatis, similiter refert *Keckermann. in curs. Philosoph. disputat.* 30. *quæst.* 13. Ubi addit : Modernas benè constitutas Respub. sepulchra & monumenta in urbe non ferre , testari Argentinensem, Noribergensem & Lipsensem Respublic. ubi vel rara, vel nulla etiam defunctorum cadavera in urbibus humentur.

69 Amplius sepultura Ecclesiastica † prohibita est in jure Civili. *l.* 2. *C. de sacrosanct. Eccles.* Ratio hæc ex *Lemnio lib.* 2. *de occult. nat. mirac. c.* 3. adducitur à *Keckerman. d. quæst.* 13. Cadavera mortuorum halitus quosdam contagiosos ac venenatos emittunt,eosque tantò copiosiores, quantò loci, in quibus defunctorum corpora sepulta sunt,existunt conclusiores,& ab hominum frequentia tepidiores. Cùm autem, inquit Keckerman. urbanis templis nulla sint conclusiora, & ab hominum frequentia tepidiora: ideo sanè necesse est, plurimos ibi ex cadaveribus sepultorum putridos & graveolentos vapores exhalare. Lex tamen illa Imperatoria in desuetudinem hodiè abiit, & constitutione

Ponti-

Digitized by Google

Pontificiâ, *in c. nullus.* 13. *q.* 7. permittitur, Episcopum, Abbatem, aut dignum Presbyterum, vel fidelem laicum in Ecclesia sepeliri: non etiam impœnitentem, vel cui Ecclesia interdicta est. Mos autem iste ab annis circiter quadringentis invaluit solâ avaritiâ Monachorum Franciscanorum, & Dominicanorum, ac præsertim mendicantium, quos vocant, qui more corvorum cadavera hiante rictu sectati, ut loquitur Keckerman. ex eorum in templis urbanis sepultura nil nisi quæstum & lucrum turpissimum quæsiverunt: & quidem ita quæsiverunt, ut non expenderint templa sua, quæ aquâ illi benedictâ consecrarunt, pollui ac contaminari, cùm tamen Deus ipse in Levitico dicat, eum, qui tangit cadaver, immundum esse, & locum quoque istum pollui, in quo cadavera sepeliuntur. At Monachi legis Dei obliti, tantò puriora sepulchra esse dixerunt, & adhuc dicunt, quantò summo altari fuerunt, & adhuc sunt propria, hanc solam ob causam, ut eo faciliùs homines argento emungerent. Hæc ille, quibus applicat, quod vir quidam magnus dixit: Monachos callere optimum ditescendi artificium & compendium, utpote, qui non modò ab hominibus vivis, verùm etiam mortuis lucrum quærant ac faciant. Et Hospin. in loco anteà citato existimat, quòd nullum excogitatum quæstuosius aucupium, quàm ex venatione sepulchrorum colligitur. In mentem sibi revocare debuissent aucupes illi, quòd de jure Canonico expreßè prohibitum sit, ratione terræ aliquid exigere. *c. pen. de sepult.* Quem morem etiam in Ecclesias reformatas transvolasse, deplorandum scribit *Waremund. d. cap.* 1. *num.* 112. Reperiuntur, ait, civitates, inprimis in Saxonia, ubi vix locum sepulchri pro 100. Joachimus emere queas: ut etiam nostri Christiani sint iniquiores Hebrone barbaro, offerente agrum Abrahamo pro uxoris corpore sepeliendo gratuitò.

CAPUT

CAPUT XI.

UTRUM ELECTIO, AN VERO *successio in Imperio sit praeferenda?*

Multa passim à gravissimis viris de hac materia in utramque partem disceptata reperiuntur, quæ hanc quæstionem ancipitem reddunt. Videmus enim *alijs Regnis successionem: alijs verò electionem* placere. Refert *Thucydides* antiquissimus Scriptor
1 summa † illa Regna: Assyriorum, inquam, Medorum, Tyriorum, Persarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Epirotarum, Sicioniorum, Celtarum, Atheniensium, &c.
2 per successionem fuisse delata. Quam formam † hodiè tenent Turcæ, Indi, Africani, Tartari, Arabes, Æthiopes, Moschovitæ,
3 Galli, Hispani, Angli, Scoti. Germani † verò, Dani, Poloni, Ungari &c. Reges quidem in concilio gentis eligunt, filii tamen demortuorum Regum habiles & idonei existant, prærogativam habent, & cæteris præferuntur, ut successionis beneficio bellorum civilium stirpes elidantur. *Hotoman. in Francogallia. c. 6. Bodin. lib. 2.*
4 *de Repub. c. 3. num.* 198. Atque ita in quibusdam † Regnis electio est voti restricti, ut successioni non absimilis videatur, quod de Suecia in specie refert *Olaus Magnus lib. 8. de hist. Septentrional. cap. 1.* Nam ut testatur *Chytræus in Saxon. lib. 15.* & refert *Dn. Besoldus in prodrom. disput. de elect. & success. num. 7.* Anno 1527. Gustavus I. non solùm in Erici præsentia quieti, honorique patriæ consulere, verùm ad omnem posteritatem saluti & tranquillitati totius Regni vagam illam ancipitemque, & turbis & seditionibus obnoxiam eligendi rationem adstrinxit, & ad familiam unicam jus successionis alligavit. Hodiè tamen à Gustavo II. Rege successorium Regnum est factum.

5 Utra † igitur forma sit melior & Reipublicæ utilior, non facilè licet conjicere. Hoc tamen statuimus: Etsi in utramque par-

partem firma & valida argumenta extent: firmiora tamen pro successione militare. Ideoq; successionē † electioni ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, 6
ut plurimùm, pro constitutis legibus cujuscunque provinciæ, proque statu regiminis debere præferri. Deinde superaddimus hoc præceptum Politicum: Boni † civis esse, præsentem statum, 7
quantumvis improbulum, boni consulere, quoniam sine majori malo mutari nequeat. *Dn. Gruter: discept. 3. ad Tacit.* Et *Dn. Fult. tom. 3. consil. Acad. Marpurg: consil. 35. num. 205.* ait: Imperatoris & Imperii totius interest, ut quilibet Imperii status in ea conditione sit & maneat, in qua fuit inde à sui principio & origine. Et sic adversus jam constitutam Rempublicam disputare non decet: sive ex animo hoc fiat, sive simularò, piaculum id est: cùm hujusmodi disputationes fomitem seditionis subministrent, docente *Friderico Tilemanno in disp. Digest. 2. th. 10.*

Successionem ubi confirmavit † consuetudo & diuturnus 8
usus, ibi omninò servari debet. Et illud præstantius judicandum est, quod cum minoribus incommoditatibus conjunctum est, ut ostendit *Alexander Aphrod: s. in 3. Topic. ex loco Arist.*

Pro electione faciunt hæc 1. Electio plerumque fit secundùm † virtutem, & optimum quem que invenit. Et proinde, ut 9
sunt verba *Hieronymi in c. Moys... ca... s. 8. q. 1.* Principatus in populos non sanguini, sed vitæ deferendus est. Unde Alexander M. in agone interrogatus, num fratrem vel filium Herculem sibi successorem, aut alium quempiam vellet, respondit: Dignissimum mihi successorem opto. *Justin. lib 15.* Et laudabili exemplo Conradus I. Imp. ex admiratione virtutis & sapientiæ Henrici Aucupis, etsi inimici, ad eum fasces Imperii deferri jussit. *Peucer. lib. 4. Chron. Carion. in vit. Conradi.* In successione verò Principes frequenter sunt stupidi, & rerum omnium imperiti.

Argumenta pro electione.

Malus † deinde nasci potest, at eligi non æquè facilè: siquidem tot [illegible] spectata electio, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto [illegible], ut loquitur Imperator Justin. *in l. 8. in fin. C. qui testam. fac. poss.* nasci etiam potest mentis inops, aut simplicior: at non eligi solet, *Arg. [illegible] Dn. Arumæ, discurs. 2. ad Aur. Bull. conclus. 1. fol. 82.* 10

CAPUT XI.

UTRUM ELECTIO, AN VERO successio in Imperio sit praeferenda?

Multa passim à gravissimis viris de hac materia in utramque partem disceptata reperiuntur, quæ hanc quæstionem ancipitem reddunt. Videmus enim *alijs Regnis successionem*: *alijs* verò *electionem* placere. Refert *Thucydides* antiquissimus Scriptor,
1 summa † illa Regna: Assyriorum, inquam, Medorum, Tyriorum, Persarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Epirotarum, Sicioniorum, Celtarum, Atheniensium, &c.
2 per successionem fuisse delata. Quam formam † hodiè tenent Turcæ, Indi, Africani, Tartari, Arabes, Æthiopes, Moschovitæ,
3 Galli, Hispani, Angli, Scoti. Germani † verò, Dani, Poloni, Ungari &c. Reges quidem in concilio gentis eligunt, filii tamen demortuorum Regum habiles & idonei existant, prærogativam habent, & cæteris præferuntur, ut successionis beneficio bellorum civilium stirpes elidantur. *Hotoman. in Francogallia. c. 6. Bodin. lib. 2.*
4 *de Repub. c. 3. num.* 198. Atque ita in quibusdam † Regnis electio est voti restricti, ut successioni non absimilis videatur, quod de Suecia in specie refert *Olaus Magnus lib. 8. de hist. Septentrional. cap.* 1. Nam ut testatur *Chytræus in Saxon. lib.* 15. & refert *Dn. Besoldus in prodrom. disput. de elect. & success. num.* 7. Anno 1527. Gustavus I. non solùm in Erici præsentia quieti, honorique patriæ consulere, verùm ad omnem posteritatem saluti & tranquillitati totius Regni vagam illam ancipitemque, & turbis & seditionibus obnoxiam eligendi rationem adstrinxit, & ad familiam unicam jus successionis alligavit. Hodiè tamen à Gustavo II. Rege successorium Regnum est factum.

5 Utra † igitur forma sit melior & Reipublicæ utilior, non facilè licet conjicere. Hoc tamen statuimus: Etsi in utramque

par-

partem firma & valida argumenta extent: firmiora tamen pro successione militare. Ideoq; successionē † electioni ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, 6
ut plurimùm, pro constitutis legibus cujuscunque provinciæ, proque statu regiminis debere præferri. Deinde superaddimus hoc præceptum Politicum: Boni † civis esse, præsentem statum, 7
quantumvis improbulum, boni consulere, quoniam sine majori malo mutari nequeat. *Dn. Gruter: discept. 3. ad Tacit.* Et *Dn. Fult. tom. 3. consil. Acad. Marpurg. consil. 35. num. 205.* ait: Imperatoris & Imperii totius interest, ut quilibet Imperii status in ea conditione sit & maneat, in qua fuit inde à sui principio & origine. Et sic adversus jam constitutam Rempublicam disputare non decet: sive ex animo hoc fiat, sive simulatò, piaculum id est: cùm hujusmodi disputationes fomitem seditionis subministrent, docente *Friderico Tilemanno in disp. Digest. 2. th. 10.*

Successionem ubi confirmavit † consuetudo & diuturnus 8
usus, ibi omninò servari debet. Et illud præstantius judicandum, est, quod cum minoribus incommoditatibus conjunctum est, ut ostendit *Alexander Aphrodis. in 3. Topic. ex loco Arist.*

Pro electione faciunt hæc 1. Electio plerumque fit secundùm † virtutem, & optimum quemque invenit. Et proinde, ut 9
sunt verba *Hieronymi in c. Moys[...] 8. q. 1.* Principatus in populos non sanguini, sed vitæ deferendus est. Unde Alexander M. in agone interrogatus, num fratrem vel filium Herculem sibi successorem, aut alium quempiam vellet, respondit: Dignissimum mihi successorem opto. *Justin. lib 15.* Et laudabili exemplo Conradus I. Imp. ex admiratione virtutis & sapientiæ Henrici Aucupis, etsi inimici, ad eum fasces Imperii deferri jussit. *Peucer. lib. 4. Chron. Carion. in vit. Conradi.* In successione verò Principes frequenter sunt stupidi, & rerum omnium imperiti.

Argumenta pro electione.

Malus † deinde nasci potest, at eligi non æquè facilè: siquidem tot oculis spectata electio, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus, ut loquitur Imperator Justin. *in l. 8. in fin. C. qui testam. fac. poss.* nasci etiam potest mentis inops, aut simplicior: at non eligi solet. *Amplis. Dn. Arumæ. discurs. 2. ad Aur. Bull. conclus. 1. fol. 82.* 10

11 3. Electus arctioribus † potest constringi legibus fundamentalibus scilicet Regni, quarum metu minus audebit contra utilitatem aut libertatem Regni.

12 4. Et sic electio facit ad libertatem † populi, quam conservare Reipub. magnopere interest.

13 5. Quare & electus facilius † moneri & moveri potest. Quod si igitur Tyrannus evadat, & contra Regnum aliquid machinetur, à subditis pro Tyranno, Reipublic statum evertere conante, habebitur, & tandem ab imperio deturbabitur. Hæc pro electione.

14 Majoris tamen ponderis sunt argumenta quæ successionem suadent. Etsi autem successio † sua quoque habeat incommoda, non tamen tot & tanta, quæ electio. Cape ergo sequentia.

Pro successione.

15 Primum est ab auctoritate † Scripturæ S. successionem enim probavit jus divinum, & à Deo stabilita lex in Regno populi sui. *Deut. c.* 17. *in fin.* ut longo tempore regnet ipse Rex, & filius ejus super Israël.

Deinde ex parte Regis faciunt hæc:

16 1. Rex si novit † filium heredem sibi futurum, eò diligentiùs ipse (naturâ impellente) curat omnia, putatque, si filium in solio regiæ majestatis relinquat, idipsum ad se suumque nomen pertinere. *Casus lib.* 3 *Sphær. civit. c.* 11.

17 2. Vita † principis viventis sic est tutior, nec insidiis & conspirationibus ita exposita. Certus enim successor. Nemo autem parentes facilè lædit, quorum injurias quondam liberos vindicaturos prospicit. *Tacit.* 1. *Annal.* Quot verò per suffragia quæsiti veneno periere? Venenum Pontificum Romanorum mortem esse, in proverbium ferè abiit.

18 Tertius locus ex parte successoris militat, quod † filius, cùm ab incunabulis Regno sit destinatus, omni curâ ac diligentiâ enutritur, ardenti studio parentum ad castitatem vitæ, ad veram gloriam, ad prudentiam rerum instituitur. *Casus d. l.* Ubi tamen exclamat: Optandum, ut hodiè talis esset institutio, nec tanta in educatione procerum mollities, libertas morum, & indulgentia dominaretur.

Amplius:

Ampliùs: Ex parte civitatis seu Regni:

1. Firmissimum est fundamentum *apud Tacitum 4. Annal.* dicentem: Neque enim aut † classes, aut legiones, perinde 19
firma Imperii munimenta: atque filiorum, qui in eodem succedunt, copia esse solet.

2. Populus naturali † quodam observantiæ & amoris af- 20
fectu magis in insitos propendet, qui velut adnascuntur Principes, iisque promptiùs, quàm assumptis Regibus aures accommodat: quibus difficulter sese subjicit. Qua de causa *Dn. Arumæ. d. l.* electionem quidem successione tutiorem, hanc verò illâ, propter ingenitum subditis erga prolem regiam amorem, stabiliorem putat.

3. Sed & æquiore † animo homines ferunt illum, quem 21
Princeps parùm feliciter genuit, quàm quem malè elegit populus, ut habet Nervæ dictum.

4. Accedit hoc commodum † subditis in continuatione 22
principatus per successionem, quòd novis exactionibus non ita facile gravventur, sed impositæ à patre continuentur.

5. Ad subditorum utilitatem † maximè conducit, non 23
habere novos Reges, vel Principes, quia fieri potest, ut per diversas mutationes, mores & leges non sint in certo. Unde enatum illud: Novus Rex, nova lex. Insitum siquidem est omnibus ferè principibus, ut populos imperio subditos suis moribus & institutis vivere aut assuescant, aut certe cogant, ut in sequent. cap. dicetur.

6. Erubescunt † filii, & proxime succedentes, leges majo- 24
rum, & à suis factas, convertere in tyrannidem.

7. Ex mutatione † principum hoc detrimentum popu- 25
lo & Reipubl. accidit, ut ærarium & jura minuantur. Dum enim prævident electi, imperium non continuatum iri in familiam suam: Patrimonium Reipublic. exhauriunt, ut proprium & familiam inposterum augeant. Sic Carolus Quartus cum multum esset innixus, ut ad Imperium Wenceslaum filium extolleret: laborantibus etiam pro eo Pontifice Romano & Cardinalibus: nec tamen suffragia

 prin-

Principum elicere posset, omnia Imperii vectigalia eis concessit Anno 1376. ut refert *Caspar. Peucerus lib. 5. Chron. Carion. & Cuspinianus in ejus vita.*

26 8. Et sic videmus, quòd electi liberis † omnes vias ad principatum muniant, libertatemque civium, quantum in ipsis est, opprimant.

27 9. E salute Regni & hoc est, quòd declinentur † in eo factiones & bella civilia, si successor non sit in incerto. Econtra verò in electione turbarum & seditionum, æmulationum, contentionumque hinc inde faces & flammæ exoriuntur. Natura enim hominum avida est imperii, teste *Salustio in Jugurtha*, & cupido potentiæ mortalibus affectibus flagrantior *lib. 15 annal.* Quoties quæso in partes discessit Germania, Principibus dissidentibus de successore Imperii, & aliis alios deposcentibus, aut recusantibus, odio vel furore?

28 10. Valdè periculosum & hoc: quòd *interregnum* † sine cujusquam stabili dominatu, in eo discrimine sit posita, quo Resp. veluti navis sine gubernatore, seditionum fluctibus jactatur, ac sæpè mergitur; cùm ferocissimis & audacissimis quibusque omnia impunè facere licet. *Bodin. lib. 6. c. 5 num. 718 & Eberhard. à Weihe in problem. Reg. de elect. & success. fol. 83.* Hoc mecum quæso considerate, Rege per electionem introducto, mortuo, Regnum (cùm electiones statim à defuncti morte perfici nequeant, propter congregationem populi & suffragia colligenda) sine certo Domino, sine certa lege, in summum discrimen vocari, sublato Rege sedente vacante quis potest esse ordo, quæ sanctitas, quæ disciplina, quæ denique obedientia? Quæ fuerit sæpius in tali casu tempestas, quis nescit? Et hoc, inquit *Bod. in d. l.* [illegible] Pontificibus Romanis, [illegible] omnibus ignoscunt: & cùm electiones & [illegible] Pontificis Max. differri soleant, sicariis tuto [illegible] licet.

Experientia ejus rei dedit nostrum Imperium. Wilhel-
29 mo † Comite Batavorum seu Hollandorum cæso, usque ad Rodolphum I. Habspurgensem, Imperium annos ampliùs [illegible], secundùm alios annos viginti duos, Imperatore, velut navis guber-

gubernatore, caruit. Per interregni tempus à Septemviris de electione discordantibus, creati sunt duo Cæsares: (novo exemplo contra leges veteres, ut ait *Peucer. lib. 4. Chron. Carion. in vit. Otton. III & lib. 5. de statu Imperij post Frideric. II.*) Richardus Princeps Cornubiæ, filius Johannis Regis Anglorum: & Alphonsus Rex Castellæ. Quorum hic Imperium oblatum recusavit: ille à potiore Electorum parte fuit reprobatus: unde vastationes & magna bella in Germania fuere exorta.

Et Anno 1346. contra Carolum IV.† Johannis Regis Bohe- 30
miæ filium, fuerunt electi Everhardus Rex Angliæ, Fridericus Marchio Misniæ, Guntherus Comes Schwartzburgensis. Illis Imperium detrectantibus: Hoc verò sexto ab electione mense, veneno interempto, Carolus IV per multas largitiones Imperio tandem est potitus. *Idem Peucer. lib. 5. Chron. in vit. Carol. IV. Onuphrius Panvinius in tract. de Comitijs Imperatorijs c. 12.* Abusathite† Fel- 31
sarum Rege mortuo, populus annos octo sine Regibus miserrimâ conditione vixit. *Leo Afer.* Id quod etiam accidisse fertur, cœsis pluribus Ægypti† Sultanis. Nam prætoriani milites, qui Memme- 32
luchi dicebantur, sine Principe tamdiu fuerunt, quoad Campsonem Caramaniæ Regem accessissent. *Bodin. lib. 4. de Republ. c. 1. num. 369.*

Denique ex parte electi incommoda non levia sæpè sunt.
Nam 1. Regibus populi† suffragiis creatis commune est, ut adepto 33
principatu, animos attollant, cristas erigant. Qui autem ex humili & obscuro loco ad imperium evectus est, tyrannidem crudelius exercere consuevit, quàm qui regali sanguine cretus est. Nihil enim verius, quam dictum Salomonis *Proverb. 30. v. 22.* Servi dominatio intolerabilior est. Et illud *Claudiani Poëtæ:*

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum,
Cuncta ferit, dũ cũcta timet, desævit in omnes,
Ut se posse putet, nec bellua tetrior ulla est.

CAPUT XII.

AN PEREGRINI AD *Imperium & Magistratum sint evehendi?*

VICINA est hæc quæstio priori, quæ fuit de electione &
1 successione Principis in Imperio. Sæpiùs enim Rex † electus
est *peregrinus*. Unde quæritur: *An talis ad gubernacula Reipub. sit admittendus?* Nec res caret dubio. Nam summa capita & principalia argumenta Reipublicæ sunt hæc:

Rationes pro parte negante.

2 1. Amor † patriæ, & paternus affectus erga subditos, tanquam populares. Tribus enim nascimur, & tribus obligamur præcipuè; Deo, patriæ & nobis. *Keckerman. lib. 1. systém. Politic. cap. 2.* At peregrinus eam benevolentiam erga populum repræsentare non potest, quam indigena. Unde neminem aliena tam diligenter curare, quàm sua, dixit *Dio*. Sic quamvis Ludovicus †
3 Hungariæ Rex, Poloniæ Regnum suffragiis populi ad se delatum, quia finitimum, uxore Casimiri Poloniæ Regis filiâ rogante, recepisset, paulò post tamen sive cœli Sarmatici asperitate offenderetur, sive Pannoniarum deliciis alliceretur, sive rogationibus ac votis suorum revocaretur, domum rediit, uxore unà cum Hungarorum comitatu relictâ. *Anton. Bonfin. decad. 2. lib. 10. rerum Ungaric. Alexand. Guagninus tom. 1. rer. Polonic.* Nec non Henri-
4 cus † Valesius Caroli Regis Francorum frater ad idem Regnum Polonicum accersitus fratre mortuo, ad imperium domesticum celerrime rediit, Anno 1574. *Guagnin. d. l. Homberg. in Chronolog. & in epist. Hebr. ad Pr…*

Secundum fundamentum seu requisitum necessarium est,
5 Perspectos † habere civium mores. Ejus namque est consilium (imò & imperium) qui rei cujusque peritus, ut *in Alcibiade Plato* ait. Ex quo loco fortasse *Cicero*, ut alia, sic illud mutuatus est, quod extat 2. *de Orat.* Ad consilium de Repub. dandum, caput

est

est nosse Rempublicam. Quapropter Probum † Imperatorem laudat *Flavius Vopiscus in ejus vit.* quòd omnium, quibus imperaturus erat, hominum mores perdidicerit. At verò peregrini morum, † ingeniorum, & totius Reipub. sunt imperiti, sicut etiam in jure Canonico origenarii melius censentur scire mores & consuetudines provinciæ, ex qua sunt oriundi. *c. quosdam & c. quanto. de præsumpt.* 6 7

3. Nec extranei solùm cum moribus eorum, quibus præponuntur, convenire, sed & sæpè idioma † subditorum intelligere, aut ab his intelligi nequeunt. Ex mente verò *Æneæ Sylvij in Epist.* indignus regno videtur, qui conquerentes, aut aliquid expostulantes regnicolas non intelligit. 8

4. Peregrini subditos suis † moribus, institutis ac religionibus vivere aut assuescunt, aut certè cogunt, juxta illud *Bodini d. l. 6. c. 5. num.* 741. Si Regina peregrino nupserit, peregrinis legibus, peregrinâ religione, peregrinis institutis populum imbuet, ac peregrinis honores & imperia largietur. Pro hac sententia ita etiam scribit *Claudius Seisellius*: Peregrinus cùm & educatione & moribus, & linguâ, & ingenio differat, à natura ipsa diligere quodammodo cogitur, & in rebus omnibus preferræ suæ nationis homines, iis honores & præfecturas, & ubicunque est aliquid emolumenti, indigenis ad ima subsellia detrusis, communicare: quâ quidem ex re, necesse est graves oriri offensiones, dissensiones, ac invidiam, cùm multitudinis tùm nobilitatis. Irascuntur enim cives, & contemni se putant, si sibi præferantur indigena, *teste Æmilio l. 3. de reb. gest. Francor.* nec immeritò. Est equidem iniquum, † ut extranei, qui nihil contribuerunt ad Rempub. præferantur regnicolis æquè dignis. *Althus. in Polit. c. 11. post Tholoz. lib. 4. de Rep. c. 5.* Et Claudius Imp. *in l. 6. C. de servit. & aqua*, ad A. Priscum: Durum & crudelitati proximum est, sitientibus agris propriis, aliorsum rivos tuos [illegible]. Sic & *Arist. l. 5. Pol. c. 11* tyrannicum † esse docet, peregrinos in consilium & rei familiaris usum magis, quâ cives recipere, tiedû ad [illegible] & [illegible]û munera admittere. Exemplû ejus, quod modo diximus, illustre nobis suppeditat Ronix, Hengisti Saxon. Ducis filia, quæ nupta Vortigerno Regi Britanniæ [illegible] Saxones in 9 10 11 12

in summa gratia apud maritum ponere, illis imprimis honoris deferre, Britannos Principes ex domestico senatu excludere enixè studebat *Polydor. Vergil lib. 3. hist. Anglic.* Apud alios quæ non mala, quæ non excidia hinc orta? Philippus † Callimachus Itali-
13 cus apud Johannem Albertum Poloniæ Regem in maximo honore & gratia fuit: qua de causa ingentem sibi invidiam apud Polonos conflavit. *Cromerus lib. 30. rer. Polonic. in vit. Joh. Albert.*
14 Cùm Wilhelmus † Neapolis ac Siciliæ Rex Gallis nimium faveret, eosque ad honores & officia, præteritis indigenis, eveheret, effecit, ut Galli uno die omnes à Neapolitanis trucidarentur. *Jun. part. 1. quæst. Polit. 16.* Quocirca qui externæ alicujus gentis im-
15 perium suscipit, nisi magnâ † quadam & eximiâ virtute sit præditus ac dexteritate: multis haud dubie, & longe gravissimis implicabitur difficultatibus. *Phil. Com.n. lib. 8. hist. Gall.*

16 5. Nec poterit peregrinus Princeps à periculis † tutus esse, nisi validissimo præsidio seipsum imprimis, deinde arces munierit, quæ sanè externa præsidia multum incommodi secum trahunt, & ad tyrannidem viam aperiunt, ut ait *Bodin.* & ipsum notat *Georg. Buchanan. lib. 18. histor. Scotic.* de Maria Scotorum Regina.

17 6. Quod si peregrini Principis domesticus † civem occiderit, aut impotente libidine aliquid fecerit, peregrinis omnibus
18 exitium impendet. Sic Poloni † Hungaros, quorum Regem sibi cooptaverant, ob unius Poloni interempti necem occidissent, nisi Cracoviensi arce tuti fuissent. Nec tamen tumultus antequievit, quàm Hungari arce relictâ, domum redissent. *Cromerus in histor. Polon.*

19 7. Verendum quoque, ne alienigenæ reditus † extra territorium Reipub. transferant, & sæpe ad subsidia eorum, qui regno bella moliuntur. *[illegible]*

20 8. Solent etiam extranei suspecti † esse in Repub. ne proditione aliqua patriæ, quæ eos excepit, insidientur. Exempla ejus rei refert *Tholozan. d. c. 5.*

21 9. Quin summo † gentis præjudicio cedit, [illegible] novercam

cam habere patriam, quæ dignum gubernaculis propriis nequeat producere. *Keckerm. in curſ. Philoſ. fol.* 347.

10. Expreßè pro hac opinione facit constitutio juris † civilis & canonici. *in l.* 2. *C. de offic. Prætor.* dicitur, potiùs eligendos esse prætores, qui habent larem in urbe, quàm qui sunt in provinciis. Pontifex vult, ut Episcopus eligatur de gremio Ecclesiæ. *c. nullus.* 13. *diſt.* 61. *c. cùm ſingula.* 32. §. *prohibemus, de præbend. Matth. Steph. de juriſd. l.* 2. *c.* 1. *num.* 91. 22

11. Insuper lex Dei † in populo suo erat, ut regnum Judæ ad extraneos minimè recideret, Non poteris alterius gentis hominem Regem facere qui non sit frater tuus. *Deut.* 17. *v.* 15. 23

Apud Massilienses † nemo sceptri capax erat, nisi qui liberos haberet, & de civium sanguine tertiam per generationem ortus esset. *Strabo lib.* 9. *Geograph.* 24

Syracusani † quoque non nisi priscis civibus & familiis vetustis magistratum deferebant. 25

Hodiè ex Constitutione Imperii † publica nemo eligitur Imperator, qui non sit natione Germanus, ut docuimus part. 1. c. 21. n. 34. & seqq. 26

E legibus in quas juravit † Carolus V. una est: Negotiis publicis præficiat non exteros, verùm Germanos, ex nobilitate delectos. *Sleidan. lib.* 1. *com. ſub Ann.* 1519. Et *in Ordinatione Auguſtana Imperialis* † *Cameræ. part.* 1. *tit.* 4. §. Vnd wo aber solches/ etc. præcipitur, ut originarii Assessores ex qualibet provincia, sive circulo assumantur, & extraneis præferantur, dummodo ibi reperiri possint idonei. *Mynſ. cent.* 4. *obſ.* 30. 27 28

Pari modo inter alias leges Regni Ungarici † Uladislao II. Regi propositas, & hæ sunt *apud Ant. Bonfin. decad.* 4. *lib.* 9. *rer. Ungar.* Dum in Ungaria manserit, omnia Regni munia Ungaris tantùm, & non exteris distribuat, aulicorumque duntaxat Ungaricorum officiis semper utatur: nec in Regni administratione, aut curiæ, regiæque muneribus ullum ex peregrinis consiliarium, quæstorem, prætoremve, aut amanuensem, cubicularium, ministrum, structorem & architriclinum admittat. Cùm de Ungaricis rebus agetur, nullum præter Ungaros externum in consilium venire 29

 patia-

patiatur. Quin etiam Ungaris tantùm, aut Ungarico quondam imperio subjectis, qui haudquaquam videantur indigni, sacra munera, honores & Ecclesiastica præfectura tribuantur. Item provinciarum & urbium regalium præfecturæ (ut puta, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, præterea Tœmesi, Pisenii, Severinli, Albæ Græcæ, Jaiczæ, & Sabatii, & præsertim Transylvaniæ ac Scytulorum.) nullis aliis nisi Ungaris de Republica benè meritis, & summâ virtute, prudentiâ & fidelitate præditis, à Regiâ majestate conferri queant: imò ne possessiones quidem & earum jura alienigenis dari possint.

Accedunt etiam aliorum populorum & Rerumpublicarum statuta. Sic lex Belgarum † est: Nullum peregrinum Principem aut exterum publicis muneribus præficiunto. *Althus.*

30

31 In inclyta quoque Venetorum † Republica peregrinis nullus est locus, inquit *Franc. Patrit. l. 3. de Instit. Reip. tit. 2.*

32 Apud Genevates † Syndicus aut secretioris consilii Senator, nisi Genevæ domicilium originis habuerit, nemo fit.

33 Quod etiam apud Helvetios † usu receptum est. *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 6. num. 48.*

34 Nec non Argentinenses, † quorum in Repub. nemini ad Quindecimviratus, Consulatus aut Præturæ dignitatem, adde & Triumviratum ærarii, aliaque nonnulla munera regulariter patet aditus, nisi ex urbe aut Episcopatu fuerit oriundus, quod ipsum testatur *Dn. Matth. Bernegg. dodec. 5. in Tacit. qu. 4. in fin.*

Pro affirmante.

Hactenus fuere argumenta, quæ peregrinum imperia & magistratus prorsus dissuadent. Ubi tamen non levia in contrarium afferri possunt. Quamvis verò de jure † Digest. & Cod. originarius præferatur extraneo: (quod ita intelligendum, si modò omninò extraneus sit: quales utique non sunt, qui eidem Principi sunt subjecti. *Dionys. Gothofred. ad tit. Cod. ut nulli &c.*) eodem tamen jure Codicis nulli † patriæ suæ administratio sine speciali concessione permittitur. *tit. ut nulli patr. suæ administr. &c.* ita ut si quis provincialis à Principe petierit administrationis officium in sua provincia, sacrilegii teneatur, nisi ultrò Princeps eum magistratum fecerit. *l. fin. Cod. de crim. sacrileg.* nimirum ob cognationes

35

36

gnationes & amicitias domesticas civium: quibus judicia corrumpi solent: & quod nullus Propheta in patria, teste Salvatore, acceptus habeatur, sed facile contemnatur. *Althus. in Polit. c.* 11. *Tholozan. lib.* 4. *de Repub. cap.* 6. *num.* 9. & 10. Et refert *Gothofr. in not. ad d. tit. ut nulli, &c. sub lit. g.* idem constitutum fuisse † à 37
Philippo Pulchro Anno 1302. & Carolo Quinto Anno 1366. Gallorum Regibus: adeò ut vi eorum constitutionibus multi privarentur senatorio munere, quòd Parisienses essent. Quamvis id hodie non observetur. Idem tradit *Bodin. lib.* 5. *de Repub. cap.* 4. *num.* 433. & consimile dictum refert M. Aurelii † Imperatoris, *ex* 38
Xiphilino in Anton. Philosoph. quo vetuit, quemquam suæ civitatis Rectorem vel Assessorem esse: eamque legem ad hæc usque tempora in † Hispania, cum etiam in plurimis Italiæ civita- 39
tibus tam salutarem judicari dicit, ut prætor urbanus ubique fere provinciarum peregrinus sit. Concordat *Boter. lib.* 1. *de Politia illustr. cap.* 16. *fol.* 126. scribens, Florentiæ, Lucæ, Genuæ, nec non in aliis Italiæ civitatibus, peregrinos judices invectos esse. Sed & olim de præsidibus † provincia- 40
rum idipsum fuit constitutum *in l.* 3. *ff. de offic. Assessor.* pro qua sententia differit etiam *Antoninus Tessaurus in decis. Pedemont.* 268. præstare scilicet, ut jus dicens sit peregrinus quàm indigena. Idemque sentit *Hermann. Kirchner. de Republic. disput.* 11. *auct.* 2.

Non ergò absolutè † & in universum peregrini mu- 41
nere dicundi Juris erunt arcendi, sed utiliter quandoque adhibendi.

In deferendis sceptris & fascibus Regni, ut in aliis etiam, 42
diversarum † nationum statuta, singulares cujusque regni tùm conditiones, tùm necessitates & circumstantiæ sunt respicien- **Determinationes.**
dæ. Quandoque † enim reperiuntur, qui quorumvis principum 43
imperia potiùs, quàm civium & æqualium ferenda sibi putant. Quod non modò *Tacitus* Armeniis contigisse scribit, qui Regem, nisi peregrinũ ferre nõ possent: Sed etiã mortuo Sigismundo Augusto Poloniæ Rege, cõtroversiã inter optimates, qui Regni spem ad se quisq; trahebant, coortã, senatus consultũ factũ est, quo qui-

 dem

dem omnibus civibus ad Regnum via præcluderetur, ut nempè æquabilitatem libertatis,& paritatem inter se possint conservare. Populus itaque ad Henricum Valesium Caroli IX. Francorum Regis fratrem imperium detulit, Anno 1574. *Guagnin. tom. 1. rer. Polon.* Quin etiam Casimiro Rege Polonorum mortuo, Poloni Ludovicum Hungariæ Regem, Casimiri ex filia nepotem, ad sceptra Poloniæ accersiverunt, Anno 1370. ut supra ex Bonfinio diximus. Similiter Sigismundo Imperatore Romanorum, Rege Hungariæ & Bohemiæ fatis concedente, Uladislaus Rex Poloniæ, Jagielonis Uladislai filius, ad Regnum Hungariæ suscipiendum vocatus est, Anno 1440. *Guagnin. tom. 1. rer. Polonic.* Ampliùs: cùm Sultani apud Ægyptios prætorianorum suffragio crearentur, ac mutuis cœdibus & factionibus Rempub. divellerent, communi consensu legatos ad Campsonem Caramaniæ Regem miserunt, ut Ægypti Regnum acciperet. Et Ruteni bellis civilibus exhausti ac fatigati, tres Germanos Principes sibi crearunt, Anno 861. ut refert *Cromer. in hist. Polon.*

44 In his igitur casibus, † si 1. tùm particularis & specialis aliqua sit conditio, tùm necessitas, quæ externi alicujus præsidium requirit. 2. Metuenda civium seditio. 3. Si status Reipublicæ per indigenas ipsos ita sit turbatus, ut non nisi ab aliis restaurari possit. 4. Si æquabilitas libertatis commodè servari non possit. Pro cujus conservatione Poloni exteros ad Regni sui gubernacula subinde accersunt. Quin & Veneti summam belli peregrino committunt, *Cont. lib. 5. de Repub. Venet.* Pro cujus Reipub. statu tres affert rationes *Herman. Kirchner. lib. 7. auct. 4.* 1. Quod cùm Aristocraticus ordo, sine ambitione & æmulatione nunquam inveniatur, bellico imperio administrando periculosissimum sit, ex paribus unum reliquis in hac re præficere. 2. Quòd intutissimum sit, civi committere illud, quo civitatis cardinem movere, & aleam cum Julio Cæsare jacere possit. 3. Quòd faciliùs, si quid peregrinus contra fidem commiserit, vindicare in peregrino, quàm in cive potentiore possit. In his ergo casibus prædictis, vel

45 etiam aliis pro cynosura esse debet lex illa XII. tab. *Salus † populi suprema lex esto. Cic. lib. 3. de legib.*

CAPUT

CAPUT XIII.

AN JUVENI MAGISTRAtus & officia publica demandanda?

SUnt multa, quæ *juveni omnem viam ad magiſtratum præcludunt*. In hoc † enim requiritur 1. Prudentia politica, mens & intellectus. 1 Argumenta contra imperium juvenum.

2. Experientia & variis rerum uſus, quem ætas affert, ſicut canit *Ovidius 6. Metamorph.*

---- Seris venit uſus ab annis.

Et *Afranius Poëta* ſapientiam filiam uſus & memoriæ dixit *apud Gell. lib. 13. cap. 8.* unde *Euripid. in Phœniſſ. apud Stob. ſerm.* 116.

Experientia ſenum
Plus ſapientiæ demonſtrare poteſt,
quàm juvenes.

Item in Bellerop.

O fili: manus quidem juveniles ad agendum
robuſtæ ſunt:
Seniorum autem ſapientiæ præſtant.
Tempus enim multas & variã doctrinã parit.

Sic & ille:

Haſta decet juvenem, conſiliumq; ſenem.

3. Tertiò, requiritur auctoritas, quàm ſenectus maximè conciliat, ſicut *Cicero in Top.* ait: Auctoritatem & naturæ affert, aut tempus. *Item pro domo*; ſua auget ætas dignitatem. Senectus venerabilis dicitur à JC, *in l. ſemper. ff. de jure immun.* & plus valet

Digitized by Google

umbra senis, quam eloquentia vel gladius juvenis. *Bald. in c. 1. n. 1. de renunciat. & in l. senium. C. de testament.*

His igitur adminiculis destitui censetur juvenis: cùm
2 ætas † juvenilis sit rarò constans, sed præceps, mobilis, flexilis, credula, vicina lapsibus, variis affectibus & voluptatibus, temeritati & intemperantiæ obnoxia, improborum hominum versutiis exposita. unde *Poëta:*

Flexilis est juncus, salices flectuntur amaræ.
Robora dura minus.

Nec non *Salust.* Molles sunt juvenes & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur Econtrà senex vulpes non prehenditur laqueo, ut habet senarius ille proverbialis. Item confirmat *Ulpian. in l. 1. à pr. ff. de minor.* inquiens; Inter omnes constat fragile esse & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositū, multorum insidiis expositum. Exemplū ejus rei præbet nobis Dionysius, Siciliæ tyrannus, qui juvenis imperium susceperat: ejus enim tanta fuit intemperantia victus, ut novarum voluptatum invetores summis afficeret præmiis: *Herodian. in vit. Commodi.*

3 Quartò, naturæ † ordo, ceu ait *Arist. l. 7. Pol. c. 14.* flagitat, ut juvenes sub disciplina senili vivant, quippe natura à minus ad perfectum progressa juventutis utile obsequium, & senectutis illustre imperium docet. Quid enim? Juvenes sunt quasi filii, senes quasi patres. Audiant igitur illud *Plutarchi:* Juventus imperata faciat, senectus imperare debet. Audiant illud quod adducit *Cicer. lib. 1. offic.* Est adolescentis majores natu revereri, & quod eis diligere optimos & probatissimos, quorum consilio & auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inscitia senum constituenda & regenda est prudentiâ.

4 Quintò, & nomen † hoc indicat, clavum imperii seniores tenere oportere. Senatum enim à senio nomen accepisse, testatur *Cato de senectute.* Sic Moyses ex mandato Dei septuaginta Seniores & Magistros in Israël congregavit, qui secum portarent onus populi. *Num. 11. v. 16 & 17.* Sed & aliæ Respub. prudenter institutæ Senatum ex senibus conflatum habuerunt. *Joh. Spinaus de tranquill. animi*

animi l 7.*f*.386. 387. Ita Romani Senatum suum ex senibus conflatum, Consiliũ appellarunt. Lacedæmones quoq; magistratus suos appellarunt πρεσβυτέρους, natu grandiores, & γέροντας senes. Non solum igitur † ridiculum, sed & periculosum erit, ex adolescenti- 5
bus Senatum, vel potiùs juvenatum legere: quia nec senibus, nec juvenibus hujusmodi consilium probaretur: quod alteri id ætatis se illis æquales, alteri sapientiâ superiores esse arbitrarentur. *Bodin. l.* 2. *de Rep. c.* 1. *n.* 240.

Adde, quòd jura † civilia adolescentes aliorum tutelæ subji- 6
ciant, quòd suis rebus non satis commodè prospicere; seque ipsos regere queant § *minores*. 15. *Inst. de excus. tut. l. nemo. C. de legit. tut.* Qui igitur alios regent? qui aliorum negotiis & rebus consulent? Hâc ratione nec ad honores ante 25. ætatis annum (quæ ætas dicitur perfecta, *l. si maritus*. § *lex Julia. ad L. Jul de adult.*) admittuntur, ut patet ex *l.* 8. *ad Rempub. ff. de muner. & honor. T.* 1. § *fin. ff. de jure immunit.*

Accedit auctoritas Scripturæ † sacræ. Væ Regno, inquit *Ec-* 7
*clesiastes c.*10.*v.*16. cujus Rex puer est. Est inter comminationes divinas apud Prophetam est: Dabo pueros Principes eorum. *Esai.* 3. *v.*4. Hic tamen *Lamb. Danæ. l.*6.*c.*3. *Polit Christ. fol.*401.*circ. fin.* pueros † Reges sive Principes eos esse dicit, qui moribus pueri sunt, i.e. 8
imprudentes, stulti, imperiti, & ignavi rerũ omnium, & hoc significato vocem pueri sumere sæpè sacram Script. uti *Ephes.* 4. *v.* 14. *Heb.* 5. *v.* 13. non autem qui sunt duntaxat ætate pueri.

Denique juvenum consilia † sæpissimè lubrica sunt, ut pa- 9
tet ex Consiliariis novellis Roboami; quorum consilio admisso, & seniorum rejecto, decem tribus Israël à Rege defecerunt. 1. *Reg.* 12. 2 *Paralipom.* 10. unde non immeritò abortivi vocantur Consiliarii.

Sed nec argumenta deficiunt, quæ juvenile imperium, idque necessarium, si sit successivum, corroborant. Reperiuntur enim † nonnulli, qui ætate quidem sunt juvenes, sed ingenio 10
& judicio propè senili sunt præditi, vel, ut alii loquuntur, sapientiâ senes. In quem modum ita scribit *Cicer. in Cat. Maj.* Ac ut senes quidam semper pueri, ita sunt quidam juvenes, in quibus aliquid

Argumenta pro magistratu adolescentũ

aliquid senile. Quod ipsum exemplis latissimè probat *Tiraquell. de jur. primogenit. in præfat. & 3im. part. 1. quæst.* 14. Philosophorum quoque Princeps *Aristoteles lib. 1. Ethic.* distinguit juvenem ætate, ab eo qui juvenis est moribus. Quare *Ecclesiast. cap.* 14. *v.* 13. Melior est, inquit, puer pauper & sapiens, quàm senex stultus. Et *Sap.* 8. *vers.* 10. Juvenes per sapientiam habet honorem apud seniores.

Deinde applausum damus *Ciceroni* 5. *Philip.* dicentis, quòd
11 nulla † ætas repudianda, nec ab excellenti & eximia virtute ætatis progressus expectandus sit, imò indignum judicat Scipio *apud Liv.* ab egregia indole annorum egressum expectare. Quod si enim expectanda semper ætas, sæpè magna indoles virtutis extincta priùs fuisset, quàm Reipub. prodesse potuisset. Sed & Poëta:

Ingenium cœleste suis velocibus annis
Prodit, & ingrata fert malè damna moræ.

12 Unde Probus † adolescens Valeriani Imp. judicio tribunatum propè imberbis, contra constitutionem Adriani accepit. Non expectabo in te, ajebat ille Imp. ætatem: quum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas. *Flavius Vopisc. in Floriano.* Ita Romæ † in
13 Senatum quispiam non admittebatur nisi exacto 24. ætatis anno, præter paucos, qui, quod ætati deerat, virtutibus compensarunt. *Alexand. ab Alexandro lib. 4. genial. dier. cap.* 11. *fol.* 211. Constat ex *Carolo Sigonio de antiq. jur. Rom. Halicarnass. lib.* 2. *Dione Cassio lib.* 26. quòd consulatus geri non potuit ante 43. ann. prætura ante 40. quæstura & ædilitas ante 27. pluribus tamen citra eam ætatem, si quis dignum operæ pretium Reipublic. præstitisset, consulatum gerere permissum. *Idem Alexandr. lib.* 3. *fol.* 120.

14 Ad Rempub. Venetorum † gerendam, nec ad Concilium minoribus 25. annis patet aditus: nisi majores annis 20. rogatione ad Concilium latâ id obtinuerint. *Bodin. lib.* 2. *de Repub. cap.* 1. *num.* 181.

15 Imò in *Aurea* † *Bulla Caroli IV. tit.* 7. §. 2. ad Electoratum Impe-

Imperii admittuntur juvenes 18. annorum. Juvenum † quoque, 16
nec non puerorum Regnum ſæpè fuit felix auſpicatiſſimumque. David fratrum ſuorum minimus, Rex Judæorum eſt electus. 1. *Sam.* 16. Itemque Salomon adhuc puer parvulus Regno potitus, dijudicavit controverſiam illam inter duas meretrices 1. *Reg.* 3. Azaria Rex Juda ſedecim annorum erat, cùm regnare cœpiſſet. 2. *Reg.* 15. *v.* 2. Manaſſes duodecim. 2. *Reg.* 21. *v.* 1. Joſias octo. 2. *Reg.* 22. *v.* 1. Joachin octodecim. 2 *Reg.* 24. *v.* 8. Alexander Severus puer quoque à Senatu Romano Cæſar eſt factus *Lamprid. in ejus vit.* Gordianus anno ætatis 13. *Junius Cordus*, vel, ut alii, 14. Otho III. annos vix 11. natus. *Sigebert. in Chron.* Henricus IV. cognominatus Senior, adiit Imperium puer ſeptennis. *Peucer. lib.* 4. *Chron Carion. in ejus vit.* Carolus V. factus eſt Cæſar, unde viginti natus annos. *Sleidan. lib.* 1. *comment. ſub an.* 1519. *fol.* 25. Jacobus quoque III. Rex Scotiæ, puer ſeptem annorum regnum iniit *Buchan. lib.* 12. *hiſt. Scot. à pr.* Proceres Angliæ Henricum novennem Regem crearunt. *Polydor. Vergil. lib.* 16. *hiſtor. Anglic.* Carolus VIII Francorum Rex anno ætatis 13. ad ſolium evehitur. *Ricius lib.* 3. *Franc. Reg.*

Quid igitur concludendum putabimus? Scilicet, non † ju- 17
venilem, nec ſenio nimis languidam, ſed mediam ætatem à trigeſimo ad ſexageſimum usque annum magiſtratibus, rebus agendis, & conſiliis eſſe oportuniſſimam, ideoque regulariter attendendam. *Conciliatio ſententiarum.*
Et hæc † ætas, etiam *teſte Heſiodo*, optima eſt, & jure convenit Im- 18
peratori, ut ſcribit *Onoſander in opere de eligendo Imp.* Sed & Conſiliarium mediæ † ætatis, annorum ſcilic. 30 vult eſſe *Frideric. Fu-* 19
rius Ceriolanus de concil & conſil. c 3. Ratio eſt, quia in media † inter 20
juvenilem & extremam ætatem conſtituti humores æquabiliores temperantioresq; habent: animi affectibus tranquillioribus ſunt, rerū uſu memoriā judicio, ac virib. corporis & robore valēt, vitiis paucioribus affecti, gravitatē convenientē ſervant, ac nullo interveniente impedimēto ad 30. annos deſervire poſſunt. Intra 30. † verò 21
annos ut tradit *Ceriolan. d. l.* intellectus uſquequaque eſt tranquillus: experientia verò eſt modica, arrogantia nimia, ardor gravis cogitationes elatæ, infirmitas naturæ multiplex, neque eam,

O quam

quam par est, retinere licet gravitatem, &c. Cùm autem ætatis annum
22 sexagesimum † fuerit prætervectus, amittit memoriam, vacillat intellectus ipsius, experientiam in oblivionem vertit, vigorem animi perdit, & elabi patitur sibi occasiones opportunas, corpora denique necessariò enervantur senum, &c. Hæc ille. Cui assidet *Hippolyt. à Collib. de consil. fol.* 223. ajens: Senectus ut plurimùm timida, suspiciosa, incredula & avara. Quanto enim morti quis vicinior, tantò magis sollicitus & timidus: adde laborum & dolorum impatiens, obliviosus, &c. Quodque senes bis pueri, in proverbium abiit. Quia itaque imbecilles, difficiles, morosi & obliviosi sunt: exinde labores & difficultates eis minuendæ. Hinc
23 est illud *Senecæ de brevitate vitæ c.* 7. à quinquagesimo † anno lex militem non cogit, à sexagesimo senatorem non citat.
24 Diximus autem *regulariter* † mediam ætatem inter trigesi-
25 mum & sexagesimum annum esse respiciendam. Nam & ante † trigesimum & post sexagesimũ annum ad munus illud idonei quandoque reperiuntur, quod *Fur. Ceriol.* quoque tradit. Quo fit, ut
26 *Plato lib. 6, de legib.* ad septuagesimum † quempiam in magistratu
27 perseverare velit. Stet igitur sententia, non omnes † juvenes à magistratu & consiliis esse removendos, sed probos, exercitatos, & egregiam dexteritatis spem ostendentes, senibus adjungendos.
28 Expedit † enim omnino juxta annosas arbores plantas novas inserere, vel plantare, quæ post interitum vetustarum in locum earundem succedant. *P. Greg. Tholoz. lib.* 24. *de Repub. c.* 6. Nec minùs
29 eleganter *Plato* de vino † nimis forti scribit, diluendum illud aquâ esse, & insanum Deum sobrio aliquo temperandum: & conjun-
30 gendam † cautionem lenilem cum fervente studio adolescentum, docet *Plutarch. de præcept. gerend. Reipub.* In eandem sententiam descendit *Baron. in Tiss. tr. in præfat. decis. Pedemont. n.* 25. dicens: Existimo, in senatu etiam juvenes esse admittendos esse, admixtis tamen omnino senibus, qui quandoque juvenilem ardorem contemperent: semperq; ita evenit in senatu perpetuorum judicum, ut major pars sit ex senibus, cum hi, qui postremo loco creati sunt, licet juvenes, senes posteà fiant.

CAPUT

CAPUT XIV.

AN IN VITIS MAGI-stratus sit offerendus?

INter alia, quæ in Scholis Politicorum moveri solent, & illud est:
An invitis magistratus sit deferendus, & quodammodo obtrudendus?

Pro negativa parte militant hæc:

Primò, inviti carent † stimulis ad res benè gerendas. Unde 1
Comicus improbat, invitos canes venatum ducere. Quo signifi- Sententia
catum est, non sat feliciter succedere, quod à nolentibus extor- negans.
quetur. Neque eorum † officio utendum, qui non ex animo ope- 2
ram suam nobis commendant. *Erasmus Roterodamus chiliad.* 1.
cent. 7, *adag.* 65. *Apud Plautum in Sticho* Panegyris † patri intermi- 3
nans, ne se suamque sororem invitis viris collocet: stultitia est, inquit, pater, venatum ducere invitas canes. Additque sententiam, quam metaphoram explicat. Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur. Unde idem *Erasmus chiliad.* 4. *cent.* 1. *adag.* 17. Volentem bovem ducito, id est, utere illorum operâ, qui ex animo faciunt.

Secundò, Quod est invitum, † id non est diuturnum. Cùm 4
invitum sit quodammodo violentum, ex decreto Philosophorum, Quod ego invitus & necessariò facio, nec diu, nec diligenter facere possim, inquit *Cicero pro Sexto Roscio*. Itaque si maximè invitus principatum suscipiat, tamen non poterit diu feliciter eum gubernare, aut facilè degenerabit in tyrannum invitus princeps, & exprobrabit subditis hoc ipsum, quòd se invitum ad imperium traxerint. *Keckerman. lib.* 1. *syst. Polit. cap.* 2. Hæc pro parte negante faciunt.

Verùm pro affirmante sunt argumenta majores momenti, è quibus hæc capere:

1. Publica à privato declinari non possunt. *l. si ad magi-* 5 Affirmans.

ſtratum. 18. *C. de decur. l. tutori.* 20. *C. de negot. geſt.* Hinc videmus in civilibus magiſtratus & honores. In Eccleſiaſticis officia renitentibus offerri. Sic cum tutela & cura ſint munera publica. *l. filiusfam.* 9. *ff. de his, qui ſunt ſui & alien. jur. in Inſtit. de excuſ. tut. vel cur. à pr.* ad ea ſuſcipienda etiam invitus cogitur. *l.* 1. *in princ. ff. de adminiſtr. tut.* ut & alia munera publica ex neceſſitate ſunt ſubeunda ei, cui imponuntur. *l.* 21. *ff. ad municip. l.* 4. §. 5. *de legat. l.* 9. *de munerib. & honor. per tot. l.* 214. *de verb. ſignif.* niſi quis habeat vacationem & immunitatem, eaque uti volet. *ut in tit. de vacat. & excuſ. muner. in Digeſt. & Codic. & de jure immunitat. ff. per tot.*

6 Ratio aſſertionis noſtræ evidens aſſignatur: Si enim ea, † quæ ſunt publica, declinari poſſent, jam eſſet in arbitrio hominis privati, jus publicum ſequi vel non ſequi, qua ex re maxima ſequeretur confuſio, cùm nemo ſuſcipere vellet: quod non tantùm difficile, ſed periculoſum etiam eſſe arbitraretur *Dn. Vult. in Inſtit. ad*
7 *tit. de excuſ. tut. num.* 2. Unde *Cic. lib.* 1. *offic.* juſtitiæ † facit fundamentum, ut communi utilitati ſerviatur. Non nobis ſolùm nati ſumus, inquit, ortusque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici: atq; (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, alius alii prodeſſe poſſent, in hoc naturam debemus ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tùm operâ, tùm facultatibus devincire hominum, inter homines, ſocietatem. Et *eod lib.* Deſerunt vitæ ſocietatem, qui nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum.

8 Neque abſtrahere † quempiam debet neglectus proprii
9 commodi. Bonus † ſiquidem vir magis penſi habebit bonum publicum, quàm privatum, ut enim natura jubente, pars una potiùs diſcrimen ſubire cogitur, quàm totum pereat, ita juſtitia flagitat, ut boni, qui ſunt partes civitatis, periculoſum magiſtratum gerant, quàm damnum aliquod Reſpub. ſentiat. *Ariſt.* 2. *Polit. c.* 7. *& in hunc Caſus.*

10 Deinde, ſi boni, † idonei & prudentes oblatos ſibi honores

ac

ac magistratus recusent, eosdem pravi, stolidi & indigni consequenter. *Plato Epist.* 9.

Imò indignus † est sacerdotio, nisi ordinetur invitus, prout 11
habetur *in l.* 31. *C. de Episcop. & Cler.* Desiderantibus enim est negandum, fugientibus verò offerendum. *c. in Scripturis.* 8. *quæst.* 1. *Innoc. c.* 23. *de elect. & elect. potest.* Et Alexander Severus invitos, non ambientes dixit in Repub. collocandos, *Ælius Lamprid in ejus vit.* Galba quoque non dedit senatoria & equestria officia, nisi invitis & recusantibus. *Suet. in vit. Galb.*

Nec enim quisquam † nisi ambitiosus ad magistratum 12
petendum descendit. *Aristot. d. l.* Illorum verò ambitioni & cupiditati resistendum potiùs, quàm gratificandum, qui ultrò sese obtrudunt, & ambitiosè largitionibus honores & Reipublic. munera turpiter nundinantur. Suspectusque is putatur, qui operam suam ingerit, ut ait Ulpianus *in l.* 25. *ff. de procurat.*

Denique quædam † Respublicæ mulctare eos sunt solicitæ, 13
qui magistratus & officia recusarunt: Atheniensis capite: Romana libertate: Sparta patria & exilio. Et Sophronetus, quòd dux declaratus munus recusasset, 10. mulctatus minus est. *Xenoph. de Cyri minoris expedit. lib.* 5. *Junius part.* 1. *quæst.* 8. Venetorum Respublica pœnam constituit in illos, qui legationem injunctam suscipere nolint, si digni à Senatu judicentur, ut *ex Octaviano cive Veneto, lib.* 1. *cap.* 2. *de leg.* refert *Kirchner. lib.* 1. *de legat. cap.* 5. *num.* 12.

Nos hanc quæstionem limitando, statuimus 1. quòd ido- 14
neus † administrationem Reipub. cum dignitate detrectare nec Determinatio.
possit, nec debeat. Erit autem idoneus, si pollet † alacritate elo- 15
quentiâ, historiarum cognitione, mansuetudine, fortitudine, prudentiâ, [illegible] pietate, quę primas tenet, &c. Hęc omnia pro dignitate [illegible] *Ceriol. in idea cons.* persequitur ubi 15. qualitates internas [illegible] nobiliores sunt externis, ita meritò præferendæ.
Deinde [illegible] o † sit habenda imbecillitatis, ætatis, se- 16
nectutis, quę ut C[illegible] r se morb est, fortunæ, seu difficultatis rei domesticæ, profe[illegible]is, numeri liberorũ &c. de quibus & alüs

aliis modis, sunt tituli juris ante alleg. *de vacat. & excus. mun. &*
37 *jure immunit.* Prætextus † verò & metus periculi, ob quem multi magistratum detrectant, neutiquam est attendendus.

CAPUT XV.

UTRUM PRÆSTET MAGIstratus mutabiles, vel perpetuos habere?

PRo hac quæstione in utramque partem *argumenta* non modò *probabilia*, sed etiam *ad assentiendum necessaria* in medium afferri possunt. Rationes, quæ magistratus mutabiles annuos esse jubent, sunt tales.

Rationes pro mutabilitate Magistratus.

1 1. Rerum omnium † publicarum præcipuus, idemque optimus finis est virtus, cujus præmium nullum est majus ipso honore. Quod si igitur magistratus in perpetuum tribuantur, pauci suis meritis fruentur.

2 2. Ex præmiorum † inæqualitate, seditionum ac discordiarum civilium stirpes enascuntur, quæ ab ipsis radicibus, quoad ejus fieri poterit, avelli debent.

3 3. Magistratus illecti dulcedine † potestatis continuatæ, de mutandò Reipub. statu nova consilia capiunt. *Althus. in Polit. cap. 32.*

4 4. Si magistratus sint perpetui, delinquentibus † supplicia irrogari non poterunt. Contra verò si sint annui, metu accu-
5 sationis futuræ consequentur ac toties trepidabunt, quoties illam Tribunorum ad Manlium orationem meminerint: *Privatum rationem rerum ab se gestarum redditurum, quotiens consul noluisset. Liv. lib. 41. Bodin. lib. 4. de Repub. cap. 4.* Idem confirmat *Simancas lib. 8. de Repub. c. 36 ex Dion. lib. 52.* dum ait: Diuturna imperia multos ad fastum ac tentandas res novas extollunt, minores verò efficiuntur, si aliquando privatim post gestum magistratum vixerint,

rint. Unde Claudius † vetuit Magistratus in provinciis, vertente anno, manere cum legatione, ne magistratuum continuatione tempus exigendarum rationum eluderetur. *Dio in Claud.* Tria † e- 6
nim ad modestiam voluit Agatho magistratui cogitanda, quòd 7
imperet hominibus, quòd imperet secundum leges, quòd non semper imperet, ut refert *Arnisæ. lib. 1. doctr. Polit. c. 13.*

5. Sic jubent quædam exempla † præstantissimarum Re- 8
rumpublicarum. Magistratus omnes, exceptis Senatoribus, Romæ erant temporales. Annibal rogationem ad populum Carthaginensem tulit, ut in singulos annos magistratus legerentur. *Liv. lib. 35.* Apud Athenienses quidam magistratus temporales: Et apud Spartiatas Ephori fuerunt annui. *Pausan. lib. 3.* Olim Saxonum Respub. per annuas vices, ordine à duodecim Primatibus gubernata. *Beda Histor. Eccles. Anglic. lib. 1. c. 11. Mut de reb. German. lib. 1. Crantz. lib. 2. Saxon. cap. 11.* Mediolanum & ferè Italia omnis, omnes habet judices mutabiles. *Tholozan. lib. 2. de Eunomia cap 31.*

Denique apud Venetos † ob id mutabiles magistratus fa- 9
cti, quòd aliàs rei familiari consulere non potuissent. *Janot. de Repub. Venet.*

Pro continuandis tamen perpetuò constituendis magistratibus faciunt hæc argumenta. Pro perpetuitate.

1. Quòd annui & temporales coguntur Magistratu † se 10
abdicare, priusquàm rationem benè administrandi didicerent, sicut ait *Isocrat. [illegible] apud Strobæ. serm. 45.* Qui magistratus per vices annorum prius iterum fiunt privati, quàm Resp. negotia cognoscant, eorumque sibi experientiam comparent. Qui verò semper iisdem officiis funguntur, licet ingenii fuerint inferiores, experientiâ tamen usuque rerum longe cæteris præferendi sunt [illegible].

Quod si igitur finem † proximum propriumque officium 11
singulorum [illegible] consideramus, eosque prudentes, fortes ac rerum [illegible] peritos esse volumus, perpetui nobis erunt optandi. [illegible] magistratuum officia non frequenter à civibus inexpertibus, sed [illegible] peritioribus absolverentur. *[illegible]*

[illegible]

ciscus Piccolomineus gr. decim. Philosoph. moral. cap. 19. Et hoc est, quod *Aristotel. lib* 2. *Polit.* sub initio dixit: melius fore, si iidem semper magistratum gererent, modò id fieri posset. Hinc Antonius Pius novenis & septenis annis binos præsides in provinciis detinuit. *Jul. Capitolin. in ejus vita.* Et Mecœnas, cùm Augusto consilium daret de instituenda Republica, magistratus quinquennio ad minimum circumscripsit. *Dio in Augusto.*

12 2. Crebra † magistratuum mutatio in Republ. valdè est perniciosa, propter novas subinde leges, constitutiones, mores & ritus, novam rerum omnium faciem in Repub. dum quisque magistratum suum novis legibus memorabilem facere nititur, juxta tritum illud. *Novus Rex, nova Lex.* Cujus rei illustria sunt documenta in Republica Romanâ *apud Liv. lib.* 5 *& passim alibi* Hinc *Claudianus in laudem Honorij Imperatoris:*

Ut fortes in Marte viros, animisq; paratus:
Sic justos in pace legis, longumq; tueris
Electos, crebris nec succedentibus urges
Judicibus. Notis regimur, fruimurq; quietis.

13 Tertiò, mutabilitas illa non expetenda propter novas † exactiones. Nam, ut dici solet: *Non parcis populis regnum breve.* Sicut etiam de Commodo Imp. *Lucanus* scribit:

Ille quod exiguum restabat, sanguinis hausit.

14 Ultimò, nec imperii † decus tueri, nec cum majestate imperare potest, qui se brevi eâ privaturum fore metuit, quod si dignitas & imperandi majestas magistratui detracta fuerit, quis parebit? quis metu contineri poterit? quis imperata exequetur? Sin perpetua potestas erit, & cum dignitate imperabitur, & cum obsequio parebitur: nec magistratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias, aut improborum calumnias ferre cogatur. *Bodin. d. c.* 4 *num.* 436.

Decisio per distinctionem.

Nos, etsi in hujus quæstionis decisione non rejiciamus illorum sententiam, qui semper spectandum esse putant, quid illi Politiæ,

litiæ, quam populus quisque ſibi delegerit & prætulerit, con[illegible] & ex uſu ſit. Neceſſariò tamen diſtinctionem adhibemus inter diverſas Rerumpublicarum formas, dicẽdo: In monarchia† ſum- 15
mum & primum, vel majorem magiſtratum debere eſſe perpe- 16
tuum, cum ſit fundamentum & firmamentum univerſi Imperii, à quo, ut à corde, virtus effunditur in alios. Ex ejus enim [illegible] permutatione magna in univerſam Rempub. permutatio redundat: mutato ſiquidem principio, facile mutantur ea, quæ ex prin-
cipio pendent. *Piccolom. c.* 19. Ita apud Utopienſes† Principis ma- 17
giſtratus perpetuus eſt in omnem illius vitam, niſi tyrannidis affectatæ ſuſpicio impediat. *Thomas Morus in Inſula Utopia lib.* 2. *c. de magiſtratibus.* Minores† verò, intermedius, ſeu communes, ut 18
loquitur *Caſus lib.* 2. *ſphær. civit. c.* 1. annuos eſſe poſſe, & interdum debere, *cum Junio part.* 2. *quæſt. Polit.* 26. concludimus. Im-
primis † verò Magiſtratus illi erunt temporales & annui, qui ma- 19
gna cum poteſtate & vi armorum conjunguntur. Horum enim nimia potentia eſt ſuſpecta, & multi Imperatoribus arma intentarunt, quòd ab iiſdem nimiâ potentiâ armati priùs fuerant. *Arniſæ. lib.* 1. *doctr. Polit. cap* 5. *Machiavel. lib.* 1. *diſcurſ. c.* 30. *lib.* 3. *c* 24. *Tholoſan. lib.* 2. *de Repub. c.* 10. *Clapmar. lib.* 2. *de arcan. Rerump.* ejusque rei luculenta exempla in medium attulimus part. 1. c. 7. num. 143. & ſeq. licentiâ equidem omnes ſumus deteriores, inquit Comicus.

Magis tamen in Polyarchiis † noſtra concluſio & determi- 20
natio locum habet. Nam *Ariſtot. lib.* 5. *Polit. c.* 6. ſeditiones† prin- 21
cipium eſſe ſcribit, cum pauci divites dominantur, & cæteri honoribus excluduntur: quod ibidem exemplis declarat. & *c.* 8. in[illegible] incolumes Ariſtocratias permanere tradit, ſi magiſtratus faciant, ut qui modò principatu digni ſunt, ad Rempub. capeſſendam [illegible], neque candidatos de meritis honoribus dejiciant, aut [illegible].

[illegible] magiſtratus minores ſeu inter medios an- 22
nuos eſſe debere. Nam qui circa† ſecreta verſantur, ut quos hodiè 23
Cancellarios, Conſiliarios, Secretarios, &c. vocamus, non poſſunt ſine incommodo ſæpius mutari, quia tutum non eſt, ſecreta pluri-

bus communicari, ne aliqua ad hostes dispergantur. *Dn. Arnisæ lib. 1. doctr. Polit. c. 13.* nec arcana Reipub. ea ratione arctius custodiuntur, sed & rationes Reipub. exactius cognitæ, melius tractantur, fides & prudentia consiliis major constat.

24 Sed vel maxime in Democratia † consultum est, ut temporales sint magistratus, & multis ad eos aditus pateat, ad evitandam invidiam. Nam ea est inprimis Democratiæ natura, ut spectet æqualitatem, & mutuâ obediendi, ac vicissim imperandi ratione conservetur. *Aristotel. lib. 3. Polit cap. 5. & lib. 6. cap. 2. Bodin. d. c. 4. num. 418.*

CAPUT XVI.

DE VIRTUTIBUS PRINcipis in genere.

1 DOctrinam de Magistratibus tam superioribus, quàm inferioribus, eorumque officio, sequitur specialis † tractatio, de superioris Magistratus, *Principis* videlicet, *virtutibus & requisitis.*

2 Quæ autem, inquis, in Principe requiruntur virtutes? quæ dotes? ubi scies, à Politicis virtutes † alias exigi morales, seu Ethicas, alias Oeconomicas, alias Politicas, quæ tamen omnes & singulæ magnificentius quàm verius proponuntur: ideoque optandæ potius sunt, quàm sperandæ exemplo perfecti oratoris, descripti à *Cicerone de perfecto Orat.* qui talis facilius fingitur, quàm ostenditur & datur. Nec tamen ab re est, quod id notarunt Scriptores illi, quia non ignorarent, atqui † præcepta magis debere esse de idea & perfectione, quàm de imperfectione & defectu.

4 Sic verò præ cæteris *Cicero* † *in Orat. pro Rege Deiotaro* ait: Fortem, justum, severum (clementem alii malunt) gravem, magnanimum,

gnanimum, largum, beneficum, liberalem dixit, hæ sunt regum laudes. Et *L. Dominicus* † *Brusonius lib. 5. facetiarum & exemplorum,* 5
sub tit. de imperio & Imperatore: clementem, humanum, parcum, sanctum, patientem, simplicem (hoc tamen alii non simpliciter admittunt) Principem esse decet. Ubi sigillatim de his virtutibus agit, & exempla subnectit. Nec non *Octavianus* † *Cacherantus in* 6
proœmio decisionum Senatus Pedemontani num. 3 summatim describens qualitates & officium Principis, Omnium illorum, inquit, qui de Principe tractatus conscripserunt, dicta huc tendunt, & hunc unum scopum respiciunt, decere Principem esse subditorum suorum patrem, erga eos militem, placidum, lenem, providum, æquum, humanum, magnanimumque, liberalem, pecuniæ contemptorem, haud obnoxium affectibus, sibi ipsi imperantem, voluptatibus dominantem, ratione utentem, ingenio perspicacem, circumspectum, stabilem, constantem, & inflexibilem, magna cogitantem, auctoritate præditum, industrium, suo parentium imperio servatorem & fautorem, ad beneficentiam promptum, lentum ad vindictam, ad justitiam omninò propensum, aditu facilem, & alloqui volentibus se commodum præbentem, pacis ac tranquillitatis amatorem & conciliatorem, qui bonos defendat, præmiisque alliciat, malos verò pœnis afficiat. *Sic ille.* Qui tamen *num.* 6. dicenti: Quis est hic, & laudabimus eum? respondet: *Beatus ille qui minus urgetur.*

Concisius alii, quibus virtutes principales aliæ † sunt animi, 7
aliæ corporis: seu, ut loquitur *Lips. lib. 4. Polit. c. 9.* aliæ internæ aliæ externæ.

Internæ † sunt pietas, justitia, clementia, benevolentia, hu- 8
manitas, mansuetudo, modestia, temperantia, frugalitas, castitas, providentia, prudentia & sapientia, peritia gubernandi Rempublicam, fortitudo, liberalitas, eruditio, de quibus omnibus & singulis virtutibus latè agit *Schönborn. lib. 2. Polit. cap.* 22. 23. 24. 25. 26. *& seq.* 30. *&* 36. *Keckermann. lib. 1. systema. Polit. cap.* 3. *per tot.*

Pietas † consistit in cognitione & cultu Dei, seu religione, 9
quæ præcipua pars est magistratus. *Plat. 4. de Repub.* eximia res Pietas.

bus communicari, ne aliqua ad hostes dispergantur. *Dn. Arnisæ lib. 1. doctr. Polit. c. 13.* nec arcana Reipub. ea ratione arctius custodiuntur, sed & rationes Reipub. exactius cognitæ, melius tractantur, fides & prudentia consiliis major constat.

24 Sed vel maxime in Democratia † consultum est, ut temporales sint magistratus, & multis ad eos aditus pateat, ad evitandam invidiam. Nam ea est inprimis Democratiæ natura, ut spectet æqualitatem, & mutuâ obediendi, ac vicissim imperandi ratione conservetur. *Aristotel. lib. 3. Polit. cap. 3. & lib. 6. cap. 2. Bodin. d. c. 4. num.* 438.

CAPUT XVI.

DE VIRTUTIBUS PRINcipis in genere.

1 DOctrinam de Magistratibus tam superioribus, quàm inferioribus, eorumque officio, sequitur specialis † tractatio, de superioris Magistratus, *Principis* videlicet, *virtutibus & requisitis*.

Quæ autem, inquis, in Principe requiruntur virtutes? quæ
2 dotes? ubi scies, à Politicis virtutes † alias exigi morales, seu Ethicas, alias Oeconomicas, alias Politicas, quæ tamen omnes & singulæ magnificentius quàm verius proponuntur: ideoque optandæ potius sunt, quàm sperandæ, exemplo perfecti oratoris, descripti a *Cicerone de perfecto Orat.* qui talis facilius fingitur, quàm ostenditur & datur. Nec tamen a[illegible] notandi Scri-
3 ptores illi, quia non ignorant [illegible] † præcepta magis debere esse de idea & perfectione, quam de imperfectione & defectu.

4 Sic verò præ cæteris *Cicero* † *in Orat. pro Rege* [illegible]: Fortem, justum, severum (clementem [illegible]), magnanimum,

magnanimum, largum, beneficum, liberalem dici, hæ sonoræque laudes. Et *L. Domitius* † *Brusonius lib. 5. facetiarum & exemplorum,* 5
sub tit. de imperio & Imperatore: clementem, humanum, parcum, sanctum, patientem, simplicem (hoc tamen alii non simpliciter admittunt) Principem esse decet. Ubi sigillatim de his virtutibus agit, & exempla subnectit. Nec non *Octavianus* † *Cacherannus in* 6
proœmio de dominio Statuum Pedemontanorum num. 3 summatim describens qualitates & officium Principis, Omnium illorum, inquit, qui de Principe tractatus conscripserunt, dicta huc tendunt, & hunc unum scopum respiciunt, decere Principem esse subditorum suorum patrem, erga eos militem, placidum, lenem, providum, æquum, humanum, magnanimumque, liberalem, pecuniæ contemptorem, haud obnoxium affectibus, sibi ipsi imperantem, voluptatibus dominantem, ratione utentem, ingenio perspicacem, circumspectum, stabilem, constantem, & inflexibilem, magna cogitantem, auctoritate præditum, industrium, suo parentium imperio servatorem & fautorem, ad beneficentiam promptum, lentum ad vindictam, ad justitiam omninò propensum, aditu facilem, & alloqui volentibus se commodum præbentem, pacis ac tranquillitatis amatorem & conciliatorem, qui bonos defendat, præmiisque alliciat, malos verò pœnis afficiat. *Sic ille.* Qui tamen *num.* 6. dicenti: Quis est hic, & laudabimus eum? respondet: *Beatus ille qui minus urgetur.*

Concisius alii, quibus virtutes principales aliæ † sunt animi, 7
aliæ corporis: seu, ut loquitur *Lips. lib. 4. Polit. c. 9.* aliæ internæ aliæ externæ.

Internæ † sunt pietas, justitia, clementia, benevolentia, hu- 8
manitas, mansuetudo, modestia, temperantia, frugalitas, castitas, providentia, prudentia & sapientia, peritia gubernandi Rempublicam, fortitudo, liberalitas, eruditio, de quibus omnibus & singulis virtutibus latè agit *Schönborn. lib. 2. Polit. cap.* 22. 23. 24. 25. 26. & *cap.* 30. & 36. *Keckermann. lib. 1. systém. Polit. cap. 3. per tot.*

Pietas † versatur in cognitione & cultu Dei, seu religione, 9
quæ præcipua pars est magistratus. *Plat.* 4. *de Repub.* eximia res Pietas.

res cùm in aliis, tùm maximè Principibus, religiosum esse. *Xenophon in Agesilei laudibus.* Et *Aurel. Victor. in Trajano* inquit: Duo sunt, quæ ab egregiis Principibus exspectantur: sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, inde omnes virtutes religionis gremio continentur. *Mildendorp. ad quæst. 41. Ptolom.* Rectè ergo *Plat. lib. 3. de legib.* quando neminem vult eligi in magistratum, nisi pius extiterit, & divinis studiis operam dederit. In sacris literis ob pietatem *David*, Josaphatus, Ezechias, Josias commendantur. Certè pietatis exercitio vera paratur auctoritas. *Isocrat. in Busirid.* acquiritur etiam vera felicitas, & prosper rerum successus. Sic *Livius lib.* 5 omnia prospera evenisse ait Deos colentibus, adversa aspernantibus. Hinc Impér. Theodosius moriens filiis suis nihil aliud mandavit, quàm ut veram pietatem integram servarent, per quam eos asseveravit pacem habituros, & bella sopituros, & victoriam a Deo consecuturos esse. *Niceph. lib. 11. hist.*
10 *cap. 1.* Quin subditi † vehementer ad religionis & pietatis studium excitantur, cùm magistratuum suorum pietatem vident: quia magis exemplis, quàm legibus reguntur & vita Principum ipsis
11 censura est. *Plut. in Nicia.* Quare detestamur impiam † Machiavelli sententiam, dictantis: Fidem, religionem, privata bona esse, Principes autem & Reges non obligare. Ita ante ipsum Atreum illum in Tragœdia dixisse, refertur *in Orat. de Ferdinando Cæsare apud Chytræ. lib. 21. Saxon. fol. 551.* Sanctitas, pietas, fides, pudor, privata sunt: Quà juvat, Reges eant. Audiant ἄθεοι illi offi-
12 cium † Regis, ex ore ipsius Dei sic præcipientis: Volumen legum secum habeat, legat illud omnibus vitæ diebus, ut discat timere Dominum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor super fratres suos, neque declinet ad dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filius ejus. *Deut. 17. v. 18. 19. 20.* Tolle hoc vinculum religionis, ait *Lactant. de ira Dei c. 8.* & vita hominum stultitia, scelere, immanitate complebitur. Nullum sanè flagitium aut facinus tam nefarium est, quod non perpetret, cui Deorum reverentia periit. *An-*
13 *ton. Guevar. in Horolog. Princ. lib. 1. c. 18. fol. 63.*

Justitia. *Justitiam* † quod concernit, illa secundùm Platonem ororu

auro

a[illegible] ornati, sine qua non solùm Respub. sed nec domus qui-dem [illegible], [illegible] *de recta Princ. educat. c. 2. fol. 41.* Unde Agesilaus Rex interrogatus, utra virtus melior esset, fortitudo, an justitia: nullam fortitudinis utilitatem esse respondit, vigente justitia. Nam, si omnes, inquit, justi essent, nihil fortitudine opus foret, nihilque ad profligandas injurias, ulla potentia: cum, ubi justitia sit, ibi nulla diffidia nullæ simultates, nulla jurgia, nulla denique præjudicia: sed pax, concordia & charitas. Quare Cicero rectè monet, justitiam omnium virtutum Dominam & reginam cole, & semper observa. Et in sacro Codice præcipitur: Diligite justitiam, qui judicatis terram: custodite judicium, & facite justitiam. Proprium siquidem Regum officium est, facere justitiam & judicium, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. *Hieronymus super Hierem. cap. 22.* & translativè *in c. 23. q. 5.* Laudabiliter quoque Carolus M. † olim 14
sanxit, ut in primaria cujusque regionis urbe Pontifex & Prætor ter quotannis, Aprili, Octobri, & Januario jus dicerent, responsa darent: & primùm pauperes viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono, diligentissimè audirent, inimicos reconciliarent. Vetuit insuper, ne illi lites in diem differrent. *Aventin. lib. 4.* Hodiè etiam moribus † adhuc est receptum, ut quando Equites, qui 15
aurati vulgò vocantur, ab Imperatore vel Regibus creari solent, gladius evaginatus illis tradatur, eorumq; humeri leviter eo perstringantur, cum commonefactione, ut justitiam foveant, viduas, pupillos, aliasque personas miserabiles a vi injuriave defendant. *[illegible] lib. 3. de orig. urb. c. [illegible] fol. [illegible].* Quemadmodum igitur Sol † pariter divitibus & pauperibus lumen & calorem largitur: 16
[illegible] omnibus & singulis ex æquo administrabit justitiam, [illegible] fuit Caroli V. vox egregia & Imperatore digna, *apud [illegible] Cosmograph. in vit. Caroli.* Sic enim, dicente *Ænea Sylvio [illegible] Imp. Rom. c. 3.* pacem suis subditis, & sibi tutum [illegible] regnum parabit, juxta illud Scripturæ dictum: Rex [illegible], qui judicat in veritate pauperes, ejus thronus in [illegible] firmabitur. *v. [illegible] Proverb. 29. v. 4. Item:*

Quando Rex Justus sederit supra sedem, non adversabitur sibi quicquam.

17 *Clementia* † nullum ex omnibus magis, quàm Regem aut
Clementia Principem decet. *Senec. lib. 1. de clem.* Qui clementia & benignitate imperium temperavêre, his candida & læta omnia fuerunt, etiam hostes æquiores, quàm aliis cives. *Salust. ad Cæsar.* Benevolentiæ & mansuetudinis excellentia tanta est, ut *Julius Capitolinus in historia Balbini Imperatoris*, cum laudibus efferre volens, dixerit, in terra benignius nihil fuisse. Oportet enim in Reipub. statu, quantum fieri potest, omnes cives benevolos reddere, quod si id fieri nequeat: saltem curare, ne hostes existiment eos, qui gubernant. *Hieronym. Cagnol. de recta Principis institutione cap. 39. fol. 48.* Et mansuetudo à Principe colenda, ita ne temerè irascatur, præsertim ob injurias & convitia pertinentia ad personam suam. *Kecker. man. lib. 1. system. Polit. cap. 3. fol. 94. confer Vincent. Castellan. lib. 4. de offic. Reg. cap. 16. 17. & 18.* ubi pluribus agit de mansuetudine & de ira Principi cohibenda. Sanè Alexander Severus moderationis tantæ fuit, ut nemo unquam ab ejus latere sine spe submoveretur, ut omnibus se blandum affabilemque præberet. *Lamprid. in ejus vita.* Dies nunquam transibat, quin aliquid mansuetum, civile, pium faceret: sed ita, ut ærarium non everteret. Interrogatus, cur erga omnes etiam malè meritos tam humanus & mansuetus esset: Respondit, se quidem justitiâ bonis gratum esse, malis autem clementiâ. *Panormitan. lib. 2. de reb. gest. Alphons.* Marcus quoque Antoninus Philosophus fuit per omnia moderatissimus, in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos. *Jul. Capitolin. in ejus vit.*

18 *Modestiam* † sub amore Principis colligere, novum est,
Modestia. quæ tam clara, quàm rara est: quæ gaudia semper animos inquietant; modestis etiam raro lætis rebus intervenit. *Cassiodor.*
19 *lib. 4. epist.*

Temperantia & frugalitas. *Temperantia* † quoque & *frugalitati* Princeps maximè studebit. Nam missos facere honores, non attingere Rempub. illi debent,

debent, qui voluptatum sese lenociniis dederunt, inquit *Cicer. pro Sestio.* & misera judicatur terra, cujus Principes mane comedunt: ut beata contrà cujus Principes in tempore vescuntur, ad reficiendum, non ad luxuriam. *Ecclesiast. c. 10. v. 17.* Quin Solon legem tulit, ut ebrius magistratus impunè occideretur. *Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 5* & apud Athenienses Princeps ebrius morte mulctatus fuit. *Diogen. Laert. in Solon. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 11.* Frugalitas certè præterquàm quòd sanitatis est conservatrix, imò moderatrix omnium virtutum, dicente *Cicerone 5. de fin.* autoritatis etiam plus illa apud subditos conciliat, quàm commessatio assidua. *Schonborn. lib. 2. cap. 17. in princ.* Ubi id declarat. & comprobatur exemplo Epaminondæ Thebani, qui temperantiæ nomine plurimum auctoritatis & laudis est assecutus. Cùm n. festo quodam die cives compotationibus operam darent, solus arma murosque lustravit: sobrium se dixit, ut aliis ebrietati indulgere, & dormire liceret. *Plutarch. ad Princip. indoct.* Temulentia † contrà 20
omnes alias virtutes obscurat *Patrit. de Reg. Instit. tit. 26.* Sic illa Alexandri Magni auctoritatem deformavit. *Plut. in Alex.* quin sapientem etiam insipientem facit, ac omne vitium includit, & detegit. *ex Senec. Hippolyt. in Polit.* Loquitur id exemplum Commodi, qui veste gestuque muliebri usus, cùm nimiâ crapulâ gustum omnem amisisset, eò furoris devenit, ut humanum stercus cibis immisceret, ut rideret illos, qui mixturam eam abhorrerent. *Lamprid. in ejus vita.* Malè etiam audit Caligula, qui in conviviis, interdum, aureo pane, & aureis piscibus, in ceterorum similitudinem expressis mensas suas instrueret, pulmenta condiret ex decretis maceratisque margaritis. *Sueton. in ejus vit.* Notatur etiam Dionysius Siciliæ tyrannus, cujus tanta fuit intemperantiæ victus, ut novarum voluptatum inventores summis afficeret præmiis. *Herodian. lib. 1. in vita Commodi.*

Castitas sequitur, quæ est virtus, sub jugo rationis impe- 21
turbata obtemperans. *Augustin. d. fi. & alibi:* pudicitia virtus Castitas.
animæ est, & comitem habet fortitudinem. id quod patet exemplo Alexandri Magni heroïs fortissimi, qui devicto Dario Rege Persarum, oblatas ejus filias formâ præstantes noluit aspicere, & turpe-

Quando Rex juſtus ſederit ſupra ſedem, non adverſabitur ſibi quicquam.

17 *Clementia* † nullum ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet. *Senec. lib. 1. de clem.* Qui clementiâ & benignitate imperium temperavêre, his candida & læta omnia fuerunt: etiam hoſtes æquiores, quàm alijs cives. *Saluſt. ad Cæſar.* Benevolentiæ & manſuetudinis excellentia tanta eſt, ut *Julius Capitolinus in hiſtoria Balbini Imperatoris*, eum laudibus efferre volens, dixerit, in terra benignius nihil fuiſſe. Oportet enim in Reipub. ſtatu, quantum fieri poteſt, omnes cives benevolos reddere. quod ſi id fieri [illegible], ne hoſtes exiſtimentur eos, qui gubernant. *[illegible] cap. 39. fol.* 48. Et [illegible] à Principe [illegible], ita ne temere [illegible], præſertim ob injurias & convicia pertinentia ad perſonam ſuam. *Keckerm. lib. 1. ſyſtem. Polit. cap. 3. fol. 94. confer Vincent. [illegible] lib. [illegible] Reg. cap. 16. 17. & 18.* ubi pluribus agit de manſuetudine & de ira Principis cohibenda. Sane Alexander Severus moderationis tantæ fuit, ut nemo unquam ab ejus latere ſine ſpe ſubmoveretur, ut omnibus ſe blandum affabilemque præberet. *Lamprid. in ejus vita.* Dies nunquam tranſibat, quin aliquid manſuetum, civile, pium faceret: ſed ita, ut ærarium non everteret. Interrogatus, cur erga omnes etiam malè meritos tam humanus & manſuetus eſſet: Reſpondit, ſe quidem juſtitiâ bonis gratum eſſe, malis autem clementiâ. *Panormitan. lib. 2. de reb. geſt. Alphonſ.* Marcus quoque Antoninus Philoſophus fuit per omnia moderatiſſimus, in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos. *Jul. Capitolin. in ejus vit.*

18 *Modeſtiam* † ſub amore Principis [illegible], novum eſt, quæ tam clara, quam rara eſt, quia gloria ſemper animos inquietant; modus enim raro lætis rebus intervenit. *Caſſiodor.*
19 *lib. 4. epiſt.*

Temperantiæ † quoque & *frugalitati* Princeps maximè ſtudebit. Nam nullos facere honores, non attingere Rempub. illi debent,

Clementia

Modeſtia.

Temperantia & frugalitas.

debent, qui voluptatum sese lenociniis dederunt, inquit *Cicer. pro Sestio.* & misera judicatur terra, cujus Principes mane comedunt; ut beata contra cujus Principes in tempore vescuntur, ad reficiendum, non ad luxuriam. *Ecclesiast. c. 10. v. 17.* Quin Solon legem tulit, ut ebrius magistratus impunè occideretur. *Bodin. lib. 5. de Rep. [illegible] 5* & apud Athenienses Princeps ebrius morte mulctatus fuit. *Diogen. Laert. in Solon. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 11.* Frugalitas certè præterquàm quòd sanitatis est conservatrix, imò moderatrix omnium virtutum, dicente *Cicerone 5. de fin.* autoritatis etiam plus illa apud subditos conciliat, quàm commessatio assidua. *Schonborn. lib. 2. cap. 17. in princ.* Ubi id declarat. & comprobatur exemplo Epaminondæ Thebani, qui temperantiæ nomine plurimum auctoritatis & laudis est assecutus. Cùm n. festo quodam die cives compotationibus operam darent, solus armâ murosque lustravit: sobrium se dixit, ut aliis ebrietati indulgere, & dormire liceret. *Plutarch. ad Princip. indoct.* Temulentia † contrà 20 omnes alias virtutes obscurat. *Patrit. de Reg. Instit. tit. 26.* Sic illa Alexandri Magni auctoritatem deformavit. *Plut. in Alex.* quin sapientem etiam insipientem facit, ac omne vitium includit, & detegit. *ex [illegible] Hippolyt. in Polit.* Loquitur id exemplum Commodi, qui veste gestuque muliebri usus, cùm nimia crapulâ gustum omnem amisisset, eò furoris devenit, ut humanum stercus cibis immisceret, ut rideret illos, qui mixturam eam abhorrerent. *Lamprid. in ejus vita.* Malè etiam audit Caligula, qui in convivio [illegible], aureo pane, & aureis piscibus in [illegible] nem expressis, mensas suas instrueret [illegible] ex detritis [illegible] *Sueton. in ejus vit.* Notatur etiam Dionysius Siciliæ tyrannus, cujus tanta fuit intemperantiæ victus, ut [illegible]rum voluptatum inventores, summis afficeret præmiis. *[illegible] 1. in vita Commodi.*

[illegible] sequitur, quæ est virtus, sub jugo rationis impe- 21 tum [illegible] *Augustin. [illegible] & alibi:* pudicitia virtus animæ est [illegible] fortitudinem: id quod patet exemplo Alexandri Magni [illegible] mi, qui devicto Dario Rege Persarum, oblatas ejus [illegible] præstantes noluit [illegible], & turpe

Castitas.

turpe futurum dixit eos, qui vicissent viros, à mulieribus vinci. *Curt. de reb. gest. Alexand.*

22 *Prudentia* † & *Sapientia* duæ virtutes maximè omnium Principis propriæ sunt. *Aristot.* 4 *Pol.* 1. Et *Plato lib.* 3. *de legib.* Prudentiam Principem omnium virtutum vocat. Crito Pythagoreus ducem & matrem omnium virtutum: de cujus præstantiâ agit *Aristot. lib.* 6. *Ethic. c.* 12. Hinc est, ut famuletur omne quicquid est, prudentiæ. *Menand.* Intellexit hoc Salomon, qui prudentiam in regendo populo unicè, præ omnibus divitiis, à Deo petiit. 3. *Reg.* 3. *v.* 9. Est sane magistratus civitatis oculus. Ideoque ut obscuratis oculis partes reliquæ non vident, nec suis ritè fungi officiis possunt, ita subditi non benè vivunt, quando stultis magistratibus utuntur. *ex Aristot.* 3 *Polit. cap.* 3. *Jun. part.* 1. *quæst.* 20 Nec

Prudentia.

23 quicquam † magis imperantis naturæ adversatur, quàm rerum gerendarum imperitia, sensuum ruditas, & judicii consiliique defectus. *Hippolyt. de Marsil. consil.* 18 *num.* 3. *Cagnol. in lib.* 2. *nu.* 3. *ff. de reg. jur.* Imperiti quippe in rebus, velut peregrini in regionibus, errare solent. *Stobæ. serm.* 4. ac magnum sub Sole malum, stultum positum esse in sublimi dignitate. *Eccles c.* 10. *à pr.* Stultus ejusmodi magistratus, & Rex insipiens prodit populum suum. *dicente eodem.*

24 Ad prudentiam verò *Fortitudo* † ut accedat necesse est, quandoquidem sine armis sapientia esse tuta nequit. *Plat. epist.* 2. Et duo sunt, quibus Respublicæ rectè gubernantur: domi concordia, foris fortitudo. *Polyb. lib* 6. Est verò fortis & justi viri nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum. *Hieronym in Joël. & August. in epist. ad Hier.* inquit: Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.

Fortitudo.

25 *Liberalitatem* † Diocletianus primam dotem Principum vocavit. *Pon por. Lotus in Dioclet.* Et Agesilaus Regis optimi officium esse dicebat, quam plurimis subditos beneficiis afficere, in rebus, in quibus maximè civitati prosint. Mycipsa sane apud Salustium ait Juguthæ: Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas;

Liberalitas

queas: officio & fide parantur. Cyrus verò *apud Xenophontem in Cyropæd.* inquit Cræso: At ego amicos divites reddo: hos mihi thesauros esse puto, & custodes tùm mei ipsius, tùm meorum bonorum longè fideliores, quàm si præsidiarios milites præfecissem. *Seneca* quoque judicavit: Meliùs beneficiis Imperium custodiri, quàm armis. Nec non Anaxilaus Rex, qui interrogatus, quid esset in imperio feliciùs? Beneficiis, respondit, non superari. *Brusou. dict. tit.* Ita Ludovicus I. Ungariæ Rex nihil indigniùs molestiusque tulit, quàm beneficentiâ & liberalitate vinci. *Anton. Bonfin decad. 2. lib. 10. rer. Ungar.* Et Alexand. Magn. à nullo unquam benignitate & beneficiis victum gloriari solebat, *referente Seneca.*

Benefaciendo † certè subditorum suorum animos Princeps maximè experitur, & eos sibi devincit, cui salus populi suprema est lex: qui potestate Rex, beneficiis popularis est. *Plin. paneg. in Trajan.* sed & ex hostibus amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet, peregrinos & in extremis terris degentes ad sese amandum alliciet. *Hieron. Cagnol. de recta Principis institutione c. 38. fol. 46.* Novit id Cæsar, dum magnâ liberalitate in veteranas legiones, in pedites singulos super bina sestertia, in equites vicina quaterna millia: populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos exhibuit. *Brus. d. l.* Novit & Augustus, qui ut sibi Imperium confirmaret, militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii illexit. Itemque Hadrianus, qui amicos quidem non petentes locupletavit, nihil denegavit petentibus. *Æl. Spart.* Nec latuit Alexandrum Severum. Is thesauros repertos, iis, qui reciperent, donavit. Idem vectigalia urbibus ad proprias fabricas deputavit. Idem ille, si quos sciret, vel nihil petiisse, vel non multum, unde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat: *Quid est, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. Lamprid. in Alex.* Diem etiam nullum prætermisit, quo non pium aliquid, liberale, humanum fecerit: publici tamen ærarii ratione habitâ: ut quamvis imperaret, sciret tamen moderatum prudentemque Reipub. dispensatorem esse debere. *idem ibid.* 16

Q Titus

Titus Vespasianus quadam in die in cœna recordatus, nihil se cuiquam toto die præstitisse, memorabili dicto: *Amici*, inquit, *diem perdidimus*, quasi significaret: optimum thesaurum Principum esse fideles amicos, quibus esset, quotidiè impertienda gratia. Tam magnificæ erat liberalitatis *Cuspin. in ejus vit.*

Assuerus in nuptiis cum Esthera celebratis, dona largitus est juxta magnificentiam regalem. *Esth. c. 2. v. 18.*

Jacobus V. Rex Scotorum, summa cum gloria dictus fuit Rex egentium: quos regiâ, imò divinâ quâdam benignitate & magnificentiâ prosecutus, ita cùm omnes sui temporis Principes liberalitate vinceret majores tamen suos opum magnitudine superaverit. *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 6. n 699.*

27 Beneficentia itaque tantò † est Principi accommodatior, quantò ad plures redundat, & quantò magis est publica: nempe si per eam populo tributa non necessaria remittat: si pressos calamitate sublevet: si viduis & orphanis largiter succurrat: si pauperes virgines dotet: si naufragis opem ferat: si ædificia publicè necessaria magnificè extruat: si vias publicas resarciat: si itinerum securitatem præstet, ut habet canon *Keckerm d. c. 3. fol 83.* Ita Marcus Antoninus Philosophus bonis viris pecunias dedit, & op-
28 pidis labentibus auxilium tulit. *Jul. Capitolin. in ejus vit.* Citò † id esse faciendum, monet *idem Cagnol.* quia, ut canit *Ausonius*:

Gratia cùm tarda est, ingrata est: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

29 Semper tamen *modus* † *tenendus*, & mensura sumptuum. Unde commendatur Antonini Pii opulentia victus sine reprehensione, & parsimonia sine sordibus: quodque rationes omnium provinciarum & vectigalium optimè sciverit. Deprædicatur etiam à Xenophonte Agesilaus Rex, quod sumptus æquiparaverit censibus, ut nihil injustum pecuniarum gratiâ facere cogeretur. Propterea neminem unquam de Agesilao conquestum esse, quòd quicquam sibi abstulisset, scribit. Modum observandum dixi in eroga-

erogatione. Eſt enim liberalitas † virtus, quæ mediocritatem ſer- 30
vat in dandis ſive erogandis. *Ariſtot. lib. 4. Eth. c. 1.* Quare nimia † 31
largitio, & prodigalitas abſint: ſubitæ enim & nimiæ largitionis
comes eſt pœnitentia. *Saluſt. in Jugurth.* quin effuſa liberalitas in
ſordidam avaritiam convertitur, & *Tacit. 1. annal.* ſi ærarium lar-
gitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum fuerit. In bellis cùm
neceſſaria requiruntur, & pecunia deeſt, pervenitur ad exactiones
nimias, proſcriptiones etiam interdum bonorum virorum: quia
Principem prodigum egeſtas ſequitur: egeſtatem extrema tyran-
nis. *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 2.* Falluntur igitur, quibus luxuria ſpe-
cie liberalitatis imponit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt.
Suo exemplo id teſtatum facit Nero. Is divitiarum & pecuniæ
fructum non alium putabat, quàm profuſionem, ſordidos ac par-
cos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret: prælautos magnifi-
cosque, qui abuterentur, ac perderent, *teſte Dione.* Laudavit hoc
maximè in Cajo avunculo ſuo, quòd ingentes opes à Tiberio reli-
ctas brevi ſpatio dilapidaſſet. *Sueton.* Quare nec ipſe largiendi,
nec abſumendi modum ullum tenuit. Cuidam prætoriano mi-
liti donaverat aureorum centum millia, quæ cum Agrippina uno
in loco acervaſſet, ut intuitu tantæ ſummæ ad pœnitentiam eum
adduceret, duplicari donum juſſit: Non putaram, inquiens, me
tam exiguum munus dediſſe. *Xiphil. in vit. Neron. cont. Sueton. c.*
30. non alia in re profuſior, quàm in ædificando, *idem Sueto. c. 31.*
Luxus & mores ejus ita *ex Sueton.* deſcribit *Tholozan. lib. 5. de Re-
pub. c. 6. num. 3.* Hic nunquam bis eandem veſtem induit, linteà-
men lotum nunquam attigit, uſus aureâ omni tunicâ, & in calcea-
mentis gemmis, illisque inſculptis, lectis ſolido argento factis: va-
ſis, quibus ventrem exonerabat, aureis, quibus mingebat, onychi-
nis, & myrrhinis, in reliquis turpiſſimus, & pecuniâ deficiente, ad
eam compilandam crudeliſſimus. *Sic ille*, & qui non crudeliſſi-
mus? Novis ſiquidem vectigalibus populum preſſit, calumniis &
rapinis intendit animum, facultates multorum eſt aucupatus,
nonnullos iis præditos vitâ privavit, partim veneno, partim cibis,
partim potionibus, &c. *Suetonius c. 32. 35. & Xiphilinus in ejus vit.*
Viden' ergo, luxus & prodigalitatem ad infinita animos illectare

Digitized by Google

Quando Rex justus sederit supra sedem, non adversabitur sibi quicquam.

17 *Clementia* † nullum ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet. *Senec. lib. 1. de clem.* Qui clementiâ & benignitate imperium temperavere, his candida & laeta omnia fuerunt: etiam hostes aequiores, quàm aliis cives. *Salust. ad Caesar.* Benevolentiae & mansuetudinis excellentia tanta est, ut *Julius Capitolinus in historia Balbini Imperatoris*, cum laudibus efferre volens, dixerit, in terra benigniùs nihil fuisse. Oportet enim in Reipub. statu, quantum fieri potest, omnes cives benevoles reddere. quod si id fieri nequeat, saltem ita, ne hostes existiment eos, qui gubernant. *I[illegible]. C[illegible]. de re[illegible] cap. 39. fol. 48.* Et nihil [illegible] a Principe colenda, ita ne temere [illegible], praesertim ob injurias & convicia pertinentia ad personam suam. *Keckerman. lib. 1. system. Polit. cap. 3. fol. 94. confer Vincent. Castellan. lib. 4. de offic. Reg. cap. 16. 17. & 18.* ubi pluribus agit de mansuetudine & clementia Principi exhibenda. Sane Alexander Severus moderationis tantae fuit, ut nemo unquam ab ejus latere sine spe submoveretur, ut omnibus se blandum affabilemque praeberet. *Lamprid. in ejus vita.* Dies nunquam transibat, quin aliquid mansuetum, civile, pium faceret: sed ita, ut aerarium non everteret. Interrogatus, cur erga omnes etiam malè meritos tam humanus & mansuetus esset: Respondit, se quidem justitiâ bonis gratum esse, malis autem clementiâ. *Panormitan. lib. 2. de reb. gest. Alphons.* Marcus quoque Antoninus Philosophus fuit per omnia moderatissimus, in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos. *Jul. Capitolin. in ejus vit.*

18 *Modestiam* † sub amore Principis custodire, novum est, quae tam clara, quam rara est: quia gaudia semper animos inquietant: modus enim raro laetis rebus intervenit. *Cassiodor. lib. 4. epist.*

Clementia

Modestia.

19 *Temperantiae* † quoque & *frugalitati* Princeps maximè studebit. Nam missos facere honores, non attingere Rempub. illi debent,

Temperantia & frugalitas.

debent, qui voluptatum sese lenociniis dederunt, inquit *Cicer. pro Sestio.* & misera judicatur terra, cujus Principes manè comedunt: ut beata contrà cujus Principes in tempore vescuntur, ad reficiendum, non ad luxuriam. *Ecclesiast. c. 10. v. 17.* Quin Solon legem tulit, ut ebrius magistratus impunè occideretur. *Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 5* & apud Athenienses Princeps ebrius morte mulctatus fuit. *Diogen. Laert. in Solon. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 11.* Frugalitas certè præterquàm quòd sanitatis est conservatrix, imo moderatrix omnium virtutum, dicente *Cicerone 5. de fin.* autoritatis etiam plus illa apud subditos conciliat, quàm commessatio assidua. *Schonborn. lib. 2. cap. 17. in princ.* Ubi id declarat. & comprobatur exemplo Epaminondæ Thebani, qui temperantiæ nomine plurimum auctoritatis & laudis est assecutus. Cum n. festo quodam die cives compotationibus operam darent, solus arma muros que lustravit: sobrium se dixit, ut aliis ebrietati indulgere, & dormire liceret. *Plutarch. ad Princip. indoct.* Temulentia † contrà 20
omnes alias virtutes obscurat *Patrit. de Reg. Instit. tit. 26.* Sic illa Alexandri Magni auctoritatem deformavit. *Plut. in Alex.* quin sapientem etiam insipientem facit, ac omne vitium includit, & detegit. ex [illegible] *in Polit.* Loquitur id exemplum Commodi, qui veste gestuque muliebri usus, cùm nimiâ crapulâ gustum omnem amisisset, eò furoris devenit, ut humanum stercus cibis immisceret, ut rideret illos, qui mixturam eam abhorrerent. *Lamprid. in ejus vita.* Malè etiam audit Caligula, qui in conviviis, [illegible], aureo pane, & aureis pisculis, in [illegible] magnitudinem expressis, mensas suas [illegible] conficeret ex decitis maceratisque margaritis. *Sueton. in ejus vit.* Notatur etiam Dionysius Siciliæ tyrannus, cujus tanta fuit intemperantiæ victus, ut novarum voluptatum inventores summis afficeret præmiis. *H[illegible] t. in vita Commodi.*

[illegible] sequitur, quæ est virtus, sub jugo rationis impetum [illegible] *Augustin. d. [illegible] & alibi:* pudicitia virtus animæ est [illegible] dinem. id quod patet exemplo Alexandri Magni [illegible] fortissimi, qui devicto Dario Rege Persarum, oblatas ejus filias formâ præstantes noluit aspicere, & turpe. 21 Castitas.

turpe futurum dixit eos, qui vicissent viros, à mulieribus vinci. *Curt. de reb. gest. Alexand.*

22 *Prudentia* † & *Sapientia* duæ virtutes maximè omnium Principis propriæ sunt *Aristot.* 4 *Polit.* Et *Plato lib.* 3. *de legib.* Prudentiam Principem omnium virtutum vocat. Crito Pythagoreus ducem & matrem omnium virtutum: de cujus præstantiâ agit *Aristot. lib.* 6. *Ethic. c.* 12. Hinc est, ut famuletur omne quicquid est, prudentiæ. *Menand.* Intellexit hoc Salomon, qui prudentiam in regendo populo unicè, præ omnibus divitiis, à Deo petiit. 1 *Reg.* 3. *v.* 9. Est sane magistratus civitatis oculus. Ideoque ut obscuratis oculis partes reliquæ non vident, nec suis ritè fungi officiis possunt, ita subditi non benè vivunt, quando stultis magistratibus utuntur. *ex Aristot.* 3 *Polit. cap.* 3. *Jun. part.* 1. *quæst.* 20 Nec

Prudentia.

23 quicquam † magis imperantis naturæ adversatur, quàm rerum gerendarum imperitia, sensuum ruditas, & judicii consiliique defectus. *Hippolyt. de Marsil. consil.* 118 *num.* 3. *Cagnol. in l.b.* 2. *nu.* 3. *ff. de reg. jur.* Imperiti quippe in rebus, veluti peregrini in regionibus, errare solent. *Stobæ. serm.* 4. ac magnum sub Sole malum, stultum positum esse in sublimi dignitate. *Eccles. c.* 10. *à pr.* Stultus ejusmodi magistratus, & Rex insipiens prodit populum suum. *dicente eodem.*

24 Ad prudentiam verò *Fortitudo* † ut accedat necesse est, quandoquidem sine armis sapientia esse tuta nequit. *Plat. epist.* 2. Et duo sunt, quibus Respublicæ rectè gubernantur: domi concordia, foris fortitudo. *Polyb. lib* 6. Est verò fortis & justi viri: nec adversis frangi, nec prosperis sublevari. Sed in utroque esse moderatus. *Hieronym in Joël. & August. in epist. ad Henr.* inquit: Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.

Fortitudo.

25 *Liberalitatem* † Diocletianus primam dotem Principum vocavit. *Pomp. Lætus in* [illegible]. Et Agesilaus Regis optimi officium esse dicebat, quàm plurimos subditos beneficiis afficere, in rebus, in quibus maximè civitati prosint. Mycipsa sanè *apud Sallustium* ait Jugurthæ: Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas;

Liberalitas

queas: officio & fide parantur. Cyrus verò *apud Xenophontem in Cyropæd.* inquit Cræso: At ego amicos divites reddo: hos mihi thesauros esse puto, & custodes tùm mei ipsius, tùm meorum bonorum longè fideliores, quàm si præsidiarios milites præfecissem. *Seneca* quoque judicavit: Meliùs beneficiis Imperium custodiri, quàm armis. Nec non Anaxilaus Rex, qui interrogatus, quid esset in imperio feliciùs? Beneficiis, respondit, non superari. *Bruson. dict. tit.* Ita Ludovicus I. Ungariæ Rex nihil indigniùs molestiusque tulit, quàm beneficentiâ & liberalitate vinci. *Anton. Bonfin decad. 2. lib. 10. rer. Ungar.* Et Alexand. Magn. à nullo unquam benignitate & beneficiis victum gloriari solebat, *referente Seneca.*

Benefaciendo † certè subditorum suorum animos Princeps maximè experitur, & eos sibi devincit, cui salus populi suprema est lex: qui potestate Rex, beneficiis popularis est. *Plin. paneg. in Trajan.* sed & ex hostibus amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet, peregrinos & in extremis terris degentes ad sese amandum alliciet. *Hieron. Cagnol. de recta Principis institutione c. 38. fol. 46.* Novit id Cæsar, dum magnâ liberalitate in veteranas legiones, in pedites singulos super bina sistertia, in equites vicina quaterna millia: populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos exhibuit. *Brus. d. l.* Novit & Augustus, qui ut sibi Imperium confirmaret, militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii illexit. Itemque Hadrianus, qui amicos quidem non petentes locupletavit, nihil denegavit petentibus. *Æl. Spart.* Nec latuit Alexandrum Severum. Is thesauros repertos, iis, qui reciperent, donavit. Idem vectigalia urbibus ad proprias fabricas deputavit. Idem ille, si quos sciret, vel nihil petiisse, vel non multum, unde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat: *Quid est, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. Lamprid. in Alex.* Diem etjam nullum prætermisit, quo non pium aliquid, liberale, humanum fecerit: publici tamen ærarii ratione habitâ: ut quamvis imperaret, sciret tamen moderatum prudentemque Reipub. dispensatorem esse debere. *idem ibid.*

Q   Titus

Titus Vespasianus quadam in die in cœna recordatus, nihil se cuiquam toto die præstitisse, memorabili dicto: *Amici*, inquit, *diem perdidimus*, quasi significaret: optimum thesaurum Principum esse fideles amicos, quibus esset, quotidiè impertienda gratia. Tam magnificæ erat liberalitatis *Cuspin. in ejus vit.*

Assuerus in nuptiis cum Esthera celebratis, dona largitus est juxta magnificentiam regalem. *Esth. c. 2. v. 18.*

Jacobus V. Rex Scotorum, summa cum gloria dictus fuit Rex egentium: quos regiâ, imò divinâ quâdam benignitate & magnificentiâ prosecutus, ita cùm omnes sui temporis Principes liberalitate vinceret majores tamen suos opum magnitudine superaverit. *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 6. n 699.*

27 Beneficentia itaque tantò † est Principi accommodatior, quantò ad plures redundat, & quantò magis est publica: nempe si per eam populo tributa non necessaria remittat: si pressos calamitate sublevet: si viduis & orphanis largiter succurrat: si pauperes virgines dotet: si naufragis opem ferat: si ædificia publicè necessaria magnificè extruat: si vias publicas resarciat: si itinerum securitatem præstet, ut habet canon *Keckerm d. c. 3. fol* 83. Ita Marcus Antoninus Philosophus bonis viris pecunias dedit, & op-
28 pidis labentibus auxilium tulit. *Jul. Capitolin. in ejus vit.* Citò † id esse faciendum, monet *idem Cagnol.* quia, ut canit *Ausonius*:

Gratia cùm tarda est, ingrata est: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

29 Semper tamen *modus* † *tenendus*, & mensura sumptuum. Unde commendatur Antonini Pii opulentia victus sine reprehensione, & parsimonia sine sordibus: quodque rationes omnium provinciarum & vectigalium optimè sciverit. Deprædicatur etiam à Xenophonte Agesilaus Rex, quod sumptus æquiparaverit censibus, ut nihil injustum pecuniarum gratiâ facere cogeretur. Propterea neminem unquam de Agesilao conquestum esse, quòd quicquam sibi abstulisset, scribit. Modum observandum dixi in eroga-

erogatione. Eſt enim liberalitas † virtus, quæ mediocritatem ſervat in dandis ſive erogandis. *Ariſtot. lib.* 4. *Eth. c.* 1. Quare nimia † largitio, & prodigalitas abſint: ſubitæ enim & nimiæ largitionis comes eſt pœnitentia. *Saluſt. in Jugurth.* quin effuſa liberalitas in ſordidam avaritiam convertitur, & *Tacit.* 2. *annal.* ſi ærarium largitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum fuerit. In bellis cùm neceſſaria requiruntur, & pecunia deeſt, pervenitur ad exactiones nimias, proſcriptiones etiam interdum bonorum virorum: quia Principem prodigum egeſtas ſequitur: egeſtatem extrema tyrannis. *Bodin. lib.* 6. *de Repub. c* 2. Falluntur igitur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt. Suo exemplo id teſtatum facit Nero. Is divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profuſionem, ſordidos ac parcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret: prælautos magnificosque, qui abuterentur, ac perderent, *teſte Dione.* Laudavit hoc maximè in Cajo avunculo ſuo, quòd ingentes opes à Tiberio relictas brevi ſpatio dilapidaſſet. *Sueton.* Quare nec ipſe largiendi, nec abſumendi modum ullum tenuit. Cuidam prætoriano militi donaverat aureorum centum millia, quæ cum Agrippina uno in loco acervaſſet, ut intuitu tantæ ſummæ ad pœnitentiam eum adduceret, duplicari donum juſſit: Non putaram, inquiens, me tam exiguum munus dediſſe. *Xiphil. in vit. Neron. cont. Sueton. c.* 30. non alia in re profuſior, quàm in ædificando, *idem Sueto. c.* 31. Luxus & mores ejus ita *ex Sueton.* deſcribit *Tholozan. lib.* 3. *de Repub. c.* 6. *num.* 3. Hic nunquam bis eandem veſtem induit, linteamen lotum nunquam attigit, uſus aureâ omni tunicâ, & in calceamentis gemmis, illiſque inſculptis, lectis ſolido argento factis: vaſis, quibus ventrem exonerabat, aureis, quibus mingebat, onychinis, & myrrhinis, in reliquis turpiſſimus, & pecuniâ deficiente, ad eam compilandam crudeliſſimus. *Sic ille*, & quî non crudeliſſimus? Novis ſiquidem vectigalibus populum preſſit, calumniis & rapinis intendit animum, facultates multorum eſt aucupatus, nonnullos iis præditos vitâ privavit, partim veneno, partim cibis, partim potionibus, &c. *Suetonius c.* 32. 35. *& Xiphilinus in ejus vit.* Viden' ergo, luxûs & prodigalitatem ad infinita animos illectare

Margin: 30 (beside line 1), 31 (beside line 2)

vitia? viden' viros bonos re familiari exui, opulentioresque ad extremam paupertatem redigi, ut vappæ, nebulones & assentatores, infimæque conditionis homines ditarentur, ut loquitur *Boter. lib.* 1. *Polit. illustr. c.* 20. Hinc Galba justis stimulis impulsus, universas donationes post Neronis obitum irritas fecit. Neronis perversos & inversos mores imitatus est Domitianus, qui immensis divitiis dilapidatis, pecuniâ egens, multos ex potentioribus occidit: partim reos factos in senatu, partim absentes accusavit: nonnullos etiam ex insidiis, clandestinis venenis sustulit: quo haberet, ut tantos sumptus faceret. *Xiphilin.* Perstringitur etiam ab Historicis Caligula, qui ob sumptus citra modum factos, non habuit, unde filiam dotaret, cùm antè super immensos aureorum acervos patentissimo loco diffusos nudis pedibus spatiari, totoque corpore grunnientium porcorum instar volutare se solitus fuisset. *Sueton. in ejus vit.* Heliogabalus cùm admoneretur ab amicis, caveret, ne ad inopiam luxu & prodigalitate redigeretur: quid meliùs, respondit, quàm ut ipse mihi hæresim, & uxori meæ? *Lamprid.*

De Sigismundo Imperatore, Ungariæ & Bohemiæ Rege refert *Bonfinius decad.* 3. *lib.* 3. *rer. Ungaric.* quòd inter amicos omnia profuderit, & sæpè cùm in regia nihil esset, quod suo prandio opiparè præpararetur, invitatus amicos adierit.

Veritati ergo maximè est consentaneum, quod scribit *Vincent. Castellan. lib.* 3. *de offic. Reg. part.* 2. *cap.* 10. opulentissima Regna à prodigis Principibus esse exhausta. Unde rectè † &
32 prudenter dixisse fertur Ludovicus Decimustertius Rex Galliæ: Satius esse Regi, nihil omninò largiri, quàm multa debere. *Jovius de vir. illustr.* quod non absque gravissima causa inter prima probra à Persis veteribus habitum. *Plutarchus de aere alien. vit.*

33 Præterea in exercenda liberalitate consideranda etiam est *persona* † *accipientis*, ut cùm illa digna sit nostris beneficiis. Ita *Aristot. d. l.* inquit, non dandum esse τοῖς τυχοῦσι, id est quibuslibet sine discrimine, sed solùm iis, *quibus oportet.* Est enim, ut Ale-

xander

xander Magnus dicere consuevit, ejusdem vitii, nihil prorsus dare, & dare indignis: cùm ut Ennio, *teste Cicerone lib. 2. de offic.* placet: benefacta malè locata, sint malefacta. Et si indignis opem ferimus, non modò beneficia pessimè collocamus, verùm etiam ipsi virtuti, iisq; qui bene meriti essent, insignem inferimus injuriam. *Boter. d. c. 20.* Rectè ergo † Alexander M. qui artium inprimis amans, & in homines doctos fuit liberalissimus, eoque nomine multum celebratur, Aristoteli praeceptori negotium dedit animalium describendi naturas, ad eamque rem aliquot hominum millia per Graeciam Asiamque constituit, pecuarios, venatores, piscatores, cetarios, aucupos, & id genus alios, qui de singulis illum edocerent: ipsi verò scriptori praemium laboris dedisse traditur octingenta talenta, hoc est, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta. *Budaeus de asse lib. 2. Melanchton. in orat. de vit. Aristot. Sleidan. lib. 1. de quat. monarch.* & Xenocrati Philosopho quinquaginta per legatos talenta misit, aureorum videlicet millia triginta. Sed illo recusante, quòd tantâ pecuniâ non sibi diceret opus esse, legatis reversis: quid, inquit, nullos nohabet amicos, quibus benefaciat? *Plutarch. in vit. Alexand. Diog. Laërt. de de vit. Philos. lib. 4. Valer. Max. lib. 4. c. 3.* Rectè talenta ab Alexandro missa in Scholam Xenocratis remissa sentit *Kirchner. in Repub. disp. 19. auctar. 1. ad lit. a.* cùm Philosophorum sit, opes & pecuniam contemnere. Quod Diogenem Cynicum fecisse accepimus, quem in dolio cubantem Alexander M. miratus est; ut nisi Alexander esset, Diogenem se esse optaret. Hinc *Juven. Sat. 14:* 34

Sensit Alexander, testâ cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quàto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totũ sibi posceret orbem.

Non tamen † exinde munificentiae & liberalitati Regum & Principum, erga liberalia studia eorumque cultores nervos incisos, manumque amputatam, sed potiùs eorundem beneficentiam, exemplo Alexandri, Augusti, & aliorum, magis magisque 35

excitatam vult Kirchnerus, ut benè meritis doctisque viris pro laboribus & operibus sibi dedicatis præmia & honores dignos referant, cùm in ea beneficentia & regni firmamentum etiam maxi-
36 ma dantis gloria collocata sit. Idq; non intellexisse Xystum † Pontificem tradit: cui cùm nobilissimas lucubrationes suas in membranis accuratè perscriptas Theodorus Gaza detulisset, ille ne tantum quidem præmii retulit auctori, quo librario satisfieri possit. Unde subagrestre judicium indignatus, reliquâ parte operis in Tiberin projectâ: Effugere, inquit, hinc libet, postquam optimæ segetes in olfactu præpinguibus asinis sordescunt. *E Jovio in Elog. doct. vir. c. 26. Wolfio in memorabil.*

37 In numerum munificentissimorum † Regum, merito suo etiam refertur, Rex Regum Magnus. Artaxerxes, Hellesponti præfecto: *(inter Hippocratis epist.)* Hippocratis communi gloria artis etiam ad me pervenit. Dabo igitur ipsi auri quantum voluerit, & ipsum ad nos mittito. Nam Optimatibus Persarum æqualis erit. Et si quis alius bonus vir est in Europa, cum domus Regiæ amicum facito, nihil divitiis parcens. Viros enim invenire, qui consilio præstent, non est facile. *Besold. class. 2. disp. Polit. 1. th. 17.*
38 Factum egregium, & Rege dignissimum. Ut enim fruges † non tam soli ingenio, quàm cœli beneficio ac temperie lætiùs proveniunt: Ita quoque artes bonæ, eximiaque ingenia Principum benignitate excitantur *Just. Episcop. in Cantica Canticorum*, refert *Junius part. 1. q. 20.*

Diximus paulò ante, non quibuslibet, sed dignis liberalita-
39 tis fontes esse recludendos. Apage † ergo adulatores, qui munera & stipendia optima vulgò depascunt, juxta illud *à Diogene Laërtio* relatum: *Pone coquo minas decem Medico drachmam, consiliario fumum, Philosopho triobolum, meretrici talentum, assentatori talenta quinq. Dionys. Gothofred. ad l. 1. sub lit. I. C. de Medic.*
40 Postremò liberalitas exercenda est *solius honestatis* † *causâ*: Proinde qui beneficia sua aliis conferant, vel ostentationis gratiâ, vel quamcunque aliam ob causam, quàm propter honestatem, hi nullo modo liberales sunt nominandi. *Coligus in comm. sup. d. c. 1. Eth. Aristot.* Pessimè † ergo Tiberius (propter bibacitatem vulgò Bibe-

Biberius dictus. *Sueton. in Tiber.*) qui Flaco & Pisoni, quòd secum biduum continuum potando consumpsissent, provincias & præfecturas præmii loco contulit. Egregia scilicet præmiorum ratio, quæ tùm danti, tùm accipienti indignationem adfert. *Kirchn. d. disp. 19. auct. 5. ad lit. a.* In eo etiam limites liberalitatis excessit Alexander Magn. & ex turpissimis, quæ commisit, fuit, *teste Patritio de Regn. lib. 6.* quòd post multas victorias instituto amicis convivio, tanquam aliquo vini diluvio, ut sequitur *Kirchner.* meracæ potationis certamen, victori palmâ & coronâ propositâ, exhibuerit. In quo Promachus bibacissimus omnium judicio prædicatus, præmium promeritus, & coronâ unius talenti à Rege donatus est, sed morbo ex ingluvie contracto, illicet correptus, & triduo pòst extinctus, quem secuta funera unius & quadraginta compotatorum. *Plutarch. in Alex.* De eruditione Principis latiùs dicemus infr. cap. 21.

Hactenus de requisitis & dotibus Principis internis.

Externa † verò requisita posita sunt in sermone, in gestu, & cultu corporis. *Althus. c. 20 fol. 281. & seq. edit. prior.* 42

In sermone † *gravitas* requiritur. Ut enim sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio gravis pressa & parca. Loquaces enim loquentiæ multum habent, sapientiæ parum, quorum omnis vis & virtus in lingua sita est: & canis timidus latrare solet vehementiùs, quam mordere. *idem ibid.* Hyperbolici † verò sermones, qui verborum quodam & promissorum hiatu proferuntur, vastumque & vanitatem indicant, ut loquitur, *Kirchn. disp. 20. auct. 3.* auctoritatem Magnatum vehementer imminuunt. *ex Hippolit. in princ. c. 26.* Abstine sermone sesquipedali, cui fides haberi non solet, monet *Boter. lib. 2. Polit. illustr. c. 9. fol. 209.* 43 *Gravitas sermonis.* 44

Gestus † corporis compositus & gravis requiritur *à Tholazan. lib. 8. c. 3.* qui visu & auditu magistratum reddat, venerabilem & gravem, quem vide. 45 *Gestus corporis.*

Cultum † *corporis* in Principe decentem & modicum exoptat *Cagnol. de recta Principis educatione c. 142. f. 139. & Schönborn. lib. 2. c. 27.* non nimium exquisitum, comptum & splendidum, & exuperantem, neque prorsus neglectum, sordidum & tenuem, sed 46 *Cultus.*

cùm:

cùm rei, loco, temporique, tùm maximè personæ convenientem.
47 Nam ob tenuem † nimis habitum non possunt dignosci viri illu-
48 stres à privatis. Nimium † autem cultum ideò aversatur *Schönborn.* 1. quòd turpe sit sapienti, cùm animum habeat, captare laudes ex corpore, ut habent verba Juliani Imp *apud Marcell. l.25.* 2. quòd ornatus mulierum sit proprius: ideoque monilibus ac margaritis, quæ sunt ornamenta fœminarum, viros deformari. *ex Quintil. lib. 11. c. 1.* Et supr. retulimus, Neronem ob luxum illum reprehendi ab Historicis, quòd nullam vestem bis induerit. Quare in decoro vestitu plurimum, quantum ad auctoritatem publicam pertinet, momenti positum erit. *Cominæ. lib. 3. com.* Inde Imperatorum & Regum insignia & ornamenta singularia, quibus ad illustrandum majestatis intuitum utuntur, nec ex insolito & ridiculo amictu cum Caligula cognomentum, & irrisum trahant. *Kirchner. de Repub. disp. 20. anct. 7. ad lit. a.* Quod *ibid. ex Joviano in Ant.* accidisse refert Carolo IX. Regi Gallorum. Is enim, cùm in curtiore pallio, tanquam pica saltasset, auctoritatem regiam indecoro vestitu prostituit. Unde *Pontanus in dialogo* cuidam percunctanti, quid de Carolo sentiret, num ipsum sapientem judicaret? tum ille: qui esset sapiens, respondit, cùm tam curtà veste
49 utatur. Sicut enim oratio † rectè animi character dicitur: ita externa corporis conformatio, & habitus, animum cujusque, qualis sit, præ se fert & ostendit, quod confirmat sententia illa *Syracidis:* Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis, qualis sit, produnt Vestis dissecta dissectum animum, levis hominem levem, muliebris effœminatum, monstrosa monstrosum, thrasonica thrasonicum: & rursus gravis gravem & prudentem, cordatorum & prudentum virorum judicio indicat.

50 An deceat † Principem, mutato habitu, apud subditos inquirere, quid vulgò sentiant de vita & moribus suis, vide *Camerar. cent. 1. medit. hist. c. 90. & Schönborn. d. c. 27. in fin.* Ubi interdum id admitti posse respondet, si illis ita libeat, per exemplo in medium allata.

CAPUT

CAPUT XVII.

AN PRINCIPIS CHRISTIANI virtutes debeant esse veræ & solidæ, an fucatæ & fictæ?

DIximus modò de virtutibus Regiis & Principalibus: Nunc indagandum nobis erit: an illæ debeant esse † *veræ*, an verò *adumbratæ & simulatæ*. Cujus quæstionis discussio maximè necessaria est propter doctrinam † *Justi Lipsii lib. 4. Polit. c. 13.* astum & fraudem commendantis, ac suadentis, potissimùm verò *Nicolai Machiavelli*, qui *lib. 1. de Repub. cap 42. & in tract. de Princip. c. 18.* tradit, repetitq; frequentiùs, principem, ut cautiùs decipiat, & statum suum meliùs conservet, timorem ac reverentiam divini Numinis simulare debere, quamvis nec Deum amet nec metuat, modestiam ac temperantiam, etiamsi dissolutus sit & intemperans: clementiam & bonitatem, licet crudelis sit, & ferus, ceterarumq; omnium virtutum speciem & imaginem quandam ostentare, cùm illi expedit, ut vitia sua tegat, & qui non est, habeatur. Hujus ideæ expressam bellamque nobis pingit filiolam *d. c. 18.* in quo disserit, quonam modo Princeps servare fidem debeat. *Cum sint, ait: duo genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim: Cumq; illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum ad posterius, si non satis est uti superiore. Proinde necessarium est, ut princeps rectum utriusq; & beluæ & hominis usum teneat. Involucro quodam hæc pars Principibus est à veteribus Scriptoribus tradita, asserentibus, Achillem compluresq; alios ex priscis illis Principibus, Chironi centauro educendos, atq; in ejus disciplinam fuisse creditos. In eo enim quòd præceptorem mixti generis, & hominis & beluæ babuisse dicunt, nihil quàm Principi fore necessarium docent utriusq; naturæ usum. Cùm itaq; Principem magni referat, belluinum ingenium scitè induere, ei tùm vulpis, tùm leonis mores assumendi erunt. Nam leo sibi à laqueis non cavet, lupos verò vulpecula reformidat. Quò itaq; laquei sentiantur, vulpeculam agere oportet: lupi verò, quò deterrean-* R *tur,*

1 2 *Sententia Lipsii & Machiavelli, fraudem & simulationem suadens.*

tur, leoninum ingenium est subeundum. Qui igitur bonis vestigijs simpliciter insistunt; ij sanè rem ipsam non tenent.

3 Hunc fœtum †Machiavellicum valdè fœtidum, non modò veritas, pietas, & religionis Christianæ decreta, sed etiam ipsa ratio, & veræ Philosophiæ placita rejiciunt, & pro abortivo ac monstroso habent. Et verè *Petrus Ribadeneira, Scriptor Hispanicus, in Princ. Christ. lib. 2. c. 2. fol. 246.* Quæ Machiavellus & Politici tradunt de simulatione, & fictis Principis virtutibus, eò omnia spectant, ut perfectissimum hypocritam, & simulandi artificem forment: qui aliud dicat, aliud agat, sitque instar monstri ex variis formis compositi: pelle ovis videatur, reverà autem sit lupus: vultu homo, corde vulpes, qui Leopardum macularum varietate superet: qui blandè arridens, manu ficam teneat: cui sit vox Jacob, & manus Esau. 2. *Reg.* 3. *&* 20. qui dato falsæ pacis osculo, tanquam alter Joabus Abnerum & Amasam conficiat, & quasi Judas Christum vendat: qui vocem hominis imitetur, ut seductum laniet ac devoret, & crocodili in modum posteà lacrymas emittat: qui foris ut cygnus candorem mentiatur, intus verò duram & nigram carnem habeat: & sicut poma, quæ in terra Sodomæ nascuntur, colore & pulchritudine oculos pascat, quæ ubi attigeris, vel manu presseris, in pulverem cineremque redigantur: qui ut simiæ (quæ ne tantillum quidem à simiarum natura discedunt) humanas actiones æmuletur: qui papilionem referat, qui circumvolat, & adspectu pulcher videtur, sed semen emittit, ex quo eruca nascitur variis picta coloribus, & folia fructus omnemque arboris speciem depascit & absumit. Talis est Princeps, quem fingit & format Machiavellus, simulationis architectus, quem vult folia Deo, fructus verò dæmoni offerre. *Hæc Ribadeneira.*

Cõtraria simulationem improbans.

Aures itaque accommodabimus Socrati *apud Cicer. lib. 2. offic.* qui hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis †ageret ut qualis haberi vellet, talis esset.
4 Quod si, *ait Cicer.* qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modò sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt:

idunt: nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. *Et paulò post:* Qui igitur adipisci veram gloriam volent, justitiæ fungantur officiis: sed ut facilimè quales simus, tales esse videamur: etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus. *Idem lib. 1. offic.* Totius, ait, injustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum, qui tùm, cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur. His convenit *Platonis* sententia *lib. 2. de Repub* Extrema est perversitas, cùm prorsus justitiâ vaces, ad id tamen niti, ut vir bonus esse videaris. Unde meritò *Æschylus* in cœlum laudibus Amphiararum summum illum augurem, eundemque sanctissimum virum tollit, inquiens, ipsum non studuisse, quod multi faciunt, *ut videretur optimus, verùm ut esset.*

Addimus Spiritus † Sancti oracula: Væ vobis Scribæ & 5
Pharisæi hypocritæ. *Matth. 23. v. 13.* Et præclarè *super cap. 7. Matt.*
ita simulatores alloquitur † *Chrysostomus*: Hypocrita, ut quid vis 6
apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse: Si malum est malum apparere, pejus est malum esse. Ergo aut apparere stude, quod es, aut esto, quod appares. Quid prodest ovem videri, lupum tamen esse? fimetum esse nivibus coopertum, aut sepulchrum foris dealbatum intus verò ossibus & vermibus plenum?

Accedit his præceptum † Salomonicum *Proverb. 17. v. 7.* 7
Non decent stultum verba composita, neque principem labium mentiens: itemque † Psalmistæ: Diligite veritatem & justitiam. 8
Ille habitabit in tabernaculo Domini, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. *Psalm. 15. v. 2. & 3.*

Præterea, ut ait *Plinius in Panegyr.* principis vita † specu- 9
lum est, in quo se contemplantur subditi: exemplum est, ad quod vitam conformant: norma est, secundùm quam mores dirigunt: unde adeò non tam imperio ipsis opus est, quàm exemplo. Et *Pindarus* morem omnium dixit esse Regem. Itemque *Vellejus Paterculus in historia Romana* de Augusto

Digitized by Google

Cæsare ait: Facere rectè cives suos Princeps Optimus faciendo docet: cumque sit imperio maximus, exemplo major est. Hinc est illud *Claudiani in panegyr. de quarto consulatu Honorij:*

----- ----- ----- totus componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur semper cũ Principe vulgus.

Et in laudibus Stellicon panegyr. 1.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Utq; Ducum lituos: sic mores castra sequũtur.

10 Ratio hujus rei plana est, quòd nimirum Princeps ipso† fa-
11 cto præcipere videatur. *Quintil. declam.* 4. Sic apud Æthiopes† moris fuit, ut quando membrum aliquod corporis quacunque ex causa Regi deliberaretur, domestici & amici Regis omnes sponte suâ idem membrum debilitarent. Turpe enim existimabant, Rege claudo, non & omnes claudos amicos esse: cùm veræ sit amicitiæ, & rebus adversis amicorum dolere, lætari secundis. *Diodor. Sicul.*

12 Alexander Magnus † & Alphonsus Rex Aragonum colla torquebant: hic quidem à natura, ille verò à consuetudine depravatus: Aulici canes utriusque vitium modis omnibus studebant imitari. *Plutarch. in Pyrrho.*

13 Quare Agesilaus † Rex Spartanorum privatorum errata æquo animo ferebat, Regum intollerabiliora rebatur: ex illorum enim peccatis pauca: ex horum verò quàm multa malè evenire judicabat. *Plutarch. in ejus vit.*

14 Fixum ergò hoc sit Principi, in uno hoc omnem† dignitatis splendorem consistere, talis ut sit, qualis haberi cupit, non in speciem tantùm fucatus. *Boter. l. 2. de Politia illustr. c. 9. in fin.*

Sed videamus fundamenta & bases, quibus Pseudopolitici innituntur.

Prima

Digitized by Google

Prima est in Symbolo Ludovici XI Regis Franciæ, quod dum viveret, semper in ore habebat: & præter ea verba nulla alia latina filium suum Carolum VIII. scire volebat: Nescit † regnare, qui nescit dissimulare. Quo & Fridericus I. Imp. & Sigismundus usi leguntur. 15

Fundamenta prioris sententiæ.

Secunda ponitur in dicto Lysandri Lacedæmoniorum Ducis, quod refert *Plutarch. in ejus vit.* Quò leonis † pellis attingere non potest, Principi assuenda vulpina. 16

Tertia pro se habet exemplum Tiberii Imperatoris, de quo ita *Tacit. lib. 6. Annal.* Jam Tiberium † corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat. 17

Sed hæc strues facilè potest demoliri & subverti. Symbolum enim Ludovici quod concernit, committitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. In eo enim simulatio † accipitur non pro mendacio, circumventione & versutia illa, quæ opponitur veritati, fidei & candori, qualemque Machiavellus requirit in Principe, ita ut fictè omnia agat, sed pro tolerantia illarum rerum, quarum executio, præsertim subita, Principi & Reipub. magnum afferret detrimentum. Dissimulatio enim est eorum, quæ scimus & intelligimus, reticentia, frontem operiens, mentem tegens. Hæc magistratui necessaria. *Althus. in Polit. c. 21.* Et huic interpretationi favet etiam *Barthol. Keckerman. lib. 1. syst. Polit. c. 3. fol. 93.* dicens: Aliud est simulare, aliud mentiri: quando nempe *Simulationis* vocabulum sumitur pro effectu prudentiæ cum veritate conjunctæ, quando nec omnem veritatem, nec omnibus, nec quovis tempore, quando nempe non opus est, Princeps vel gestu vel sermone profitetur; & quando captans occasionem pœnarum exercendarum suspendit ad tempus vindictam, & judicia publica: suspendit, inquam, quando non potest sine magno malo & pernicie regni supplicium de seditiosis vel aliis flagitiosis sumere. Hoc sensu probamus symbolum Ludovici XI. Galliarum Regis: Nescit, &c. non vero eo sensu, quo intelligunt hodiè nonnulli fallaces & versuti homines, qui se splendido titulo *Politicos* vocant, propterea quòd artificiosè possint gestu vel verbis mentiri ac fallere: quo sensu Ludovici Symbolum usurpavit Carolus, 18

Impugnantur.

lus IX. Galliarum Rex, totus ex fraudibus & fallaciis conflatus Princeps. Sanè si ad effectum suorum consiliorum pervenire Princeps velit, & si salutarem Regno oportunitatem in rebus gerendis expectare cupiat, necesse est eum multa simulare & dissimulare, etiam invitum & cum dolore, cum aperti & simplices, qui animum in fronte gerunt, sæpè impediantur. Astutus cautè agit in omnibus, & consideratè facit omnia, inquit *Salomon. Prov.* 14. Hinc *lib.* 2. *Ethic. c.* 9. *idem Keckerm.* concedit, pro moribus temporum (intellige modicè & ad bonum finem) decipere. Exempla dissimulationis ejusmodi sacra pagina nobis etiam ostendit. 1. *Sam. cap.* 10. *v.* 27. *cap.* 11. *v.* 12. 2. *Sam. c.* 3. *v.* 29. A partibus nostris etiam stat *Althus. in Polit. c.* 21. *fol.* 285. *edit. prior.* idem prorsus docens. Sic nullâ re conjuratio melius caveri potest, quàm si præoccupata dissimuletur: ut rectè *Tacitus*: optimum, inquit, remedium insidiarum est, si non intelligantur, in hunc sensum scribit etiam *Aristot.* 5. *Polit. cap.* 9. expedit simulare, & fingere contraria.

Sententia Lysandri, quæ secundo loco adducebatur, similiter κτ' τι est accipienda: scilicet de stratagematis † & dolis bellicis: cujus sensus est, ut id, quod vi & apertè peragere non possumus, cum prudentia & calliditate efficiamus.

Tertium fundamentum suo ipsius onere corruit. Quid enim adducunt Tiberium hominem nefarium & scelestum? officio functus fuero, si reponam trito sermone decantatum illud: Non exemplis, † sed legibus est judicandum. Item: Non quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat, attendendum est. *l.* 12. *ff. de offic. præsid.* & sic committitur elenchus facti.

CAPUT

CAPUT XVIII.

AN PRINCEPS OPTANdus clementior, an justior?

IN secunda classe virtutum regiarum collocavimus suprà justitiam, cui proximò loco adjunximus clementiam, † quæ, *dicente Seneca*, non est privati hominis virtus, sed competit Principi, atque adeò est virtus ejus, qui summum jus habet in alios. Princeps itaque regio † clementis justitiæ, & justæ clementiæ incedere debet gradu: hæc enim duo Regiæ majestatis fulcra, quæ ingentes illas imperiorum moles, tanquam magni quidem Atlantes humeris suffulciunt. *Auctor de jure belli Belg.* cùm verò mediocritatem † tueri, mediaque viâ semper & æquabiliter ingredi cuique arduum sit & difficile, tum verò Principi difficilimum: (quâ de re *Æneas Sylv. in Epist.* censet, quòd is, qui in Principatu moderationem servat, Diis sit, quàm hominibus similior.) quæstionis est, *præstetne † ad vigorem justitiæ, an verò ad vigorem clementiæ paululùm declinare?* 1 2 3 4

Hujus vestigia insequenda esse, docent & comprobant multa.

Nam clementia † & animi lenitas multum potest, & maximè grata est. Quod & ipsi Principes animadvertentes, in suis titulis primo fermè loco clementiam describunt, & à subditis clementes salutari volunt. Tullius cùm laudaret Cæsarem dicebat. Ejus fortitudinem, militares artes, victorias & triumphos esse illi communes cum cæteris militibus: clementiam vero & bonitatem ad ipsum pertinere. 5 *Arg. pro clementiæ Principis.*

Deinde, clementia virtus † est maximè Imperatoria. Romæ in Trajani foro marmor repertum fuisse scribit *Marlor. Topogr. lib. 5. cap. 22.* & exinde *Anton. Benbellona part. 2. suscitab. princ. c. 1. Hippolyt. à Collib. in prin. c. 5.* quod Romanos hoc chara- 6

ćteres continebat: *Potentissima dos in Principe liberalitas atq; clementia*. Hac ex causa Aurelianum multi neque inter bonos, neque inter malos Principes ponunt: idcirco quòd ei clementia, Imperatorum dos prima, defuit. *Vopisc. in ejus vit.*

7 Adhæc: Nullâ † aliâ re homines ad Deum accedunt propiùs, quàm salutem hominibus dando. *Cicer. pro Lig.* Et Imp. Justinianus *in l. fin. C. de donat. inter vir. & uxor.* Nihil, inquit, tam peculiare imperialis majestatis, quàm humanitas, sive clementia, per quam solam Dei servatur imitatio. Itemque *l. 23. in pr. C. de nupt.* Imperialis benevolentiæ proprium esse judicamus, ut omni tempore subjectorum commoda tam investigare, quàm eis mederi procuremus, & lapsus subditorum, prout magna sexus humani imbecillitas, competenti moderamine sublevemus. Nam ita credimus Dei benevolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum nostræ naturæ possibile est) imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere.

8 4. Clementiâ thronus † Regis corroboratur, ut pronunciat Salomon *Proverb. 20. v. 28.* Quod etiam agnovit Theopompus Rex Lacedæmoniorum, cui cùm objiceretur, quòd esset humilius regnum filiis traditurus, quàm ipse accepisset: Eò igitur dixit, majus, quò diuturnius. Quod mutuatus est Alexander Severus Imperator. Huic cùm objicerent nimiam civilitatem, ut & Mammæa mater, Catuli neptis, & sæpè diceret: Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem Imperii fecisti: ipse respondit: *sed securiorem atque diuturniorem.* *Lampridius in ejus vit.*

9 5. Nec negari poterit, quòd remissiùs † imperanti pareatur meliùs, imò & fideliùs, atque hinc etiam stabilius Regnum. Nam ut habet sententia *Senecæ in Trag.* Majore in eos propendemus affectu, qui languidâ regnant manu. & *1. de clement. c. 24.* naturâ contumax est animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequiturque faciliùs, quàm ducitur, certè potentia mediocriter exercita, omnia quæsita conservat. His candida læ;taque cun-

cta

Digitized by Google

ꝺta ſemper fuerunt, qui benignitate ac clementiâ imperia temperaverunt, ſcribit *Saluſt. de Repub. ordinand.* Contrà qui impudenter & paſſim in omnibus potentiâ abutitur: ille neque benevolentiam veram, neque firmam ſecuritatem invenit, ut probat *Lipſ. in Polit.*

Quin potiùs Principes ſeveri,† crudeles, & ad filum omnia redigentes, odioſos omnibus & deteſtabiles ſe reddunt, & dum funem nimium trahunt, illum rumpunt, in magnum diſcrimen imperia conjiciunt, eaque frequenter amittunt. *Ribadeneira lib. 2. de principe c.* 19. Vereque apud Euripidem Rex Menelaus inquit: Si vela tendas nimium, navis mergitur: ſed ſi relaxes rurſus, vehitur tutiùs. Odit Deus nimis vehementes impetus, odêre cives: gratior eſt moderatio. Itemque *Tholozan. lib. 22. de Repub. cap. 7.* crudelitas & ſævitia odioſa eſt, & interitum afferre ſolet poteſtati. Unde *Poëta:*

Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

item:

Qui vult amari, languidâ regnet manu,
Inviſa nunquam imperia retinentur diu.

Auctor in Theb. Act. 4. Nec non *Plato in epiſtolis ad Dionyſium:* ſolitudinem amicorum efficit auſteritas. Cùm enim ſubditi metu ac vi coacti imperata faciant: quamprimùm per occaſionem licet, imperii jugum cervicibus eximere properant: atque ita ſuperbiâ & crudelitate Principum imperia delentur. *Diodor. Sicul. lib.* 15. Ita Lucullus prudens aliàs & doctus, propter auſteritatem ac ſuperbiam deſertus à militibus ſuis fuit. *Plut. in Lucull.* Quare ita *C. Saluſt. Criſpus orat. 1. de Repub. ordinand. ad C. Cæſarem:* Neque quiſquam te ad crudelas pœnas, aut acerba judicia invocet, quibus civitas vaſtatur magis, quàm corrigitur. Et queádmodum arbores quædam reciſæ pullulant: ita regia crudelitas inimicorum multitudinem tollendo auget. *Seneca de clement. lib. 1.* Quin ſeveritas aſſiduitate auctoritatem amittit. *idem ibid.* ubi etiã ait, quòd Principi non minùs turpia ſint multa ſupplicia, quàm Medico multa funera.

S Facien-

Faciendum † ergo Principi idem, quod Medici faciunt, qui rarissimè sectiones ac ustiones adhibent: ne ipsa vitia in corpore magis exasperentur: pleraque lenibus exercitiis, & mitibus medicamentis sanant ac molliunt. *Dio lib.* 55. Princeps sit tardus ad vindictam, velox ad beneficentiam, *secundùm Symbolum Henrici I. Aucupis*. Quod *Ovidius in Ponto* ita expressit:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quiq; dolet quoties cogitur esse velox.

Debet siquidem esse & observari parsimonia etiam vilissimi sanguinis. *Senec. d. lib.* 1.

12 Hoc ipsum natura † quodammodo docere videtur, quæ inter apum examina, regibus aculeos detraxit, aut eorũ usum denegavit, quò minus cuiquam nocerent. *Plin. lib.* 11. *Histor. Natural. cap.* 17.

13 Denique crudelitas in tartari † barathrum improbos abjicit, unde nunquàm egrediuntur. *Plato.* Et *D. Hieronym. super* 12. *Prophet.* scribit: sicut misericordia sursum elevat ad Deum: ita deorsum crudelitas in infernum abjicit.

Rationes pro severitate.

Verum enim verò sunt alii, qui è salute Reipup. magis esse
14 scribunt & sentiunt, si Princeps sit pronior ad † severitatem, quàm ad clementiam. Per lenitatem Rex contemnitur, Lex despicitur, Grex inficitur. *Chassanæus part.* 5. *catal. glor. mund.* Sed & *Bodin. lib.* 2. *de Repub. c.* 4. *num.* 204. scribit, quod severitas in Principe sæpè laudabilis, sæpiùs & necessaria sit. & *num.* 206. sæpè contingit, ut quæ civitas Principis unius lenitate ac facilitate nimiâ perierat, acerbitate alterius ac severitate sustentaretur. Quod ipsum in fine capitis declarat exemplo Pertinacis & Heliogabali. Per illius siquidem humanitatem, hujus verò stultam voluptatem Romanum Imperium penè fuerat eversum, nisi Severi Afri, & deinde Alexandri Severi acerbitas & imperandi majestas Rempublicam jacentem erexissent. Calculum suum addit *Arnisæ. lib.* 2. *doctr. Pol. c.* 4. ita monens: Qui cupit Remp. suam sartam tectam, illi ante omnia videndum, ne contemptum incurrat, & si in alterutram partem peccandum est, quanquam neutrum fieri debet, tutius

Digitized by Google

tius est ad severitatem declinare, quàm ad contemptum. Hannibal enim conscriptitium militem, 18. an. absque turbis & seditione solâ severitate & auctoritate continuit. Severus Imperator post victoriam Britannicam, 41. consulares & prætorios senatores interficit. *Æl. Spart. in Sever.* nec tamen de imperio dejectus fuit, sicut Heliogabalus, Macrinus, & Gallienus, ob solum contemptum. Huic enim, quòd domi in mollitie torpesceret, *Vict. & Trebell. Poll. in Gallien.* alteri, quòd gulosus esset, & histrionibus deditus. *Herod. in Macrin.* tertio, quòd muliebrem vitam viveret. *Herod. in Eleog.* interitus causa extitit. Nimiam quoque lenitatem & clementiam sibi fuisse noxiam, conqueritur Jacobus VI. Rex Magnæ Britanniæ *l. 2. don Reg. ad fil. Henric.*

Sententia media.

Quare nos ita statuimus: Princeps non nimis remisßè imperabit, eritque alienus à lenitate & clementiâ nimia, intempestiva, stulta, simplici, stupori simili, quæ simplicitas flagitiorum omnium ac scelerum quædam sit alumna. Nimia clementia & delictorum immunitas, asserente *Tholozano lib. 8. de Repub. c. 4.* addit delinquendi illecebram, & fit noxia & inanis clementia. Tali indulgentiâ longè commodior est in omni Repub. severitas: Nam, ut utar verbis *Bodini d. c. num.* 205. Qui Principis bonitatem, lenitatem, facilitatem, largitionem, prudentiâ vacuam, laudant: næ ipsi inopes à consilio, civili scientiâ vacui, laudibus & otio abutuntur: cùm ejusmodi facilitas multò magis metuenda sit, quàm Principis summa seu severitas, seu crudelitas, seu avaritia. Refero etiam huc responsum, quod Crafordius Diæ Comes dedit legatis Anglicis multum commemorantibus sui Regis clementiam: se quidem scire, nullam esse virtutem, quæ magis clementiâ, Regem deceat: verùm providendum, ne nimiâ lenitate soluto imperio, mali magis insolescant, quàm boni ad officium excitentur, ut refert *Georgius Buchananus lib. 11. rerum Scoticarum.* Et Cleomenes, dicente quodam, oportere bonum Regem omninò mitem esse: Eò usque, inquit, dum contemptui non sit. Cùm nimia servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas. *Augustinus 3. de vit. cleric. & in c. 4. dist. 86.* Audin' clementiam illam ita non intelligi, quasi omnis à Principe exulare debeat severitas, cùm hâc

ratione acies auctoritatis principalis hebeſcere, & brevi tota Reſpublica flagitiis ac ſceleribus inquinaretur. vel, ut ſunt verba *Iſoc. in Areopag.* Creſcerent ſcelera, nocerent exempla, rerum omnium ſequeretur confuſio. Ita & *Patritius lib. 6. de Repub.* Severitas, inquit, in civitate nonnunquam ſalutaris eſt: ſævitia v. ſemper peſtifera. Nec non *Cicero lib. 1. offic.* Reipublicæ cauſâ ſeveritatem aliquam adhiberi vult, cùm ſine ea civitas adminiſtrari non poſſit.

16 Deinde addimus: Imperantium eſſe rigorem † in truces, contumaces & ſceleratos, clementiam in miſeros & calamitoſos exercere, & omnia ſua acta ad illum ſolum ac unicum ſcopum dirigere, ut ſalus & utilitas publica promoveatur: & quæcunque eidem obſtare videantur, reſecentur quod ſi fiat, ſuperiorum exiſtimatio apud ſubditos non facilè evileſcet, ſed majores adhuc vires
17 in dies conſequetur. Et ſic etiam Princeps Juſtitiæ † aram ſacram retinebit, & crudelitatis atq; iniquitatis notam effugiet, ſi regiam
18 viam calcando, quod jus & fas fuerit, decernat. Malum † certè eſt habere Imperatorem, ſub quo omnia licent. *Xiphilin ex Dion. in Nerva.* Tam n. eſt grave omnibus ignoſcere, quàm nemini veniam dare: & nocet bonis, malis qui parcit. *Seneca d. lib.* 1. c. 2. Et ubi vi injuſtitiæ multis impunè abit & ſuccedit, planè virtus ipſa evaneſcit. *Antiph. apud Stobæ. ſerm.* 72. Neque inhumanitas hoc, ſed potiùs ſumma quædam humanitas eſt: cùm multi paucorum animadver-
19 ſione ſalvantur *Juſtin. in Novell.* 30. clementis † juſtitiæ exemplum ſive præceptum *ex Tacit. Agricol.* his verbis proponit *Lipſ. lib.* 2. c. 13. omnia ſcire, non omnia perſequi: parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare, nec pœnâ ſemper, ſæpè pœnitentiâ contentum eſſe.

---- ---- ---- *ignoſcere pulchrum*
Jam miſero pœnæq; genus, vidiſſe precantem.

20 *Claudian.* Romani magiſtratibus † ſuis ſecures faſcibus alligatas prætulerunt, ut oſtenderent, leviter delinquentes, virgis: peccantes graviter, ſecure & capite puniendos eſſe. *Plutarch. in problem. Alex. ab Alexand. lib.* 3. *genial. dier. c.* 5.

Poſtre-

Postremò affcribo verba *Petr. Martyris*, quæ habet *class.* 4. *loc. com. c.* 14. *sect.* 1. Clementia in tempore † & loco est adhibenda. Nam est tempus, quod severitatem expetat. Est clementia quidam animi affectus, quo proni sumus ad ignoscendum, & ab ultione deflectimus. Is autem si non adversetur justitiæ, non violet jus & leges, nec pariat confusionem rerum humanarum, est materia virtutis: sin verò ea inducat, quæ commemoravi, jam ibi non est virtus, sed in vitium degenerat, abitque in segnitiem, negligentiam & mollitiem. Ita peccat Achabus, qui vult Deo esse clementior. Sic enim peccavit Saul, qui pepercit Agago Regi Amalechitarum, contrà quàm ipsi præscripserat verbum Dei. Est itaque hæc clementia non virtus, sed vitium, cùm secum non habeat conjunctam justitiam. Hinc *sect.* 27. clementia † ab ipso dicitur habitus, quo ex lenitate animi pœnas legales mitigamus intra terminos justitiæ. *Bartholm. Keckerm. lib.* 1. *syst. Polit. c.* 5. *fol.* 105. clementia est specialis quidam affectus Principis erga subditos, quo rigorem summi juris moderatur. *Specialis*, ut distinguat clementiam à misericordia, quam vocat affectum Principis erga subditos *generaliorem*, quibus imbecillitas humana subjecta est in genere.

CAPUT XIX.

AN PRINCIPI CUM SUBDITIS COLLOQUIA SERERE CONVENIAT?

A Clementia Principali facimus transitum ad humanitatem, † popularitatem & affabilitatem, quam *Isocrates in Paranesi* vocat *τρόπον ὁμιλητικόν*, morum & vitæ condimentum. Ut enim cibi condimentis suaviores & salubriores fiunt: sic comitate grata & jucunda redditur animorum consuetudo. In eo enim consistit, quod est velle sine morositate, sine fastidio, sine superbia, placidè & compellare honestos homines, & audire eos, qui sciscitantur aliquid, aut exponunt causas, quas officii ratio

cognosci postulat, aut quorum animi sunt leniendi in irâ, dolore, aut aliis affectibus, ut alicubi loquitur *Dn. Rodolph. Goclen.* Quæ-
2 ritur itaque; An Princeps ditionis † suæ hemisphærium radiis comitatis & popularitatis collustrare, suosque affatu & afflatu dignari debeat? In cujus quæstionis decisione solent & possunt argumenta in utramque partem adduci.

3 Pro negativa est ratio *apud Tholozan. lib. 2. de Eunomia c. 8. num. 3.* ubi Callistratus ait, magistratum pati † non debere se contemni. Quod fiet, si neminem, vel paucos, ad ulteriorem familiaritatem admittat. Et *Martialis lib. 12. Epigramm. 34. ad Julium;*

Sententia negans.

Si vitare voles acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus:
Nulli te facies nimis sodalem.
Gaudebis magis, & minus dolebis.

4 Nec ulli ignotum, quod dixit Comicus: Nimia † familiaritas parit contemptum. Viles plerumque, qui nimium civiles. *Lips. lib. 2. Polit. c. 16.* Utiliter etiam suadet *Ulpianus in l. 2. §. 2. ff. de offic. proconsul.* Ut proconsul maximam curam adhibeat, ne ullo modo contemptibilis reddatur. Accedit *Valer. Maximus lib. 2. cap. 2.* inquiens: Quicquid in excelso fastigio positum est, humili & tritâ consuetudine (maximè vilium personarum; *Hieronym. Cagnol. de recta principis institutione, cap. 143. fol. 140.*) quò sit venerabi-
5 lius, vacuum esse convenit. Continuus † siquidem aspectus minùs verendos magnos homines ipsâ satietate facit. *Liv. lib. 35.*
6 Major † contrà ex longinquo majestati reverentia est. *Tacit. lib. 1.*
7 *Annal.* Unde Tiberius † Cæsar ab urbe Româ quandoque secedere statuit, seque è medio quàm longissimè subducere, ut vitiato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentiâ tueretur. *Suetonius in ejus vit.*

8 Hac de causa etiam Aristides † omnes sodalitates fugiebat. *Plutarch. in apophthegm. & in vit. Periclis* annotat, quod nullâ re magis

magis auctoritatem & majestatem Pericles † sibi apud Athenien- 9
sem populum conciliaverit, quàm quod rarissimè in publicum prodierit.

Apud Persas † non facilè ad Regem patebat aditus: illum 10
quinimò vidisse quandoque, augustissimum censebatur: quoniam is sub majestatis specie semper ferè latebat: nec eodem cum cæteris potu utebatur. *Athenæ, lib. 1. Dipnos. Cælius Rhodiginus lib. 8. c. 2. antiq. lect.*

Dejoces † Rex Medorum jam imperio potitus, munimen- 11
tis se, suamque sepiebat regiam, reliquum verò populum jussit seorsim circumquaque habitare: primusque cavit, ne quis ad Regem ingredi permitteretur, sed per internuncios cuncta transigerentur, adeò, ut nec conspici Regem à quoquam fas esset. *Herodot.*
lib. 1. Hodie etiam Rex Chinensium † nunquam pedem effert 12
è regia, ubique per internuncios imperans. *Alex. Valignanus in admirand. Regni Sinensis.* Abyssinorum † Rex vix ter quotannis 13
faciem subditis aperit. *Alvares. & Damian. à Goes.* Rex India-
cus † neminem nisi per vitrum alloquitur: & ita in cavea ista vi- 14
trea otiosam majestatem, barbaramque gravitatem tueri se posse
existimat. Barbarus † siquidem est modus auctoritatem acqui- 15
rendi, si Princeps nunquam conspiciatur. *Kirchner. de Repub. disput.* 20. *th.* 2. *ad lit. b.*

Addimus testimonium *Henningi † Arnisæi lib. 1. doctrin. Po-* 16
lit. c. 16. *fol.* 373. necessarium esse judicantis, ut à frequenti conversatione subditorum Princeps abstineant, non tantùm quòd illa contemptum pariat: verùm etiam, quòd levissima errata in Principe habeantur pro flagitiis, interdum etiam ad imitationem rapiantur.

Pro affirmativa tamen sententia non desunt nobis & ar- *Affirmãs.*
gumenta, & exempla. Persarum † Rex, inquit *Plutarch. in Agesilai* 17
Spartanorum Regis vita, in hoc sibi placebat, si rarò conspiciendus
exiret: Agesilaus † verò assiduè in propatulo & omnium oculis 18
versari gloriebatur: putans videlicet obscenis actionibus tenebras convenire: honestæ autem vitæ lucem majori esse ornamento. Deinde difficilem ad se aditum præbere gloriosum esse censebat.

Digitized by Google

bat: Hic omnes intromitti gaudebat. Ille in rebus lentè peragendis sibi ipsi molliter nimis indulgebat: Hic tamen maximè lætabatur, tum eos qui se adirent statim voti compotes remittere. *Sic ille.*

19 Marcus † Imperator civilem se & commodum omnibus Principem præstabat, ut adeuntium cuivis dextram daret, neminem à suis custodibus prohiberi aditum pateretur. *Herodian. in*
20 *vit. Commod.* Alexander † Cæsar familiariter sese erga omnes exhibens, effecit, ut amabilis esset omnibus, appellareturque pius, sanctus, Reipublicæque utilis. *Cuspin. in ejus vit.*

21 Nos itaque Principem φιλάνθρωπον, † non μισάνθρωπον exoptamus, qui in conspectu populi & luce Reipub. negotiosus, non in occulto, non in latebris & claustris otiosus versetur. Lucis enim fugiens, tùm malè sibi conscius, tùm imbutus aut naturali aut alieno vitio præsumitur. *Herod. lib.* 3. Utque Sol in supremo fastigio collocatus in universum mundum radios projicit: ita Rex, veluti Sol sui Regni, lucem virtutum suarum (quibus vigeat & maximè refulgeat necesse est) in omnium conspectum transmittet.

22 Cautio † tamen Principi est adhibenda, ne illâ abutatur familiaritate. Laxa † siquidem disciplina & nimia familiaritas facit
Cautela.
23 ingenia luxuriare, nec satis decoro in pretio Principem habere. *Arnis. lib. 2. doctr. Polit. c.* 4. ubi prolixè monet, Principi contemptum esse avertendum, & auctoritatem sibi retinendam. Quod ipsum facit etiam *Justus Lips. lib. 2. c.* 9. itemque Callistratus *in l. observandum* 19. *ff. de offic. præsid.* observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur; unde mandatis adjicitur, ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant. Nam ex conversatione æquali (nedum ex nimia) contemptio dignitatis nascitur. Nec non *Andr. Geilius in lib. de arrest. imperij, c.* 10. *num.* 17. cùm subditis blandè benigneque agendum, & dulcibus colloquiis potiùs demulcendi, quàm nimiâ severitate irritandi sunt: ita tamen ne liberaliori indulgentiâ, & assiduâ familiaritate deteriores fiant, & domini contemptui esse incipiant. Ergo medio inter-

utrum-

Digitized by Google

utrumque tutissimè ibunt. Nimia enim olei copia lychnum extinguit, justa conservat. In salutando resalutandoque servandum esse modum: & cavendum, ne gravitas in agrestem severitatem, aut facilitas in scurrilem levitatem exeat, docuit enim *Hieronymus Cagnolus de recta Principis institutione, c.30. fol.* 40. Certè Antiochus † Epiphanes Asiæ Rex ob nimiam popularitatem, *insani* 24 nomen à vulgo meruit. *Athenaus lib.* 5. *v.* 4. Appius † Claudius 25 nimiâ familiaritate effecit, ut de gradu dignitatis deturbaretur. *Diod. lib.* 20.

Fugienda etiam compotatio † familiaris. Filolmus veterum Suecorum Rex, qui milites suos non solùm commilitones, sed combibones fecerat, per contemptum & lasciviam in cerevisiæ dolium conjectus, interiisse scribitur *Olaus Magnus in histor. Gothor.* 26

CAPUT XX.

AN PRINCEPS DE CAUSIS privatorum cognoscere, & judicare debeat?

Diximus modò de affabilitate & mansuetudine Principis erga subditos: quam quæstionem excipit illa, quæ est *de audientia facili.* Ut verò Princeps facilis † sit ad audiendas subditorum querelas ac petitiones, excipiendósque libellos supplices, monitum est *Vincentij Castellani lib.* 3. *de offic. reg. fol.* 480. *Hippolyti à Collibus de princ. c.* 3. *Keckermanni lib.* 1. *systém. Polit. c* 16. *fol.* 106. ubi hos proponit canones: Quorum primus est: Nullus debet esse tam abjectæ sortis subditus, quem Princeps ad se non admittat, præsertim in statu Reipub. pacato, ubi non est metus insidiarum. (ne tamen quavis de causa Princeps, nec ad cujusvis nutum omnibus sui faciat copiam: sed ut exigente negotiorum difficultate, solenniter ad se accersitos audiat, monet *Boter. lib.* 2. *Polit. illustr. c.* 9. *fol.* 262.) 1 *Rationes pro parte affirm.*

T Secun-

Secundus: Facilitas audientiæ magnam ansam auferet adulatoribus amicis, qui subditos Principum exhauriunt, & lucrum suum in eo occupantur, quòd aditum subditis aperiant ad Principes, & quod à Principibus petita subditorum impetrent. Quod quando fit, Princeps in odium maximum incurrit, ac omnem laudem benignitatis ac clementiæ amittit, tanquam qui non in gratiam subditorum aliquid faciat, sed in gratiam suorum adulatorum aulicorum.

2 Optimo ergo jure Trajanum † laudat *Plinius*, quòd mansuetudine & peculiari affabilitate, non frontis contractione, non elato supercilio, populorum reverentiam erga se paraverit: quòd nulla in audiendo fuerit difficultas, nulla in respondendo mora: quòd adierint statim, dimissi fuerint statim. Commendat & Arta-

3 xerxem † Regem Persarum *Plutarchus in ejus vita*, quòd facilis ad eum omnibus patuerit aditus.

4 At verò boni † etiam Principes sæpe in hac parte negligentiores sunt, quàm vel ipsis, vel Regnis eorum utile est. Quorun-

5 dam † etiam tanta non solùm morositas & fastidium, sed etiam levitas & perversitas est, ut nihil ista ad se pertinere putent, & plane nullam facultatem subditis se adeundi præbeant, vel compellantes asperè & duriter à se repellant, vel plane ludibrio habeant *in orat. de Ferdinando Cæsare apud Chytr. lib. 21. Saxon. fol.* 550. Ita

6 Demetrius † Rex Macedoniæ cùm in via aliquando magnam copiam libellorum supplicum, hilari vultu à subditis accepisset: & hi optimâ spe læti, certam sibi opem à Regis clementia exspectantes, sequerentur. Rex flumen Axium transiens, cùm ad medium pontem venisset, omnes Supplicationes non lectas in flumen projecit, & supplices, velut muscas sibi molestas, à suo Comitatu depelli jussit. *Plut. in ejus vit.*

7 Sed planè immemor officii † sui Regii, quod est, facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. *caus* 23. *q.* 5. *c.* 33. Omnibusque

8 † tùm Philosophis, tùm Historicis inter se convenit, justitiæ faciendæ causâ olim Reges esse creatos, *Aristot. lib.* 3. *Polit. c.* 11. & spe-

Digitized by Google

ſpeciatim Herodotus, de Medis, Tullius, de Romanis, id referunt.

Apud Hebræos David fecit judicium & juſtitiam omni populo. 1. *Sam.* 8. *v.* 15. 1. *Paralip.* 18. *v.* 14. Salomon † ſapientiam 9
à Deo humiliter efflagitavit, quò judicandi munere ritè rectèque fungeretur. 1. *Reg.* 3. *v.* 9. idem litem diremit duarum meretricum. *v.* 18. *& ſeqq.*

Inſuper Perſarum † Regem mos fuit, ut ab uno cubiculariorum ſummo manè ad thorum accedente excitarentur, his verbis: Surge Rex, & negotia cura. *Plutarch. de doctrin. Princip. Ariſtot. lib.* 1. *Oecon.* 10

Indorum † Regum dormientem, ſi qua fœmina occiderit, munus habet, ut cum illius ſucceſſore jungatur. *apud Homerum lib.* 2. *Iliad.* 11

Agamemnonem † Regem Jupiter, ſomno internuncio ſic affatur: 12

Totâ nocte virū Regum dormire pudendū eſt,
Cui populi, cujus commiſſa negotia curæ.
Maxima ſunt.

Et ſanè nihil † tam equum impinguat, quàm oculus Regis. 13
Plut. de educat. pueror. Ipſe † itaque Magiſtratus vel Princeps, quan- 14
tum fieri poteſt, in perſona propria cognoſcere debet & judicare, causâ probè cognitâ *l. unic. C. quando Imp. inter pupil. vel vid. vel al. miſerabil. perſon. cognoſc.* Exempla Impp. Romanorum & Regum, quos clementia & facilitas audiendi commendavit, illuſtriora nunc lubet addere,

De Octavio † Auguſto hæc ſcribit *Suetonius in ejus vita c.* 37. 15
Ipſe jus dixit aſſiduè & laborioſiſſimè, & in noctem nonnunquam, ſi parum corpore valeret, lecticâ pro tribunali collocatâ, vel etiam domi cubans: Dixit autem jus non diligentiâ modò ſummâ, ſed & lenitate. Quare & graviter & eleganter idem Auguſtus cuidam ipſi libellum trepidè porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: Quid, inquit, an putas te aſſem dare Elephanto?

Digitized by Google

Solent enim pueri minimos nummos Elephanto porrigere, quos ille non sine spectatorum admiratione proboscide sic excipit, ut pueri manum non lædat. Quis nescit † Trajanum? quis Domitianum? quis Servium? quis Galbam? quis Hadrianum? Hic cùm aliquando prateriret, & mulieri interpellanti sibi non esse otium diceret, atque illa exclamaret: Ergo imperare noli: Statim conversus, eam audivit *Suetonius & Zonar. tom. 2. Annal.* Eandem aurem vellicatam legimus Philippo II. Regi Macedonum, à vidua quadam paupercula, cujus causam cùm audire recusasset, respondit vidua: *Rex meam nisi audias causam, Rex esse non potes.* Præterea, quibus encomiis celebrandus Fl. Vespasianus? † qui cùm propter vitiata intestina valdè cruciaretur, nihilominùs tamen Imperatoriis muneribus fungebatur; adeò ut lecto decumbens, legationes ipse audiverit. Et cùm amici eum hortarentur, ut sibi parceret, respondit: *Imperatorem stantem mori oportere. Cuspin. in ejus vit.* Ita & Ælius Verus Imp. sæpè dixit: Sanum Principem mori debere, non debilem, ut refert *Ælius Spartianus in ejus vit.* Idem responsum tulit Vitellius à Medicis reprehensus, quòd omnia munia in morbo obierit. Pari modo M. Antoninus † Philosophus capitales causas hominum honestiorum ipse cognovit, & quidem summâ æquitate: ita ut prætorem reprehenderet, qui citò reorum causas audierat: juberetque illum iterum cognoscere: dignitatis eorum interesse dicens, ut ab eo audirentur; qui pro populo judicaret. *Jul. Capitolin. in vit. Antonini.* Nec silentio nobis est prætereundus Carolus Magnus, † in cujus vita hæc habet verba *Evignardus*: cùm calciaretur, aut amiciretur, non tantùm amicos admittebat: verùm etiam si Comes Palatii litem esse aliquam diceret, quæ sine ejus jussu definiri non posset, statim litigantes introduci jussit, & velut pro tribunali sederet, lite cognitâ, sententiam dixit. Idem de Carolo refert *Donatus Acciolus in ejus vit.* quod in controversiis hominum & diligentissimus simul & justissimus fuerit habitus: quòd liberè ad eum querimoniæ de aliorum injuriis, facilesque aditus fuerint: benigna reddiderit responsa, quæ omnia quò rariùs in maximis Principibus reperiuntur, eò gratiora Carolo fuisse. Itaque ejusdem

Caro-

(margin numbers: 16 at "pueri manum non lædat", 17 at "Annal.", 18 at "nus? † qui", 19 at "toninus † Philosophus", 20 at "nini.")

Caroli M. in capitulari † hæc lex erat: *Hoc missi nostri notum faciant* 21
comitibus & populo, quòd nos in omni septimana unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Hæc ille.

Simile exemplum de Ludovico † cognomento Divo Rege 22
Gallorum, ex commentariis *Joh. Jonvillæi* refert *Franc. Hotom. in FrăcoGall. c.* 27. Quo enarrato hæc subjicit: ex his existimari potest, quanta litiũ & litigatorum illis temporibus esset paucitas: quantaque Regum illorum in avertendis litium molestiis solicitudo.

His tamen non obstantibus, pro negativa parte concludit *Pro neg.*
Joh. Bod. d. c. 6. nu. 458. & negat Principis † majestati convenire lites 23
& judicia ordinaria pertractare, Neque v. magistratuum sit: quia cùm multis adhuc legib. populi uterentur, sed regia manus ac voluntas pro lege haberetur, veluti patet *ex lib. pand. tit. de orig. jur.* necesse erat causas civium à Principibus judicari: promulgatis v. judiciorum publicorum ac privatorum legibus, & quæ quib. peccatis supplicia, quæ merentibus præmia dari oporteret, necessitas illa sublata est, & à Principibus & judices delata. *Et n.* 465. Principem omninò à judiciis arcemus, nisi † summâ sapientiâ præstet, aut 24
prudentiũ hominũ consiliis sua judicia constitui ac terminari ve- *Limitatio*
lit: & ejusmodi causæ fuerint, quæ Principis cognitione ac judicio dignæ videantur; imitantem præcepta Jethronis, qui Moysen Israelitarum Principem difficilimâ causarum omniũ judicatione penè obrutum, eâ ratione sublevandũ putavit, ut de rebus tantũ arduis, & ab ordinaria magistratuũ jurisdictione remotis, cognosceret: Cætera magistratib. ac judicib. permitteret. Id quod et à Romulo † 25
factum & institutum legimus. Is n senatui ac magistratibus mandatâ jurisdictione ordinariâ, gravissimas tantùm causas sibi reservandas esse putavit. *Dion. Halicarn. l.* 2. Ab hac sententia non est avienus *Ant. Thessaur in præf. decis. Pedem n.* 12. ubi hæc habet: Quoniam Principes gravioribus negotiis impediti litibus interesse nequeant, & judicandi munus juris maximam peritiam requirat, §. 1. *in authen. de judicib.* in sui locum magistratus proponunt, qui tali officio vacent. Et *n. præced* 8. DEus mandat Moysi, *Num. c.* 11. ut eligat 70. Seniores, qui cum eo onus rerũ omnium, & gubernationẽ illius populi ferrent. *nu.* 16. Is unumquemq; separatum suæ tribui

 præfes-

Digitized by Google

præfecit, eâ tamen conditione, ut graviores lites ad ipsum Moysen, tanquam Principem & Ducem deferrentur, ne ipse, dum omnibus judiciis intenderet, nimio labore defatigaretur, & partium jura minus perciperentur. *Exod. 18. v. 22. Deut. 1. v. 17.* Tandem *num.* 36. finaliter ita concludit: Debet Princeps (nisi gravioribus negotiis occuparetur) judicibus quandoque adesse, & in arduis causis dijudicandis intervenire. Cui determinationi fasces nostros submittimus. Quod si enim Principes administrationem re-
26 rum† suarum familiaribus totam permittant, omnia Regni præsidia dilabantur necesse est. Si per se omnia curare velint, inanem & sine ullo fructu percipient, horamque nullam molestissimis negotiis, metu & sollicitudine liberam habebunt.

27 Capitalia† tamen judicia quod concernit, his interesse Regem & Principem nolumus, inquit *Kirchner. in Repub. disp. 11. th. 1. ad lit. b.* præceptum Xenophontis secuti, & exemplum Alexandri, *Curt. in vit. Alexand.* non Augusti, qui notatus ob eam causam à Mœcenate, & carnifex appellatus. *Senec. de ira. Zonar. tom. 2. in vit. Augusti.*

28 In præmiis † enim & muneribus distribuendis Regem & Principem volunt prudentes præsentem: in suppliciis & pœnis absentem. *Xenoph. in Hierone. Machiavell. in discurs. Jun. p. 3. quæst. Polit.* 105. *& Bodin. d. c. 6. num.* 468. Quoniam gratissima sunt præmia, pœnæ verò odiosissimæ: Principem oportet, ut ametur & colatur, omnia præmia tribuere, magistratus inquam, imperia, sacerdotia, curationes, munera, beneficia, restitutiones: pœnam verò irrogare nemini, sed magistratibus integerrimis ac prudentissimis permittere pœnarum irrogationem. Ita fiet, ut Principem pro suis erga singulos benefactis subditi omnes summâ benevolentiâ complectantur: inimicitiarum omnium sublatâ, & in ma-
29 gistratus ac judices derivatâ causâ. Hinc etiam barbarum† dicunt in Moscovitarum tyranno, qui solus ferè omnia judicia criminalia exercet. *Sigismund. Baro in Muscov.*

CAPUT

CAPUT XXI.

AN PRINCIPI CONVENIAT literarum cognitio, & qualis?

DE hac quæstione nullum in modum disceptatur in Scholis Politicorum, ubi alii in negantem, alii in affirmantem descendunt sententiam. Utraque pars in acie stat suis instructa argumentis.

Pro negativa, quæ literas ab aulis in Scholas, relegat, adducitur: 1. Quòd qui docti, sapientiores † esse legibus volunt, innovare multa conantur, suas tantùm existimant opiniones & sententias valere debere. *Jun. part.* 2. *q.* 49. Hinc suâ confisi prudentiâ, spernunt monita consiliariorum, & sibi ipsis parum consulunt. Unde illud: Odi sapientem, qui sibi non sapit. Et *Liv. lib.* 44. eum, qui de sua unius omnia agat sententia, temerarium magis habendum, quàm sapientem putat. *Arg. neg.* 1

2. Inepti † dicuntur ad civiles functiones. Idem his accidit, quod noctuis, quæ media in luce caligant. *Bodin. in method. histor. c.* 4. Ita Claudius, Michael Parapinacius Impp. docti, interim inepti ad gubernacula fuerunt. *Cuspinian, & Johann. Magnus lib.* 10. 2

4. Etiam improbi † extiterunt multi, malè tyrannicèque imperarunt docti ac literati, cujus rei documenta nobis præbent Impp. Romani? Quid enim Tiberius? quid Claudius? quid Nero? Nullus certè extitit Principum, qui extra rei militaris scientiam minus habuerit literarum, quàm Trajanus: Nerone verò nullus fuit doctior: hic tamen sceleribus, ille virtutibus parem habuit neminem: hic senatum capitaliter odit, ille omnia senatus consilio gessit, deque detrimentosa eruditione Neronis ita *Auson. in grat. act ad Grat. pro consul.* Neronis indolem non erudiit Seneca, 3

sed armavit sævitiam. Hinc *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 1. num. 239.* Summa, ait, literarum cognitio, Principibus sæpissimè perniciosa extitit, nisi benè à natura, melius etiam à virtutibus instructi & informati essent: quia nihil tam in Principe metuendum, quàm multa rerum abditarum cognitio cum scelere conjuncta.

4 4. Adducuntur auctoritas† & exemplum Licinii Imperatoris, qui literis adeo infestus erat, ut & virus & pestem publicam easdem appellavit, ut tradit *Aurel Victor. in vita Constantin.* Itemque Ludovici XI. Gallorum Regis, qui Carolum VIII. filium nulla alia verba Latina scire volebat, præter hæc: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

Verùm pars adversa, quæ est affirmativa, tela depromit hisce longè fortiora.

5 *Affirm.* Primum ab officii magistratus† conditione peti potest, *ex proœmio libri 1. Flavij Vegetij ad Valentinianum Augustum de re militari, dicentis:* Neque quenquam magis decet vel meliora scire, vel plura, quàm Principem, cujus doctrina omnibus potest prodesse subditis. Est enim omninò Imperii ars maxima, ut inquit *D. Chrysostom. 2. ad Corinth. homil.* 15. quam artem sine doctrina non potes exercere.

6 Secundum argumentum est ab utilitate† & commodis doctrinæ. Hæc enim non ad vitam solùm instituendam conducit: verùm etiam necessaria est ad consiliorum directionem, & Reipub. administrationem. Qua de causa Demetrius, Phalereus, Ptolomæum Regem hortabatur, ut libros de regno scriptos emeret ac legeret. Nam de quibus amici Reges admonere non auderent, ea in libris esse scripta. *Stobæ. serm.* 46. Hoc secutus est Alphonsus Rex Aragoniæ dum ajebat: Optimos Consiliarios esse mortuos, libros videlicet, à quib. omnia sine metu, sine gratia, quæ noscere cuperet, fideliter & candidè discere posset. *Panormitan. lib. 3. de reb. gest. Alphonsi.* Itemque intellexit Alphonsus Senior Calabriæ Dux, qui nunquam sine libris in expeditionem proficiscebatur: ex quibus magno suo cum fructu longè melius præstantissimorum virorum virtutes se posse cognoscere affirmabat, quàm ex multis magistris, *Pontanus in lib. de Principe.*

Ter-

Digitized by Google

Tertium argumentum est ab honesto, † Doctrina enim est 7
laudis fundamentum: fons veræ felicitatis: &, ut laurus perpetuò viret, ita eruditionis fama non marcescit. *Plat. lib. 6. de Rep.* Principem non splendor suæ fortunæ, non vestes aureæ, aut ornatus crinium & equorum propria pompa honestabit ita, quantum ipsarum decor literarum & fama virtutum, quorum facies si videri (ut Aristoteles ait) posset, pulchrior esset, quàm Lucifer, aut Hesperus. *Sylvius Epist.* 105. *& lib.* 1. *comm. c.* 60. doctrina sapientiæ similis est, quam omnis anima concupiscit, nulli onerosa.

Quartum petitur à turpi, † Sic enim Maximilianus I. Imp. 8
dicere esse solitus: Turpe esse magno Principi, nescire literas, *teste Jovio.* Homo siquidem sine literis, nihil aliud nisi asinus bipes. *Sylv. Epist.* 4. Illiteratus Princeps est quasi asinus coronatus, ut dicebat Trajanus. *Policratibus lib.* 4. A quo non absimile Alphonsi Regis Aragoniæ responsum, qui cum audiret, Regem quendam Hispaniæ dixisse: Non decere viros Principes scire literas, Bovis hanc esse vocem, dixit, non hominis. *Panorm. de dict. & fact. Alphonsi* Idem ferè Uladislaus I. Ungariæ ac Bohemiæ Rex, quamvis adhuc puer cùm esset Romæ: Non videri sibi, ajebat, homines, qui literis ignorarent. *Sylv. lib.* 3. *rerum Bohemicarum.* Neque qui doctrinâ non sunt, multum dissimiles statuis esse videntur, qui honestam præ se foris speciem ferunt: intus plumbò, bitumine, aranearum telis plenæ sunt. *Plutarch. ad princ. in doct.* Sic & *Æmil. Sylv. d. epist.* 4. inter hominem illiteratum & marmoream statuam nihil interesse statuit. Ad animum hoc revocans modò dictus Alphonsus, pronunciavit: Malle se privatum vivere, quàm eruditione carere. Optimè siquidem habuit perspectum, quòd inscitia omnium in Repub. miseriarum ac calamitatum causa sit.

Et quid turpius, quàm totum ex alieno cerebro & sapientia pendere, & alienis oculis videre? Quin benè consulentibus obtemperare, aut de his judicare nequeunt omnis doctrinę expertes *Jun. part.* 2. *Polit. quæst.* 49. Quando Princeps totus ab aliorum arbitrio pendet, neque per se quicquam, nascuntur factiones,

 divi-

Digitized by Google

dividitur populus, dividitur senatus & Regni proceres: inde bellum nascitur, atque ex bello rerum penuria, quam excipiunt deinde morbi, & varij generis ærumnæ. *Philipp. Comin. l. 3. comm. de gest. Ludovici XI. Regis Gallor. fol. 389. Et fol. praced. 388.* Quod si verò Princeps librorum lectione quæsitam haberet aliquam prudentiam, non temerè circumveniri posset.

9 Quintum ducitur à periculoso, † Magna ingenia nisi rectè instituta, & imbuta literis fuerint, quæ mores emolliunt, tantò deteriora evadunt, quantò in illis majores igniculi extiterint. Magna enim scelera non ex vili natura, sed generoso ingenio educatione corrupto proficiscuntur. *Plat. lib. 6. de Repub.*

10 Sextum sumitur ab auctoritate † & inductione exemplorum. Apud Persas Regibus regnare non licebat, nisi familiariter cum Magis Sapientibus versatis ipsorumque disciplinâ imbutis. *Philo. in explic. decalog. ad præcept. 6. & 7.* Et *Plato* refert, filiis Regum Persarum quatuor præceptores fuisse præfectos: quorum primus esset sapientissimus: secundus temperatissimus: tertius justissimus, qui nempe Principem exerceret in causis agendis, & sententijs ferendis: quartus fortissimus, qui Principem exercitijs bellicis instrueret. Mos ille etiam apud Ægyptios invaluit, ut Regios pueros artes magicas, tanquam studia sanctiora, edocerent. *Alex. ab Alexand. lib. 2. genial. dier. c. 25.*

Romani, cùm Imperator aliquando quæreretur: quis, acclamarunt, meliùs, quàm literatus imperaret? *Vopisc. in Tacito.* Quid de Julii Cæsaris, primi Imperatoris Romani, eruditione & indefesso studio dicam? Tantum id fuit, ut ne in bello quidem unquam intermiserit: neque ludos aut alia publica munera sine lectione spectarit. Ac omnium testimonia de hac re scribentium, commentarii de rebus ab eo gestis scripti longè superant, ab ipso inter armorum strepitum, ac bellorum tùm externorum, tùm civilium curas, literis mandati, ut scriptoribus materia pararetur: & ita eruditi limatique habiti sunt, ut nullus eis apponere manum ausus fuerit, cùm styli nitorem, militaremque illam, sine ullo fuco, facundiam non superare modò, sed ne æquare quidem posse, haud injuriâ nemo sibi persuaserit.

Fuitque omni disciplinarum genere hæc ipsius tanta erudi-

Digitized by Google

ditio magis miranda, quòd honorum cupidus, atque ingenti ambitione laborans, inter arma magistratusque omnem transegit ætatem. *Bapt. Fulgos. lib. 8. de dict. & fact. mem. c. 7. & Plin.* virtus Cæsaris, ait, omnium penè capax fuit, quæ cœlo continentur: utpote quòd proprio vigore volucrique celeritate, quasi quodam igne, scribere & legere, simul dictare & audire consuevit, ut refert *Cuspi. in vit. Cæs.* Quid referã de Augusto, Julii Cæsaris ex sorore nepote, atque eodem per adoptionem filio? Is Cæsari in literarum studijs fuit persimilis: quod vel Mutinensis loquitur expeditio, in qua cùm omnia armis obstreperent, semper vel legit, vel scripsit, vel declamavit; cùm nec vita, quæ in summo discrimine versabatur, nec militaris cura ac molestia eum averteret, quò minus assiduè studijs, longè enixiùs, quàm alij in magno otio soleant, operam impenderet. *Dio lib.* 51. sed & inter cœnam viros eruditione præclaros adhibuit, qui de varijs rebus sermonem ac collationem instituerent, ex antiquitatibus exempla sententiasque in medium proferrent Et ad communionem sermonis tacentes, vel submissim fabulantes provocavit, aut acroamata interposuit, ut auctor est *Sueton. in ejus vit.* Quid de Nerone? quid de Tito? quid de Trajano? Hic eruditione non minùs, quàm bonitate, & rerum gestarum gloriâ admirabilis fuit: usu tamen potiùs, quàm institutione. *Cuspin. in vit. Trajan.* quid de Hadriano? cum illis Professoribus & Philosophis, libris vel carminibus invicem editis, sæpè certavit. Quin uno tempore scripsit, dictavit, audivit, & cum amicis fabulatus est. *Æl. Spart. in ejus vit.* Quid de M. Antonino Philosopho? Ipse tantũ operis & laboris studijs impendit, ut corpus afficeret, atq; in hoc solo pueritia ejus reprehenderetur. Frequentavit & declamationum Scholas publicas. *Jul. Capitoli. in ejus hist.* Quid de Alex. Severo? ipse à pueritia artibus bonis imbutus, tam civilibus, quàm militaribus, ne unum quidem diem spontaneè transire passus est, quo se non & ad literas & ad militiam exerceret, quãquam occupationum magnitudine in Imperio penè opprimeretur. Cùm inter suos convivaretur, aut Ulpianum, aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas, quibus se recreari dicebat, & pasci. Ulpianum Jurisconsultum, Consiliarium ac Magistrum scrinij, amicum suum nominavit; in quem cùm milites intemperie

Digitized by Google

perciti, strictis gladiis irruerent, objectu corporis sui furentes repressit, & de vita periclitantem amiculo purpureo, nullâ suæ salutis habitâ ratione, texit & protexit. *Lamprid. in Alex.*

Quid de Carolo Magno? Hic legatos Græcos non solùm intelligere potuit, verùm etiam Latinam linguam, eamque non modò prosam, sed & ligatam calluit. Inter cœnandum lectorem audiebat: legebantur ei historiæ, & antiquorum Regum gesta, *teste Egvinharto in vita Caroli.*

Quæ bonarum literarum & linguarum cognitio in Ottone II. Imperatore fuit? Is aliquando in fuga à piratis captus, beneficio Græcæ & Latinæ linguæ, cùm non pro Imperatore haberetur, incognitus evasit.

Quantâ linguarum peritiâ Fridericus II. claruit? Hic præter patrias linguas, Germanicam & Italicam, didicit exactissimè Latinam, Græcam, Sarracenicam, Francicam, & in singulis Philosophiæ partibus non tantùm rudimenta prima degustavit, sed fontes ipsos introspexit atque exhausit. *Peucer. lib. 5. Chron. Carion. & Cuspin. in ejus vit.*

Maximilianus II. Imp. Hispanos, Italos, Gallos, Belgas, Boemos, Pannones, & latinè loquentes rectè intellexit, & singulorum linguas, perinde ac si nativæ essent, calluit. *in orat. de Maxim. apud Chytr. in Saxon. lib. 13. fol. 636.*

Et cui ignotus Mithridates Rex Ponti & Bithyniæ: Hic duarum & viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud unquam per Interpretem locutus est: Sed ut quenque ab eo appellari usus fuit, perinde linguâ & oratione ipsius, non minus scitè, quàm si gentis ejus esset, locutus est. *Gell. lib. 17. c. 17.*

Quis in Republica literaria tàm peregrinus hospes, cui non sit notus Martis & artis ille pullus Alexander M. Rex Macedonum? Ejus Pater Philippus non tàm ob natum filium lætatus est, quàm quòd sub disciplina Aristotelis erudiendus esset. *Plutarch. in ejus vit.* Is non Ethicæ tantum ac Politicæ, verùm etiam occultæ magisque arduæ disciplinæ, speculativæ scilicet, præcepta comparavit, Iliadem Homeri, quam rei militaris viaticum exi-

existimare ac appellare solebat, semper unà cum pugione sub pulvino jacentem tenere solitus. Delato ad eum scriniolo, quo nulla inter opes Darii sumptuosior & ornatior fuisse res videbatur: amicos sciscitatur: quidnam in eo pretiosum dignè collocandum existiment: Multos ejus usus demonstrantibus: hoc optimè, inquit, Iliadis Homeri custodiæ dabitur. *idem Plut. ibid.*

Sed quæ, inquis, & qualis in Principe requiritur literarum
cognitio? quibus potissimùm studiis operam navabit? scientia † 10
divina primas tenebit. Fides enim universalis est, & omnium *Scientia*
communis, atque ad omnes omninò pertinet Christianos. *c. ubi* *divina.*
nam distinct. 96. unde *Xenophon. in Agesilai laudibus*: Eximiam rem dicit, cùm in aliis, tùm maximè in Principibus, religiosum esse, ob pietatem David, Josaphatus, Ezechias, Josias in sacris commendantur & celebrantur.

Rectéque *Barthol. Keckerm. lib. 1. systém. Polit. c. 2. fol. 76.* Theologiam Principem nosse oportet: Primò quatenus Deo subjectus, animæ suæ privatam salutem quærit: deinde, quatenus est procurator salutis publicæ suorum subditorum, & quatenus eum sæpè judicare oportet de rebus divinis & controversiis ad religionem pertinentibus.

Hinc ita *Hieronym. Cagnol. de rect. Princ. instit. c. 10. fol. 21.* Quamvis cultus Dei omnibus sit necessarius per observantiam mandatorum suorum, Principi tamen præcipuè competit, hujusque rei magis debita est, quia non solùm homo, verùm etiam Princeps, ut ait Thomas. In quantum homo, quia ad imaginem & similitudinem Dei creatus, ad divinam reverentiam, quod primæ tabulæ proprium est præceptum maximè tenetur in quantum Princeps, quia vices Dei gerit in terris, nec est potestas, ut ait Apostol. nisi à Deo, à quo dominii dependet virtus, & ubi est dependentia dominii, necessaria est superioris reverentia.

Quare detestamur impiam *Machiavelli* † sententiam, dicti- 11
tantis: Fidem, religionem privata bona esse, Principes autem & Reges non obligare. Ita ante ipsum Atreum illum in Tragœdia dixisse, refertur *in orat. de Ferdinando Cæsare apud Chytra. lib. 21. Saxon. fol. 551.* Sanctitas, pietas, fides, pudor, privata bona sunt:

Quâ juvat, Reges eant. Audiant ἄθεοι illi officium Regis ex ore ipsius Dei sic præcipientis: volumen legum secum habeat, legat illud omnibus vitæ suæ diebus, ut discat timere Dominum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor super fratres suos, neque declinet ad dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filius ejus *Deut.* 17. *v.* 18. 19. *&* 20. Tolle hoc vinculum religionis, ait *Lactantius de ira Dei c.* 8. & vita hominum stultitiâ, scelere immanitate complebitur. Nullum sanè flagitium aut facinus tàm nefarium est, quod non perpetret, cui Deorum reverentia perijt. *Anton. Guevara in Horolog. Princ. l.* 1. *c.* 18. *fol.* 63.

Divina oracula excipiunt artes humaniores. Quæ verò ex illis Principi sunt degustandæ, controvertitur. Vox & sententia
12 nonnullorum est disciplinas † illas instrumentarias, Scholasticas & Philosophicas esse humiliores, quàm ut Princeps earum adita penetret.

Quid nos? an ita parvi æstimabimus illa, sine quibus ad
13 magna perveniri nequit? Absit! quin potiùs asserimus, parcè, † & ad usum instrumentarias disciplinas Principi delibandas, & gustum earum percipiendum, non ipsos fontes exhauriendos, juxta illud Neoptolemi: *philosophandum, sed paucis*, id est, methodicè & sobriè philosophandum est ei, qui ad Rempub. aspirat, neque enim decet totum philosophiæ immergi eum, qui ad Rempub. præparandus est. *Keckerman. l.* 1. *systém. Ethic. c.* 3. idem est judicium *Erasmi Roterodami in præfat. Suetón. ad Fridericum Electorem Palatinum.* Et quis hominum in Principe (cujus tot & tantæ occupationes) summam & scrupulosam in doctrina ἀκρίβειαν exiget? quis in argutijs illis Scholasticis indagandis diu illum occupari velit?

Philosophia theoretica parca.

14 Quod si tamen Princeps ingenio † valeat, atque otio abundet, honestæ recreationis gratiâ artes illas contemplativas adire & cognoscere poterit: quòd Carolum IV. fecisse paulò ante diximus. Cùm vero rarò rarissimè id contingat, cùm modo, non summo studio Principi Scholasticæ artes discendæ, ut præcipit *Seneca Epist.* 89. Habeto doctrinam cum modo: quia plus scire quàm

quàm satis sit, intemperantiæ genus est. Quamvis *Plato lib. 6. de Legib.* tum demum beatas fore Respublicas judicat, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.

Quis ergo modus sit tenendus Principi, & quid ex singulis disciplinis haurire debeat, sequentia indicabunt.

Ex instrumentarijs disciplinis primo loco se offert Logica. † Hæc enim vulgò prædicatur ὄργανον ὀργάνων, manus & clavis disciplinarum, ab Augustino scientia scientiarum. Hæc est, quæ normam & formam præscribit tractandi, addiscendique reliquas disciplinas. 15 *Logica.*

Eloquentiæ † studium maximè etiam sibi commendatum habebit Princeps. Nam, ex voce *Platonis*: Oratio animis hominum imperitat, & à prudentibus eloquentia Regina animorum dici meruit. Hinc rectè *Arist. in Rhet. ad Alex.* ipsum monet, valdè indignam rem esse, si Princeps splendidis vestibus se ornet præ alijs hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria est homini, quàm ulla vestis. 16 *Eloquentia.*

Succedunt disciplinæ principales, † quæ vel contemplativæ & theoricæ sunt, vel operatrices & practicæ. 17

Ex numero illarum est Physica & Mathematica: in quibus aliquatenus Princeps instituti debet. In Physicis, † quoad generalia quædam Physica præcepta, & illa, quæ in communi vita frequenter contingunt, ut meteora, &c. 18 *Physica.*

Deinde ad cognoscenda ingenia, naturas, indolem & temperiem istius populi & regionis, cui imperat, *Bodin. in method. hist. c. 2. Castellan. de offi. Reg. lib. 1. c. 10.*

Mathematica, † Architectonica, Arithmetica, Geometria, Geodæsia rebus bellicis & domesticis auxiliantur. Et in confesso est, Principes, Ducesq; bellorum summos hoc genere studij vehementer delectari, in eoque non mediocrem, sed quandoque exquisitam operam collocare, non tantùm ad oblectationem animi sed etiam ad castra metanda, & dirigenda, feliciter tormenta, seu machinas bellicas. 19 *Mathematica.*

Disciplina seu Philosophia practica, † nempè Ethica, Oeconomia & Politica, exactiùs debet esse nota Principi, ex cujus 20 *Philosophia practica.*

flo cu-

flosculis suavissimis coronam omnigenæ virtutis sibi nectet, apophthegmata doctorum virorum cognosceret, normam & formam Reipub. benè administrandæ addiscet. Politica enim regendi scientiam proponit, & tanquam ex sublimi specula cœlestem quandam facem ad totius gubernationis cursum felicissimè instituendum præbet, nec sine civilis prudentiæ oculo administrationis clavum Reipublic. gubernator rectè tenere potest. Et qui alios reget ille, qui artem ac præcepta regendi non didicerit?

Philosophicas disciplinas excipit superior illa facultas, Ju-
21 risprudentia,† quæ à Justiniano Imp. definitur rerum divinarum atque humanarum notitia, justi atque injusti scientia. §. 1. *Instit. de just. & jur.* Hæc in Principe requiritur saltem quoad generalem cognitionem juris civilis, deinde quoad cognitionem juris proprii, seu statuti in suo regno, quod debet exactissimè perspectum habere, ex monitu Politicorum. Turpe enim est magistratui, viroque Principi, jus in quo versatur, statuta & scita regni sui ignorare. *l. 2. §. servus ff. de orig. jur.*

Jurisprudentia.

22 Præterea, Historiarum† lectionem Princeps sibi commendatam habebit. Ea verò est duplex: Generalis, sive specialis, externa, & domestica. Hanc ad unguem ipsum scire debere, sententia est Keckermanniana *fol. 76. in fin.* ita ut calleat omnia acta regni sui: quid ante ipsum gesserint antecessores Principis in isto regno: qualia ipsorum consilia, dicta & facta fuerint, quales eventus. Et *fol. 77. in med.* Quod Princeps debeat nosse acta Regni sui, tam vetera, quàm recentiora, id Spiritus Sanctus inprimis suasit exemplo Ahassueri, qui, ut est *in lib. Esthera*, cùm nocte dormire non posset, curavit sibi prælegi commentarios Regni sui, qui ei summoperè ad salutem Reipubl. profuerunt eo tempore, quo à nequissimo Consiliario Hamano pernities Regno imminebat.

Historia.

Quamvis autem Historiarum cognitio omni hominum generi æquè sit ex usu: Regibus tamen, Principibus, publicarum rerum Rectoribus, & id genus hominibus, qui tractandis regnorum habenis, aut obeundis muneribus publicis adhibentur, maximè est

Digitized by Google

est necessaria: utpote quos oporteat salutaria bonorum sequi consilia, & præstantium in Repub gubernanda virorum, Principum, Magistratuum virtutem imitari; *in præfat. Baptist. Fulgos. de dict. & fact. memorabil.*

Denique variarum † linguarum, præsertim earum, quibus vicinæ & confœderatæ gentes utuntur, cognitio Principi erit necessaria. Illæ siquidem plurimum tùm ornamenti, tùm emolumenti ipsi afferent. Quamobrem Carolus IV. Imper. inter alias constitutiones *Aureæ Bullæ, tit. 26. §. cùm sacri Romani &c.* hanc optimam de Impp. & Regum creatione edidit, ut qui de cætu ad Cæsaream aspiraret dignitatem, etiam variarum linguarum peritiam haberet: ut deinde creatus Imp. varijs linguis, quibus posteà præesset, sine Interprete respondere posset. Linguæ etiam Latinæ usus Principi omninò est necessarius. Cùm enim illa sit universalis, totius propemodum orbis terrarum lingua, poterit in Principe supplere plurimarum aliarum linguarum defectum, in audiendis exterorum legatis, responsisque dandis. 23 *Linguarũ peritia.*

Tanta verò ediscendarum rerum † multitudo bonum Principem non absterrebit, ut monet *Boter. lib. 2. de politia illustr. c. 1.* Ne desperet neque de ingenij facultate, neque de tempore. Quæ enim in hominem privatum difficulter, aut sanè nunquam caderent, ea à Principe citra laborem facili brachio confici possunt. 24

Ac multa quidem sunt, in quibus Principi ad comparandam eruditionem permultum situm est: sed plurimum sibi vendicant conversationes † virorum, quorum eruditionis splendor famæque integritas passim nota est. Tales sunt Mathematici, Philosophi, Duces, Præsidiarii, Oratores & alii: quorum operâ & studio in mensa idque brevissimo tempore plus proficit, quàm multis mensibus in Scholis assequi potuisset. His semper aliquam conferendi & disputandi materiam proponet, sive id fiat equitando, sive inambulando, sive aliâ quavis arreptâ occasione. His exercitationibus ita acuet & præparabit eos, ut nunquam accedere audeant, nisi instructi & parati. quid? quòd mutuâ æmulatione de palma decertando, optima & utilissima quæque in medium afferre 25 *Conversatio doctorum virorum Principi appetenda.*

 ferre

ferre enitentur. *Huc usq; Boterus*. Cujus judicium de conversatione doctorum virorum maximoperè probatur & laudatur à nostratibus Politicis, dum illam maximè efflagitandam & appetendam Principi monent. Sic *Christoph. Besold. class. 2. disput. Polit. n th.* 11. Optima Principum institutio videtur, ut semper circa se habeat viros doctos & graves.

Qui enim cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis invenietur. *Prov.* 15. Itemque *Capitolin*. Princeps bonus fiet, si bonis amicis utatur. Memoriæque mandatum esse scribit *Besold*. Franciscum I. nullâ eruditione singulari tinctum, quotidianâ Doctorum conversatione prudentissimum, omniumque disciplinarum gnarum evasisse. Unde liquidum, plus quàm hanc conversationem prodesse, & minori cum labore difficultateque esse conjunctam. Sanè qui sæpiùs apricatur, etiam non sentiens obfuscatur, ut habet adagium. Adhæc: conversatio illa

26 eruditorum resarcit, compensat & occultat inscitiam† Principis; hæcque lumine & purpurâ eruditionis aliorum coloratur: & sic Princeps opinionem scientiæ excitabit, & consequenter ex scientia aliorum auctoritatem sibi maximam conciliabit. *Comina. lib.* 1. Hinc *idem Boter*. Nullum certè magis indicium bonæ mentis Princeps ostendere potest, quàm ut adjungat sibi viros virtute & famâ celebres, iisque familiariter utatur. Nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii, cum quibus quotidiè versabi-

27 tur. Rectissimè! Quemadmodum enim Luna † à Solis lumine fulgorem habet: ita Principes existimationem virtutis à consue-

28 tudine eruditorum nanciscuntur. Ac quamvis melius *sit esse*, † quàm *videri*. *Joh. Gœddæus in præfat. de contrahend. stipul.* & pro-

29 pria scientia longè præstet: est tamen aliquid alienâ† sapientiâ & peritiâ sapere, prudenterque agere.

30 Ejusmodi conversatio literatorum Carolo M. † decus ac ornamentum summum tùm domi, tùm foris peperit. *Evinhard. in vit. Caroli.*

Henricum V. summoperè illustravit, cujus in comitatu assidui viri docti. *Hed. in Chron. German.*

Carolo IV. æternas laudes promeruit, quòd consuetudine

Docto-

Doctorum plurimùm fuerit delectatus. Imò frequentior inter literatos, quàm inter aulicos visus fertur. *Cass. in epit. Chro.* In scholam Pragensem, quàm recens fundarat, aliquando ingressus, cùm disputãtes liberalium artiũ magistros in horas quatuor audivisset, idq; purpurati molestè ferrent, ac tempus cœnæ adesse, & ferè effluxisse dicerent: Mihi, respondit, tempus est minimè. Nam cœna mea hæc est, suavior appositis delicatis ferculis. *Mutius in ejus vit. Æn. Sylv. in com. & Peucer. d. lib. 5.* Prudenter sanè, qui pabulum† animi cibo corporis prætulit, & illud hoc præstantius esse censuit. 31
Et talem cœnam veteres Platonicã† nominarunt, quæ sobria & elegantissimis præceptis condita erat, ex qua discedentes convivæ inposterũ benè se habere prædicabant, quòd nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentirent. Id n. quod in corpus confertur, statim effunditur: quod a. in animum, perpetuò cõservatur. *Camerar. cent. 3. hor. succisiv. c. 67.* Carolum eo studio æmulatus est Imp. Sigismundus, qui pauperũ filios doctos ad dextram, Nobiles indoctos & rudes ad lævam collocavit. Cumque id ægrè ferrent aulici Nobiles, & obmurmurarent: id audiens, dixit: cur nõ pluris illos facerem, quos doctrina puros, & aliis hominib. donis ingenii fecit superiores? *Sylv. de dict. & fact. Alphons.* Imitatus etiam est Ludovicus XII Rex Galliæ, qui inter subsellia Jasonis sedit. Itemque Franciscus I. qui Scholam Alciati invisit. 32

Nunc cingamur ad solutionẽ arg. contrariorũ, quib. Princeps à consortio humaniorum artium à Principio capitis eximebatur. *Respon. ad cõtraria.*

Primo loco dicebatur, quòd literati Principes fiant insolentiores, & contemptores consiliorum. Resp. Ab eo, quod inest per se, ad illud, quod inest per† accidens, non val. conf. Quare abusus† scientiarũ, aut perversa judicia, ipsas sciẽtias neutiquã dãnare debent. Eruditio sanè maximũ est in hac vita decus atq; ornamentũ: 33 cæterùm his, qui eâ abutuntur, perniciosa, ex voce *Naz. in sent. suis.* 34 *Solutiones argumentorũ part. neg.*

In secundo argumento asserebatur, quòd tales dicantur inepti ad civiles functiones. Sed hoc verum exaudio *cum Socrate apud Plat. in Theæteto* de iis, qui non in quovis† genere, sed Philosophiæ studio longo tempore, vel per omnem ætatem, sunt versati, talesque ridiculos esse affirmat, ubi ad forum venerint

 eoque

eóque otio diuturno ac ſumma in tranquillitate vixerint. Quemadmodum ergo famæ ſuæ non conſulunt ii, qui prorſus à literis
36 ſunt alieni: ita rei ſuæ & publicæ malè proſpiciunt, qui *totos*† ſeſe
conſecrant literis, interim rerum agendarum nullam ſuſcipientes
curam. Vitioſum ſemper, quod nimium. Peccavit hac in re Michael Imp. Conſtantinopolitanus, quando ita totum literis ſe dedit, ut gubernatio rerum penes alios eſſet, & turpiter Imperium dehoneſtaretur. *Joh. Zonar. tom.* 3. *annal.*

Tertiò affirmabatur, quòd Principes ſummâ eruditione in-
37 ſtructi improbi extiterint? Reſpondeo. At non ex vero uſu† artium, ſed ex pravitate & inclinatione ſuæ naturæ. Unde committitur fallacia accidentis. Sic enim *Gregor. Schönborn. lib.* 2. *Polit. c.* 32. Deteriores per doctrinam *ut plurimùm* fiunt homines *ad malitiam proclives.* Quemadmodum enim vina vaſis infuſa è taxo factis mortifera ſunt: ita ſalutaris alioquin eruditio, ſi inciderit in hominem peſtilentem, moribus illius redditur noxia. Illuſtro hanc reſponſionem exemplis partim è foro Theologico, partim è
38 Phyſico petitis. Theologicum hoc ſit: Evangelium † dicitur potentia ad ſalutem omni credenti. *Rom.* 1. *v.* 16. in impijs verò licet odor ſit ad mortem: nihilominus tamen vim ſalvandi retinet. Et idem Evangelium audiunt pij & impij, effecto tamen in diverſis ſubjectis negatis, res ipſa, quæ cauſa effecti eſt, negari non poteſt. Culpa enim hæret in ſubjecto, non in re agente: Nam illud ſic non eſt affectum, ut poſſit aut velit effectum illum capere. Phyſi-
39 ca cape hæc. Vini moderati † ſumpti vis eſt, conſervare naturam. At ſubjectum debet eſſe temperatum & benè affectum. Febricitantis, intemperie epatis laborantis naturam non conſervat, ſed deſtruit. Idem tamen vinum bibit, ſanus & febricitans. Sed ille
40 ad vitæ conſervationem: hic ad deſtructionem. Sic etiam *Sol*, †
pro natura & ratione diverſorum ſubjectorum diverſa efficit, exempli gratiâ, ceram diſſolvit, lutum verò conſolidat, quia ceræ eſt natura, ut calore molleſcat, luti autem, ut dureſcat, tamen quod ſui eſt muneris, utrumque calefacit. Hinc eſt canon in
41 Scholis Philoſophorum trito ſermone receptus: *Naturalis* † *cauſa uno & eodem modo ſemper & conſtanter agit: quamvis in diverſa*

materia

materia diversa etiam efficiat. Ita & artes,† etsi pro varietate subjectorum diversimoda efficiant & operentur: tamen *per se & suâ naturâ* mores redigunt in melius, excolunt & mitigant animum, juxta illud Poëtæ: 42

----- ----- didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Suffragio suo nos sublevat *Philippus Cominæus lib. 10. comment. de reb. gest. Ludov. XI. Regis Gallor.* dum scribit: Doctrina vel meliores reddit homines, vel deteriores, pro cujusque natura vel inclinatione: *Sed tamen verisimilius est, aliquem eâ fieri meliorem.* Nam quò quisq; magis quid se deceat, intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officij, & etiamsi non omninò sibi temperet à maleficio, tamen ne planè modum excedat, cavet.

In ultimo argumento est elenchus testimonij, quod fuit petitum à dicto† Licini, Imperatoris aliàs etiam non admodum laudati. Itemque Ludovici XI. Regis illiteratissimi, quod eâdem, quâ asseritur, facilitate rejicimus. Nec enim videndum est, quis dicat, sed quid. voluit is filium Carolum omnium bonarum artium rudem esse, ne esset in consilijs refractior & tenacior sui sensus: quod etiam assecutus est. Hunc enim jam Regem duo tresve homunculi triobolares huc illuc pro suo arbitrio circumegerunt cum non levi subditorum indignatione & damno. 43

CAPUT XXII.

AN FORMÆ DIGNITAS in Principe respicienda?

DElineavimus hactenus virtutes & bona animi in Principe necessaria, eaque principalia: minus principalia † sunt corpo- 1

Digitized by Google

ris: *forma* scilicet, *statura, constitutio & robur corporis*, quæ Principem virum ornant.

2 An verò *illa ipsa* † *respicienda sint*, præsertim in eligendo Re-
3 gem, quæritur? Varii † variarum gentium mores & consuetudines hîc nobis occurrunt.

Pro parte affirm. Romani ob formæ præstantiam Imperium suum ad Heliogabalum detulerunt: ob corporis robur ad Maximinum, Ducem militum tantâ corporis firmitate & robore, tantaque amplitudine, ut gigantum semine procreatus videretur. Corporis robur similiter spectabant Medi: pulchritudinem Indi: longitudinem & proceritatem Æthiopes: molem & obesitatem Gordii: pedem perniciem Lydi. *Herodot. lib. 3. Alex. ab Alexandro lib. 4. genial. dier. c. 23. Strabo lib. 16. & Diodor. Sicul. lib. 17.* ob senium Arabes regnum vetustissimo cuique commendabant; Scythæ ob bibacitatem, bibacissimo. *Aristot. in Polit.*

4 Sed & naturæ † instinctu id sequuntur apes, quæ Regem sibi deligunt insignis formæ, dissimilemq; cæteris, tùm magnitudine, tùm nitore, *Columell. lib. 19. c. 10. Plin. lib. 11. c. 16.*

Præstantiam formæ quid attinet, res non videtur carere
5 ratione. Augustam † siquidem Regis personam augusta: decet facies, totiusque corporis dignitas, juxta illud *Curty lib. 6.* in majestate corporis veneratio est. Itemque *Stobæi serm. 63.* Reverendum quid & admiratione dignum continere videtur pulchritudo.
6 Quare Alexander M. contemptui † est habitus à Regina Amazorum, quòd non perinde pulcher, quàm rerum gestarum fama esset celebris, quâ percita ad ipsum venerat. *Christoph. Warsevic. in lib. de legat. & Alberic. Gentil. in libro de legato & legatione.* Agesilaus item, qui Magnus cognominabatur, apud Ægyptios, minori fuit in veneratione, quòd staturæ esset brevioris. *Plutarch.* Sed & Lacedæmonienses Archidamum Regem pecuniâ mulctarunt, quòd pusillam uxorem duxerit, ac proinde non βασιλέας, Reges, sed βασιλίδια regulos esset procreaturos. *Plutarch. de education. pueror.*

7 Præterea speciem & formam corporis simulacrum † mentis,

tis, figurarumque probitatis dixit *Divus Ambrosius lib. 2. de virginibus. & Alex consil. 209.* in pulchro corpore pulchram habitare animam asserit. Sic *Galen lib. 2. de tempora. c. 6.* docet, naturam conformare membra, ut moribus animæ competant, cujus rei exemplum affert in Simia. Non tantùm de animo, verùm etiam de nobilitate† cujusque ex forma conjecturam rectè capere posse 8
videmur, quod de seipso fatetur Paris *apud Ovidium in ep. ad Helenam:*

Forma vigorq; animi, quàvis de plebe videbar,
Indicium tectæ nobilitatis erant.

Et Milo *apud Apulei lib. 1. de As. aur.* de corporis ipsius Apulei speciosâ habitudine, deque virginali ejusdem verecundiâ generosâ illum stirpe præditum conjecit, ut refert *Schönborner. lib. 2. cap. 26.*

Verùm hanc conjecturam non utrobique capere licet, & *Pro neg.*
signa ista fallere possunt, & solent. Potest enim ex deformi† humi- 9
lique corpusculo formosus animus ac magnus exire: & ut sub sordida veste aliquando magna sapientia: ita sub illiberali specie corporis magna vis mentis lucet. *Cas. lib. 3 sphær. civit. c. 11.* Contrà in eburneo corpore plumbeus quandoque est animus. *Osiand. super Daniel. c. 1.* nec enim in fronte, sed mente formosæ virtutes sedent. *Casus d. c. 11.* non ergo deformitate corporis † fœdatur 10
animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Seneca epist. 97.* & ut monet *Euripides:*

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, cùm quis mentē non bonā habet, &c.

Hinc scitè *Demosthenes:* quando simul cum Æschine & Philocrate ad Philippum Regem Maced. legatus esset, & illi Philippum egregiè laudarent, quòd multum dicendi artificio valeret, quòd formâ & specie decorus esset, & quòd festivus cōvivator, plurimum vini sanè jucundè biberet: Prima, inquit Demosthenes, laus Sophistarum: secunda mulierum: tertia in spongiam quadrat

Regis

Regis verò nulla in eis est commendatio. *Plutarch. in vita Demosthenis.*

11 Sed exemplis † res venit illustranda. Pulchro ac procero corpore Saul fuit præditus: at perverso animo. 1. *Sam.* 9.

Absolone quid formosius? acta tamen ejus adversus patrem planè deformia erant.

Nero similiter forma excelluit: perversitate animi & tyrannide omnes superavit.

Heliogabalus erat adolescens formosissimus, qui corporis formâ & ætatis flore Romanos milites in se convertit: Imperator verò factus, monstrum generis humani sese exhibuit.

Commodus quoque omnium suæ ætatis erat pulcherrimus, & tamen scelestissimus. Contrà verò Socrates Apollinis oraculo sapientissimus proclamatus; formæ tamen fuit turpissimæ. Quod quidam videns, exclamavit: ô excellens anima, quàm deforme nacta es hospitium!

Agesilaus Spartanorum Rex pusillus fuit, formâ parum probatâ; amabiliorem verò sese ad senectutem usque omnibus formosis præbuit. *Plut. in ejus vit.* Verum ille fecit suo exemplo quod dicitur, parvo in corpore magnam sæpenumero virtutem latere. Æsopus quoque formæ fuisse turpis, ingenii verò magni. Et non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Lacedæmonii olim statuerant, ut claudus in regnum non admitteretur: tandem hoc verum esse senserunt, quòd melliùs sit Regem, quàm regnum oculo carere: quòd præstet Regem, quàm regnum claudicare.

12 Optimum quidem, si Principes sint † εὐσχήμονες καὶ σοφοὶ, hoc est, si sint mentes sanæ in corporibus sanis: Si tamen hìc uno carendum, malo caput minus † ornatum, modò habeat cerebrum, quàm caput variè pictum & fictum, cerebro carens. Nec enim capilli crispi, oculi flavi, dentes candidi sapientiam statim conciliant, & sæpè etiam in sordido tuguriolo latitat DEA, ut sunt verba *Sagittarij lib. 2. de convers. civil. fol. 59.*

Ampliùs: Samuel Propheta ex DEI jussu in Bethleem venerat, ut Jesse filium ungeret, Regemque crearet: atque illum è filiis

filiis procerum pulchrumque Regem futurum putabat, Consultus DEUS respondit: Ego non corporis pulchritudinem ac speciem, apicem facio esse regium, sed animi sine controversia virtutem.

Ille siquidem perfectè † pulcher est, qui pietate & justitiâ simul,& fortitudine,nec non & obedientiâ animi splendidus est. Sed è multis Jesse filiis Davidem, qui oves custodiebat,Regem fecit. *Brusonius lib.*3. Sic etiam Alexander Severus Imp. Rom. non multum auri ad insignia apparatumque regium, neque etiam serici deputabat,dicens: Imperium in virtute esse, non in decore. Quodque in Principe non tàm forma, quàm animi fortitudo & prudentia sit spectanda, fabula † Æsopica de avibus nos edocet. Cùm aliquando gens avium liberè vagaretur, optabat sibi dari Regem. Pavo se imprimis dignum, qui eligeretur, putabat, quia esset formosissimus. Quo in Regem accepto,pica: ô Rex, inquit, si te imperante, Aquila nos perstrenuè, ut solet,insequi cœperit, quo illam modo abiges? quo nos pacto servabis? 14 15

Quamvis itaque optanda † & magnifacienda in Principe formæ elegantia,& justa statura,quia decus quoddam habent, & cum decore conjunctam gravitatem: tamen si desint, non magnopere † sunt requirenda: non enim idcirco indignus sceptro & imperio erit judicandus,modò fortitudine † animi, & virtutum radiis refulgeat: nec membris præcipuis sit mutilatus, ut si cœcus aut surdus. Sed verbis non opus,cùm *Cicero lib.* 1. *offic.* hanc quæstionem solvat,quando duas † species pulchritudinis constituit,virilem & muliebrem: & hanc in venustate,illam, quam nos requirimus, in dignitate ponit. Sic & *Aristot.* respondet,pulchritudinem animi in *εὐταξίᾳ καὶ μεγέθει* consistere. Sanè quanto animus † corpore præstabilior: tantò illius pulchritudo divinior & amabilior,quàm hujus. *Kirchner. lib.* 1. *de legat. cap.* 4. *num.* 10. 16 *Determinatio.* 17 18 19 20

I CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

AN VENATIO SIT *exercitium Principe dignum?*

LUbet hic excutere quæstionem illam in Scholis Politicorum
frequenti sermone agitatam: *An Principis personam deceat stu-*
1 *dio† venationis sese implicare, ac feras insectari?* pro parte negante
videtur facere.

Argu. pro parte neg.

2 1. Quòd Augustinus nequissimam eam artem appellet,
in c. qui venatorib. dist. 86.
2. Quòd penitùs non inveniatur in sacra Scriptura san-
3 ctus venator. *c. Esau. dist. ead.*
4 3. Quòd Princeps sic assuefiat ad † sævitiam & tyranni-
dem, & animi quandam induat bestialitatem. Periculum enim est,
ne Princeps ferarum morte quotidianâ in homines quoque sævi-
re incipiat, sicut de Diocletiano refertur, quòd à muscarum trans-
fixione tyrannidem sit auspicatus. Ergo multo magis transfixione
ferarum id contingere potest.
5 4. Sunt etiam pericula † & incommoda venationum
haud exigua, cujus rei exemplum est in Adriano, venationis supra
quàm studioso. Nam, ut *Dion* scribit, venandi studio usque ad insa-
niam & periculum tenebatur: Inter venandum diffracto hume-
ro, & crus penè contrivit. *Cuspin. in ejus vit. & idem in vita Maxi-
miliani I. Imp.* criminantur plerique, inquit, quòd nimium vena-
tionibus indulserit, quodque eas ita exercuerit, ut sæpè periculosis-
simis objectus periculis, dum in altissimis rupibus capreas sectare-
tur, de ejus vita dubitatum sit pariter, quòd aucupiis plurimum
oblectatus sit, multa prodegerit nutriendis canibus & falconibus,
multa venatoribus sit largitus. *His subjicit:* Sed hi non animadver-
6 tunt, Regum† hæc esse & Principum exercitia, quibus non in pla-
teis aut vicis obambulare (ut populares solent, qui sibi hinc ex-

meritò

motu famem asciscunt) licet, sed potiùs cervos, hinnulos, damas, ursos, apros sectari, ut corpora hinc reddantur vegetiora, audaciora, & ad pericula quæque subeunda paratiora.

Pro hac itaque parte affirmante sequentes rationes & utilitates pro venationis studio ponimus. *Pro parte affirm.*

Primò namque est corporis † exercitium ad bonam valetudinem comparandam conducens. Exercitatio † enim roborat corpus, exercitat & auget calorem insitum, spiritus sensusque vegetiores & acriores reddidit, superflua discutit, & per meatus evacuat. *Matth. Dresser. in libell. de partib. humani corporis fol.* 119. Sic etiam Carolus Magnus putavit, laborem corporis ad sanitatem servandam vehementer conferri: ideoque venationibus, Gallorum more, frequenter studebat, ut non nives, non montes, f . æque eum etiam senescentem revocarent. *Acciolus Donatus in ejus vit.* Contrà nimium † otium sanitati & vitæ plurimum officit, quia nimiâ quiete torpescunt membra. Ut enim aqua putrescit absque motu: sic quoque corpus corrumpitur, nisi exerceatur. 7 8 9

2. Otium † facit, ut nihil agendo homines malè agere discant. Quò fit, ut otium vulgò pulvinar Satanæ dicatur. Laudatur sanè *ab Homero* Andromacha, Hectoris uxor, quòd equis pabulum præbere non fuerit dedignata, ut hac ratione otii & peccati occasionem effugeret: quantò magis illustribus personis ea ipsa de causa conveniet exercitium venandi? 10

Tertia ejus utilitas in voluptate † & recreatione est posita. Hanc quotus quisque Principi pro exantlatis Reipub. laboribus & cujus invidebit? venatio, inquit Albertus Imp. exercitatio virilis, saltatio muliebris: seque voluptate quâvis aliâ carere posse, venatione non posse *Æn. Sylv. lib. 4. com. c.* 29. Sic præclari Impp. & Reges à gravioribus curis animum remissuri, ad venationem perrexêre, ceu de Marco Antonio id refert *Jul. Capitolinus in ejus vit.* de Alexandro Severo *Lampridius*: de Alexandro Magno *Plutarchus*. 11

Quartò, ad bellum † præcipuè instituit. unde *Xenephon. in lib. de venat.* eam vocat belli præludium: Et *lib. 1. Cyropædias*, tradit 12

Digitized by Google

dit pueros Persicos publicè operam dedisse venationi, & Regem quemadmodum in bello se Ducem eis præstitisse, quòd hæc verissima videretur meditatio rerum bellicarum. Sed & *Aristoteli lib. 1. Polit. c. 5.* venatio pars est artis bellicæ, quâ contra belluas utendum est. In venatione siquidem equitare & currere, atroces feras excipere, æstum frigusque perferre, sæpè famem pati necesse est: unde bellica ingenia in ea se maximè præexercent. *Philo lib. 1. de vita Moysis*: Hac de causa rectè *Machiavel. in princ. c. 14. fol. 79.* ut probè, inquit, Princeps sit ordinatus & exercitatus, venandi studiis ipse incumbat: ut corpus laboribus assuefaciat, & locorum naturam addiscat: tum quomodo assurgant montes: vallium item ora quo pacto aditum admittant: diffusi campi ut pandantur: fluminum prætereà naturam, & paludum intelligat, atque in hoc summam judicet adhibendam curam. Quæ cognitio duplicem affert utilitatem, tùm quòd explorata sibi pateat tota ejus ditionis regio, ac meliorem notitiam præbeat: quâ parte illa defendi possit: tùm ex illius judicio, & locorum usu, facilè situm alium quempiam recenter speculandum sibi propositum, animo complecti potest. *Paulò post*: Princeps autem qui hac careat, præcipuâ denudatur, quâ parte belli Dux instructus esse debet.

Limitatio quæstionis.

13 Cæterum, venatio tum erit licita & digna Principe, si sit † moderata, non nimia & immodica, quæ in consuetudinem seu artificium convertatur, & interim res imperii negligantur.

Facit huc doctrina *Hippolyti à Collibus. de principe c. 27. dicentis*: venatio approbanda, si cum moderatione fiat, ut interim & Princeps nihil eorum negligat, quæ ad administrandam Rempublicam, & imperii commoda pertinent, & subditi non opprimantur: alioquin non contemptus tantùm, sed odium expectandum. De Barnaba, vicecomite scribunt, eum tanto venationis studio detentum, ut lege promulgatâ, inquiri comprehendique eos aliquando jusserit, qui quinquennio ante contra vetus edictum apros occidissent, aut ex his, vel in aliena mensa comedissent. Diviserat hic per pagos venationib. opportunis multa millia canum venaticorum, cum gravissimo incolarum sumptu alenda curandaque,

daque, quo facto, inexpiabile populi odium in se concitavit. Caveat igitur Princeps, in nemorum latebris totos menses commorari, & suos interim, vel sine administrationis pabulo relinquere, vel aliis deglubendos committere. Idem inculcat *Andr. Tiraquell. de nobilit. cap. 37. nu.* 149. & Principi cavendum † dicit, ne vicinorum & subditorum agri miserè devastentur. Adde, quòd nimius † labor fatigat & exsiccat corpus, nativum humorem absumit, & brevioris vitæ est causa ex doctrina Physicorum. Quare Arist. tradit, è Laconicis † canibus non totidem annis marem vivere, quot fœminam, propter assiduos venationum labores. 14 15 16

Itaque hæc disputatio definienda est regulâ, quam tradit *Augustinus in c. quisquis. dist. 41.* In omnibus † rebus istiusmodi, non ex earum rerum naturâ, quibus utimur, sed ex causa utendi & modo (id est, temperamento: nam immodica in vitio hærent) vel probandum est, vel improbandum quod facimus. *Wesenbec. in parat. de acquir. rer. dom. n* 7. unde *Poëta*: 17

Omnibus in rebus modus est tutißima virtus.

Huc tendit mens ac sententia *Panormit.* & aliorum *in c. 1. de cler. venat* dicentium: Abusum † venationis non usum in turpibus esse habendum. Usum † autem definiunt, quatenus servit necessitati (victus scilicet) & valetudini: abusum † in eo, si quis ita se dedat venationibus, ut necessaria vocationis negotia omittat. *text. in c. an putatis. distinct. 86. & in l. venatorib. 7. C. de excus. mun. lib. 11.* 18 19

Et hâc sententiâ stante, non erit metus † tyrannidis, non exspectanda pericula & alia incommoda, quæ priora argumenta contra usum venationum invehebant. 20 *Resp. ad arg. sententiæ prioris.*

Quod verò ex Augustino dicebatur, venationem artem esse nequissimam: id non de venatione saltuosa † & clamorosa, quam vocant Jurisconsulti, sed de arenaria est accipiendum: quæ scilicet histrionico more à conductis hominibus, in publicis spectaculis depugnando cum bestiis exercetur. *Wesenbec. dict. loc.* 21

Cæterum, clericis † venatio minimè competit, sed 22

Clericis venatio interdicta. potius interdicta est in jure Canonico, sub pœna excommunicationis, vel suspensionis ab officio. Nam Episcopus contra prohibitionem venarionibus indulgens, tribus mensibus à communione, Presbyter duobus, Diaconus ab officio suspenditur. *c. 1. dist. 34. c. 1 & 2. de cler. venat. c. 1. ne cler. vel. monach. secul. negot. se immisc. Clement. 1. §. porrò à venationibus. Covarruv. in c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. relect. § 8. tom 1. num. 27. Harpprecht ad § feræ. Inst. de rer. divis. num.* 79. qui *num.* 80. docet, clericos, si saltus proprios, aut ferarum vivaria ipsi habeant, per laicos licite venari, *per d. §. porrò, ibiq. gloss. & Canonistas communiter, de stat. monach.* Hinc atro carbone notatur Dietherus Archiepiscopus Moguntinus *apud Brusch. in Episc. German.* quod venationibus potiùs, quàm sacris indulserit, *& Stumpffius lib. 5, c. 37.* hæc refert: Hugo Episcopus Constant. venationi deditus, venationem per rura semel instituens, & segetes proculcans, fulmine percussus, octo ex comitatu suo & equum amisit.

CAPUT XXIV.

AN PRINCEPS SATELLITIO debeat esse stipatus?

1 *Opin. neg.* VOx est Agasiclis † Lacedæmoniorum Regis: posse Principem sine satellitibus imperare, si ita popularibus imperet, ut liberis genitores. *Plut. in apophteg. Lacon.* Magnum † siquidem satelli-
2
3 tium amor, *Lud. Vives satell.* 65. Sic Aristides † cognomento justus, semper suo unius præsidio fretus, Rempublicam administravit: à sodalitatibus & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad injuriam aliis inferendam adderent animum. *Plut.* Contrà verò Plato vi-
4 dens Dionysium † tyrannum corporis sui custodibus septum, quid tantum, inquit, malum fecisti, ut à multis ita custodiaris? De L.
5 Tarquinio † Superbo refert *Livius decad. 1. lib. 1.* quòd conscius malè

malè quærendi regni ab seipso adversus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepserit, neque enim, ait, ad jus regni quicquam præter vim habebat: ut neque populi jussu, neque auctoribus patribus regnaret. Eò accedebat, ut in charitate civium nihil spei reponenti, metu regnum tutandum esset.

Ad hunc modum *Nicolaus Machiavellus in lib. de princ. c.17.* auctor est Principi, qui per† vim imperium occupavit, ut, si amore 6
non possit, metu & severitate subditos sub obedientiam cogat; contrà quem disputat *Antimachiavell. lib. 3. theorem. 8. & 9.* certè tyrannus† aliter imperium confirmare nequit, quàm ut custo- 7
diam sibi adjungat, vel ut arcibus & præsidiis muniatur *Clapmar. de arcan. Reipub. lib. 3. c. 14. Cas. lib. 3. c. 9.* Errat enim, si quis existimet, tutum ibi esse Regem, ubi nihil à Rege tutum est. Securitate mutuâ pascenda est. *Sen. 1. de clem. c. 19.*

Quare Romulus† trecentos armatos ad custodiam corpo- 8
ris, quos celeres appellavit, non in bello solùm, sed etiam in pace habuit. *Liv. lib. 1.* Et Augustus† nec victo ad Actium Antonio, præ- 9
torianos milites à se dimisit. Nec potuisset Cosmus† Medices oc- 10
ciso Alexandro, Florentinorum tyrannidem sibi retinere, nisi arcibus & præsidiis conatus adversariorum retudisset. *Arnisæ. in doctrin. Polit. fol. 475.*

Rectè igitur *Just. Lips. lib. 4. Polit. c. 7.* pro parte affirmante asserit, præsidium† ejusmodi à Principe utiliter contra vim ex- *Affirm.* 11
ternam & audaciam multorum, ad se tuendum & regnum adhiberi. Applaudit *Cas. lib. 3. Sphær. civit. c. 11.* his verbis: Regnum est quasi turris quædam excelsa, in qua opes infinitæ reclusæ jacent, ad hanc expugnandam certatim ambitiosi & seditiosi veniunt: hujus custodiam omni arte, fraude, maliciaque tentant. Satellitium itaque σωματοφυλάκων remedium præstat contra periculum proditionum ambitiosorum. Nam imperanti etiam à proximis & consanguineis cavendum esse, docent exempla quotidiana. Siquidem nec cognatorum communia studia non valdè firma sunt repagula. Quod si enim, ut tyrannorum fuit, si jus violandum est, regnandi causâ violandum: neque ulla est amicitia tam arcta nulla familiaritas tam sancta, quam animus regnandi cu-

pidus, non contemnat & violet, & abutatur amicitiâ & gratiâ invitam & imperium etiam amici. Et mutantur hominum voluntates & amici. Ita Abſolon, qui ſæpè pro patre pugnavit, eundem poſteà oppugnavit. Et populus Chriſtum modò Regem voluit creare, quem poſteà crucifigendum clamavit. *P. Greg. Tholozan. lib. 22. de Repub. c. 11. Althuſ. in Polit. c. 31.*

12 Adde, quòd Principes viri ampliorem † comitatum rectè adhibent non tantùm ſecuritatis, ſed etiam ſplendoris & magnificentiæ causâ.

13 Sed & inter apum † examina circa Regem ſatellites quidam lictoresque cuſtodes ſunt auctoritatis. *Plin. lib. 11. c. 17.* Quid

14 ni igitur Princeps † corporis ſui cuſtodes adhibebit, qui & interdiu latus ejus claudant, & noctu excubias pro eo agant. Non enim ſufficit, inquit *Keckerman. in curſ. Philoſoph. fol.* 708. ad ſecurita-

15 tem † præſtandam ſubditos virtute & beneficiis devinctos habere, ſed requiritur inſuper, cuſtodibus ac ſatellitibus fidelibus eſſe munitum. Boni quidem beneficiis ac virtute Principum continentur in officio: mali vi coercendi, & pœnarum metu à ſceleribus

16 abſterrendi. Et laudandum † potiùs, quàm ad imitationem proponendum judico ſapientiſſimi Principis Wurtenbergenſis Everhardi elogium, quo cùm alter de vini copia, alter de vi maxima argenti gloriaretur, ipſe ſe beatum prædicabat, *quòd tutus in gremio cujusvis ſubditorum ſuorum dormire poſſet. Dreſſer. part. 2. Mellen.* 6. Magna ſanè felicitas, ſi ſemper æquè tuta. *Sic ille.*

17 Eſt autem luxus † vitandus & inutilis apparatus miniſtrorum: ideoque numerus certus, & certus ordo in hiſce miniſtris conſtituendis ac habendus eſt, *argum. 1. Reg. c. 4. & c. 10. Althuſ. dict. l.*

Vitandus inutilis apparatus miniſtrorum.

CAPUT

CAPUT XXV.

AN A PRINCIPE DELAtores & auscultatores constituendi?

VUlgari sermone *multæ Regum aures* † *atq; oculi* esse dicuntur: 1 quod genus hominum Græci vocant ὠτακουστὰς atque κατασκόπους. Allegoria verò illa inde ducta est, quod Regibus complures ubique sunt exploratores, quibus velut auribus atque oculis utuntur. Neque desunt manus & pedes quamplurimi, fortassis ne ventres quidem, vide cujusmodi portentum sit tyrannus, & quàm formidandum tot oculis, iisque emissitiis, tot auribus, iisque tam asininis, ac longis tot manibus, tot pedibus, tot ventribus, ne reliqua parum honesta commemorem, instructum. *Erasm. Roterodam. chil. 1. cent. 2. adag. 2.*

Per delatores, † exploratores & emissarios ejusmodi (intelligentiarios Midæque aures novo vocabulo indigitat *Job. Casus lib. 5. sphær. civ. cap. 11.*) Principes exquirunt omnia solicitè, quid quisquis subditorum & sentiat, & faciat & loquatur. Atque ut quis districtior est accusator, apud eos velut sacrosanctus est. *Tacit. 4. annal.* 2

Hoc verò solent † tyranni, ut emittatur:

3 *Arg. contra delatores.*

Turba gravis paci placidæq; inimica quieti.

Martial. lib. 1. Epigram. Sic enim *Aristot. lib. 5. Polit. c. 11.* inter causas conservandæ tyrannidis hanc unam tradit, ut sint istiusmodi auscultatores, qui dicta factaque civium notent, suisque tyrannis referant & declarent. At siccine, inquit *Casus d. cap. 11.* vivis † Hiero, ut metuas sermones & rumores civium: si rectè agas, 4 non est cur timeas, si malè, justum sanè non est speculatores tuos in angulis civitatis collocare: Imò Persicum, Barbarum & Tyrannicum est, passim & ubique subauscultatores & otacustas constituere,

Digitized by Google

tuere, qui omnibus rebus & agendis & dicendis aures admoveant, qui in omnem cœtum ac congressum hominum callide se insinuent, qui vitæ & fortunis civium malitiose insidientur, quis tutus, si in Republ. nebulones vivant? quis liber, si tales scorpiones magistratus alant? pessima pars servitutis est subesse servis: at tales carnifices in domo, in mensa, in sinu alere, est jugum servitutis intolerabile Et sic delatorum opera ac institutio contra libertatem naturæ est, contra dignitatem civitatis, & contra legem charitatis.

5 Adhæc: Principem reddit subditis † odiosum, & servilem metum in animis subditorum parit, adeoque sæpe flammas seditionis excitat.

6 Quin melius est, in Repub. apertos † habere hostes, quam dissimulatores blandos, qui sub esca hamum & virus gerunt; quique inter cives, ut cancri inter rosas, lupi inter oves manent. *Cas.*
7 *d. l.* Nec immerito *Demosth. contra Aristogit.* usque ad radices † penitus hoc genus hominum calumniatorum, veluti hostium naturâ, & genere bonorum, ex Repub. exstirpandum esse scribit. Elogium, quod ipsis tribuit *Cornel Tacit. lib. 4. Annal.* est in hunc mo-
8 dum: Delatores hominum † genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, quia scilicet plerunque eo sunt ingenio præditi, ut tanquam malitiosi homines gratiam Principum, & lucrum suum aucupentur ex calumniis & delationibus innocentum hominum. Nec enim ad hunc usque diem compertum est, ullum delatorem fuisse fidelem. *Cerielan. in lib. de consiliar. c. 2.*

9 Rectè ergò Romani † Impp. hoc infame & pernitiosum hominum genus gravissimis pœnis subjecerunt. Tiberius, qui multo favore anteà eos fuerat cõplexus, omnes, qui inter delatores præcipui erant, unâ die occidi jussit. Vespasianus & Titus adeò delatores, veluti publico exitio destinatos, insectati fuerunt, ut flagellis cæsos per amphiteatri arenam spectandos trucidarent. Aurelianus quadruplatores ac delatores, ingenti simul severitate prosecutus est. *Vopisc. in ejus vit.* Trajanus omnes in navibus, maris & scopulorum periculo objectos sine remis & velis, naufragio exposuit.

posuit, prout testantur *Dio Caff. Xiphilin. Vopisc. & Plin. in panegyr.* De Pertinace & Macrino refert *Herodianus*, quòd ipsi delatores urbe exegerint, & ubiubi invenirentur, puniri imperaverint: caventes, ne cui injuria fieret, aut de vanis criminibus periculum crearetur. Econtrà Constantinus † Imperator taxatur, quòd delatores omni tempore admiserit. *Ammian. Marcellin.* De eodem accusatur Domitianus à *Suet. in ejus vit.* 10

Pro delatoribus.

Pro delatoribus tamen nonnulli hæc in medium adferunt.

1. Quod lege † Papiâ ipsis certa præmia erant constituta, 11
nempè dimidium mulctæ. Nero † tamen (qui & ipse Corycæorum hujusmodi operâ utebatur) eadem præmia ad quartas revo- 12
cavit: unde quadruplatores dicti, quòd quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequerentur. *Sueton. in ejus vit. c.* 10. *Alexand. ab Alexandr. lib.* 4. *genial. dier. cap.* 22. *fol.* 256. Et Tiberius † tanti fecit exploratores, ut cùm Senatus ali- 13
quando de abrogandis præmiis eorum agendum putaret, prohiberet id Tiberius, & diceret, jura subverti, si custodes legum amoverentur. *Sueton.*

Pro hac sententia *Keckerm. lib.* 1. *System. Polit. c.* 7. allegat ex sacris dictum *Eccl. c.* 10. *v.* 20. Ne quidem in conscientia † tua 14
Regi maledicito: Nam & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annunciabunt sententiam. Ubi per *aves* nonnullos doctos interpretes, intelligere exploratores refert. & sic 2. *Sam.* 18. dici: nullam rem posse à Rege celari: nempè operâ exploratorum.

Quinimò *Plato* 3. *de legib.* in Rep. sua † exploratores omninò 15
esse jubet.

Alii institutum exploratorum ad amoliendas † insidiarũ & 16
seditionum suspiciones plurimũ valere scribunt. *Just. Lips. l.* 4 *Pol. c.* 10. Idem est judiciũ & consilium *Althus. in Polit. c.* 31. *fol.* 452. *edit. prior.* ut scil. magistratus summus singulorum linguas & manus observare, & singulis malis remedia quærere debeat, atque observare per suos, quid quisque loquatur & agat, quis insidiarum seditionumve suspectus, & qua de causa, ne sint intrà mœnia & in sinu urbis hostes, quò pertinet censura

 Con-

17 Contra rebelles † subditos bonum Principem arcanis tyrannidis utiliter uti solere, docet *Arnisa. lib. 1. de Repub. c. 3. 5. 8.*
18 *num. 94.* Et sic usus veneni † quandoque inter salutares medicinas admittitur. Ut ergò ex viperinis carnibus mythridaticum: ita ex serpentinis auscultatoribus aliquando utile subsidium in civi-
19 tate nascitur. *Casus d. cap. 11.* Ubi adhibet distinctionem † temporum, in quibus istæ hyenæ à suis latibulis & antris prodire debeant: quando scilicet intestinæ seditionis est vehemens suspicio, vel quando ab externo hoste facta est invasio. Sic etiam incipienti seditioni inservire delatores & exploratores scribit *Althus. c. 26. fol. 348.* qui incogniti, se cœtibus hominum clam immisceant, & collecta, dicta, facta, aut intellecta magistratui referant, ubi & Chusai amicus Davidis fecit. *2. Sam. 16. & 17.*

Determinatio.

Idem vult determinatio Keckermanniana *fol. 170.* nimi-
20 rum distinguendum esse 1. inter † Reip. status, ut etiam inter naturas subditorum, & pro ratione circumstantiarum exploratoribus magis vel minùs utendum.

2. Quòd ista cautio sit observanda, ut Princeps quidem
21 audiat † omnes non tamen auscultet, & omnibus fidem adhibeat. *Et in curs. Philosoph. fol. 410.* tradit, ut Princeps delatores moneat,
22 ut vera † loquantur, & increpet admodum, ne ficta commisceantur: Princeps enim qui delatores varios non coërcet, ultrò eos ad nequitias impellit, ut Domitianus Cæsar dicere est solitus, qui etiam fiscales calumnias magnâ calumniantium pœnâ retaliabat. *Antimach. lib. 1. theor. 2.* Quam ipsam cautelam, ut scilicet Princeps omnibus, quæ à talibus dicuntur, aurem præbeat, non etiam fidem, tradit & *Lips. d. c. 10.* ex eo, quòd multi spe aut odio vana
23 deferant. Tyrannicum † siquidem est, temerè cujuscunque delationi fidem habere, sicut de Tiberio tradit *Suetonius in ejus vit. c. 61.* Nemini delatorum fides abrogata; Per Deum, inquit *Ammian. lib. 18.* quis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?
24 Tenendum ergo monitum Mecœnatis † ad Augustum, quòd oporteat acriter exploratores examinare, sicut *Dion* de Mecœnate *lib. 52.* in hæc verba refert: Quandoquidem ob multas

causas habere te oportet auscultatores ac exploratores, quorum operâ omnes tui Imperii res cognoscas, ne quid cautione aut emendatione indigens, te fallere possit: memento non omnia statim, quæ ab his referuntur, credenda: sed diligentem considerationem adhibendam esse. Permulti enim eorum, vel odio aliorum, vel eorum bona sibi petentes, vel in gratiam quorundam, vel irati ob postulatam aliquibus, ac non acceptam pecuniam falso crimine suspicionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicujus facti, vel dicti improbi eos onerant. Ideò enim facilè iis animus est advertendus, sed omnia accuratè indaganda. Quod si enim tardiùs fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno: festinando autem fieri potest, ut peccatum aliquod irreparabile admittas. *Hactenus Dio.*

Juxta hæc præcepta Pius† Antoninus delatores, si non probarent, capitali pœnâ afficiebat, si probarent, ob lato præmio dimittebat infames. Ita & Imp. Constantinus † præcipit, ut 25
si quis detulerit, & non obtinuerit, puniendus sit. *in l. 5. Cod. de delator.* 26

Tertia cautio Keckermanniana est, ut videat Princeps, quâ de† causâ aliquis deferatur, & si tantùm propter verba, vel per ludibrium, vel per iram, vel per ebrietatem inter pocula in ipsum jacta fiat delatio, spernat eam Princeps. Nam si linguas† hominum interdicto alligaverit Princeps, eò intemperantiùs loquentur, ut egregiè loquitur *Antimachiavell. lib. 1. theorem. 2.* 27 28

DE CONSILIARIIS ET CONSILIIS.

CAPUT XXVI.

AN PRINCEPS CONSILIARIIS DEBEAT ESSE STIPATUS?

A Principe ordo nos ducit ad Officiarios eminentiores, adjutores & paraſtatas ejus, Conſiliarios ſcilicet, quosque ſibi patres delegit, ut loquitur Imp. *in* § 4. *Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolvat.*

1 Conſiliarios † vocat *Juſtus Lipſius lib. 3. Polit. c. 4. à pr.* eos, qui fidi, rerum hominumque periti, ſalutaria ſuggerunt Principi, pace ſive bello.

Conſiliarij qui.

2 Conſilium † verò *Joh. Bodin. lib. 3. de Rep. c. 1. à pr. Hippolyt. à Collib. de de conſil. fol* 217. *& Fur. Ceriolan. de concil. & conſil. c. 1.* (cui conſilium vel concilium dicere perinde eſt.) definiunt ſelectorum virorum legitimam congregationem ſive cœtum, qui Principi ſuo, quomodo Reſpubl. bello ſeu pacis tempore adminiſtranda ſit, conſulunt. Unde etiam dictum videtur, quod ſcilicet in unam ſententiam plurium mentes conſiliant & conveniant, *Feſtus*.

Conſilium

3 A Conſiliario differt ſenator. † Hic enim propriè indigitatur, qui in comitiis, ſive ſolennibus conſultationibus, & generali con-

Senator.

conventu omnium in Regno ordinum, de rebus ambiguis consilium dat. *Laur. Criminal. in tract. de senatore.* Est quidem in mixto statu ejusmodi senatores simul etiam tanquàm pars Magistratus publici, potestatem de Republ. statuendi habent. *Arnis. lib. 1. doct. Polit. c. 15. fol. 348.*

De usu & opera † *Consiliariorum* quæritur: *An eâ Princeps uti, vel potiùs carere debeat, vel possit.* Reperiuntur † sanè, qui hoc affirmare ausint, in quorum Repub familiam ducit *Nic. Machiavell. in tract. de princ. c. 23* Ubi hæc ponit theoremata: 1. Bonum † consilium ex ipsius Principis mente ac prudentia nasci debet, non contrà. Quandoque aliàs sæpissimè Principi suspecta suorum æquè ac exterorum fides. *Bod. lib. 3. de Repub. c. 1.* 4 5 6 *Cōtra usū consiliar.*

2. Princeps qui per se † non sapit ei consilia non facilè dari possunt. 7

Verùm Machiavellus intelligendo facit, ut nihil intelligat: Ejusque theorema primum (de secundo inferius dicetur) ut ait *Antimach. l. 1. theor. 1.* non modò falsum est, sed & perniciosum. Nihil † quidem, ut idem docet, optabilius populo Rei publicæve accidere potest, quàm si Principem habeat, qui suopte ingenio sapiat, nec alterius consilii egens suis humeris molem Reip. ferat. Sed ubi hominum ille † Atlas, qui sine Hercule hanc sustinere columnam queat: Et ubi mens tantæ molis capax? Quo pacto, inquit *Osorius lib. 6. de Regis Instit.* uno tantùm ingenio cuncta, quæ sunt Regibus excogitanda, provideri, aut unius oculis omnia, quæ sunt in Republica diligenter speculanda, cerni, aut unius auribus omnia postulata & querelæ audiri, aut unius manibus effici, & ad exitum destinatū perduci possunt? Nemo omnium, qui omnia unus audiat, unus videat. *Xenophon.* Quæ † igitur erit dementia, ut utar verbis *Thom. Sagit. de convers. civil. disp. 2. fol. 199.* affirmare, Principes in tam variis negotiis ad omnia satis posse esse perspicaces, ita quidem, ut nullibi errent, aut labantur? Deum mihi si dederis, crediderim, si hominem, nunquam. Fingi quidem potest, & nescio qua in Platonica Republica introduci vir πανάρετος, Hesiodeus, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ. Quare rectè † monet *Menand. apud Camerar. cent. 1. hor. succisiv. c. 55.* 8 *Pro usu eorūdem.* 9 10 11

βουλὴν

βουλὴν ἅπαντος πράγματος προβάλλεται:
βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἀσφαλέστερον.

Consilium in omni praeit negotio.
Consilio aliud haud esse tutius potest.

12 Ubi multa† consilia, ibi salus. *Proverb. c. 11. v. 14. & cap. 24. v. 6.* dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi verò sunt plures consiliarii, confirmantur *c. 15. v. 22.* cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella *c. 20. v. 18.* Ecclesiasticus quoque praecipit, ut consilio prudentum & sapientum utaris, piorum & timentium Dominum. *cap. 9. v. 21.* Nam ut poeta canit;

Non uni dat cuncta Deus, quid proferat alter
Disce, ferent aliquod mutua sensa bonum.

Alter siquidem consilia sua exponit, alter ingenii acumine & solertiâ communicata expendit. Inquit enim *Euripides in Heraclidis*: εἷς ἀνὴρ οὐ πάντα ὁρᾷ, unus vir non omnia intelligit & cernit. Et vulgari sermone frequentatum est illud: Oculi plus viderit, quàm oculus, id est, plures meliùs possunt rem aliquam examinare & perpendere, quàm unus.

13 Imò in rebus† nostris privatis & propriis ipsi nobis non sufficimus, ut cum agitur de filia collocanda, de fundo emendo, testamento faciendo, societate ineunda &c. in quibus plerumque propter innatam φιλαυτίαν caecutimus & erramus, quia nimium tribuimus nostris affectibus, sicut rectè dixit *Cobares apud Curt. lib. 7. c. 4.* in suo quisque negotio hebetior est, quàm in alieno: eorumque, qui sibi ipsis suadent, turbida esse consilia solere dicuntur. *Velsten. decad. 9. th. 6.* Et *Aristot. lib. 7. Polit. c. 10.* nemo in

14 sua causa rectè judicare vel sentire videtur. Unde† fit, ut alioquin prudentes meliùs possint aliis, quàm sibiipsis consilia dare: quare aliorum saepè prudentiâ in suis egent, Medicorum aegrotantium more, qui alios sibi adhibent Medicos. Multo sanè minùs consilio aliorum carere poterunt ii, quibus multi populi, & infinita

nita negotia, eaque publica, commissa sunt, qui ita nati sunt, ut bona malaque eorum ad Rempubl. pertineant: ii inquam, qui si vel minimum errent, ingenti protinus id totius Regni, sæpè & orbis malo faciunt.

Accedit & hoc commodum, quòd Princeps ex assiduo † e- 15
jusmodi congressu & familiaritate consiliariorum fiat sapientior, prudentior, cautior & peritior. Notum est illud Græcorum: Sapientum congressu Principes sapiunt: itemque Philosophorum: sapientum finis est sapientiæ communicatio. *Jul. Cæs. Scal. exerc.* 308. & S. Script. effatum: Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. *Eccles. c.* 1. *v.* 5.

Quin etiam majorem † auctoritatem apud subditos sibi 16
conciliabit Princeps per consiliarios prudentes. Justa enim & salutaria omnia putabunt, quæcunque facit, si sciunt, eum prudens & fidele concilium habere. *Antimachiavell. lib.* 1. *theorem.* 1.

Proinde † nullum sapientiæ argumentum in Principe ma- 17
jus erit, quàm si sapientum virorum delectum habeat, aliorumque sententiæ, omni depositâ pertinaciâ, ubi opus erit, accedat:
Imò quo majori † sapientiâ polleat, eò modestiùs de se sentiat. Sic 18
laudatissimi Duces & Imperatores, quo magis abundarunt sapientiâ, eò minus sibi tribuerunt, pluribusque consiliariis, iisque egregiis stipati fuerunt, totidem veluti oculis, auribus, manibusque. Quid enim C. Julius Cæsar? Hic Qn. Pedium & Cornelium Balbum audivit. Quid Augustus? Is Mœcenatem & Agrippam. Horum nihil mihi accidisset, dicere solebat, postquam flagitia domus suæ in publicum emisisset, si aut Agrippa, aut Mœcenas vixisset. *Tacit. lib.* 4. *histor.* Quid Adrianus? adhibuit Celsum, Salvium & Neratium: alii alios. Alexander Severus nullam legem sancivit, nullam constitutionem fecit sine viginti Jurisperitis & doctissimis ac sapientissimis viris: iis denique disertissimis non minùs quinquaginta: ut non minùs in consilio essent sententiæ, quàm Senatusconsultũ cõficerent: & id quidẽ ita, ut iretur per sentẽtias singulorum, ac scriberetur quid quisq; dixisset: dato tamen

spatio ad disquirendum cogitandúmque, priusquam dicerent: ne incogitati dicerent de rebus ingentibus. Fuit præterea illi consuetudo, ut si de jure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si verò de re militari, milites veteres & senes benè meritos, & locorum peritos, ac bellorum & castrorum: & omnes literatos: & maximè eos, qui historiam norant: requirens, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium fecissent, ut his verbis refert *Lamprid. in ejus vit.* & simul tradit, Alexandrum in summum evasisse Imperatorem, quòd consiliis præcipuè Rempub. administraret.

19 Sed quid multis? Rex fuit sapientissimus† Salomon, idemque insignis Philosophus. 1. *Reg.* 4. quippe cui nulla earum artium, quæ ad res benè administrandas pertinent, ignota esset; Sed plantarum etiam animantiumque naturas, cæteraque Philosophię arcana ita exactè teneret, ut admiratione scientiæ, & famâ omnia compleret. Regibus quoque finitimis hæc illius sapientia adeò adeò venerabilis fuit, ut ipsius amicitiam ultro appeterent, ipse tamen sapientes viros in consilium adhibere consueverat. *Antimach. lib.* 1. *theorem.* 1.

20 Quod si verò quis de sua† unius sententia omnia velit agere, propriæ sapientiæ excœcatus opinione, superbus magis erit dicendus, quàm sapiens, universamque Rempublicam temeritate suâ perdet. *Liv. lib.* 44. Indicat hoc ipsum *Ovidius* dum canit:

Crede mihi, miseros prudētia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliumq; fugit.

21 Et dùm, quando subditi res sine† consilio geri prospiciunt, decreta pro nihilo ducunt, & molliter jussa exequuntur. Aliàs etsi durum quid à Principe imperatum fuerit, justum tamen & rectum subditis vel unica hac de causa videtur, quia consilio prudentum id factum. *Hippol. de consil. fol.* 216.

22 Deniq; Princeps utens operâ consiliariorum, magis etiam consulet† rebus suis, si consilium fortè malè cesserit. Non enim ipsis

ipsis, sed potissimùm consiliariis culpa imputari solet. *Tholozan. lib.* 24. *c.* 3. Cùm pro affectione erga Principes soleant subditi has voces usurpare: Principem quidem virum bonum esse, sed decipi & regi à consiliariis. *Arnisæ. lib.* 1. *doctrin. Polit. cap.* 15. *fol.* 347.

Quod suprà asserebat *Machiavell.* Principi, qui per se non sapit, non rectè dari posse consilia: id ultrò concedimus *cum Andrea Rey de Naglowice in discurs. de consilio seu consultatione discurs.* 1. *apud Keckerm. in curs. Philosoph.* difficulter † admodum dari consilia ei, qui ipse non sapiat: at verò planè nihil prodesse bona & recta consilia Principi, qui ipse summè prudens ac sagax non sit, id verò pernegamus. Nec enim pauci † fuere Reges, qui licet non adeò essent prudentes, tamen consiliis agnati alicujus, aut virorum probitate & prudentiâ illustrium regna gesserint, ut per exemplorum inductionem ad oculum demonstrat *Antimachiavell. d. l.* Inter alia, illud etiam Gordiani Imperatoris recenset, qui, cùm undecim annos natus Cæsar appellatus esset, & plerique puerile imperium contemptui haberent, usus est consiliis soceri sui Misithei, quibus multa domi forisque feliciter gessit: Resque Romana sub Gordiano incolumis stetit, quousq; vixit Misistheus. In eundem modum tradit *Andr. Rey*, quòd vel infantes & pueri auxilio & consilio fidelium atque prudentum Consiliariorum regna administrare possint. Quod vel exemplo Joas doceri potest, qui etsi septem solummodò annorum esset, cùm regnare cœpit: interim tamen egregiè regnum administravit, quia Jojadæ summi Sacerdotis aliorumque optimatum consiliis usus est, iisque obtemperavit. Rationes, quas Machiavell. pro sententiæ suæ ponit confirmatione, non sunt tales, ut propter eas gladium evaginemus, & satis destruuntur *ab Antimachiavell. & Rey, loc. cit.*

Confutatio sentēt. Machiav. 23 24

CAPUT XXVII.

DE GENERIBUS CONSILIARIORUM & Conciliorum.

1 CONsiliarius à Politicis distinguitur vel † ex gradu, vel ex modo
2 consulendi.

Consiliarius vel eminẽtior v. inferior

Ratione *gradus* † distinguitur *in intimum*, sive *eminentiorem*, & *in inferiorem*, atque ideò eum, qui ad intima & secretiora consilia non adhibetur.

Numerus † utriusque arbitrarius est. Non tamen mul-
3 ti † consiliarii secretiores esse debent, quibus summa quæque deli-
4 beranda decernendaque committantur, ne Imperii arcana in vulgus manare possint. *Hippolyt: à Collib. in princ. c. 9. in fin.* Notum est Proverbium: Septem convivium: Novem convitium. Adhæc: in magno numero nihil ordine geri potest. Sic Carolus V. Imp. ultra quatuor consiliarios, cum quibus conferebat, non adhibuit in arcanis rebus. *Heresbach. l. 2. de Repub. c. 8.*

Consiliarij secretiores pauci habẽdi.

5 Ex *modo* † *consulendi* consiliarius est vel ordinarius, vel extraordinarius. Ita enim in amplis Principatibus, magnisque imperiis usu invaluit, ut Princeps habeat duplices cõsiliarios, quosdam perpetuò præsentes ad aulã, & magis ordinarios: nonnullos etiam, qui alibi, vel sub ditione Principis, vel extra eandem, vivant.

6 *Ordinarius* † itaque est, qui ordinariè & statè ad consilia admittuntur.

Consiliarius ordin.

Extraordinarius, † qui in certis casibus, iisque gravissimis,
7 & rebus ad summam Reipub. pertinentibus, vel in particularibus quibusdam pacis aut belli tempore consulitur, & vel ad aulam vocatur, vel scripto votum suum mittere jubetur, ein Rath von Hause aus.

Extraordinarius.

8 Deinde consiliarius est vel † supernumerarius, vel honorarius.

Super-

Supernumerarius, † qui ultra statutum numerum & confessum ordinariorum consiliariorum admittitur. 9 *Supernumerarius*

Honorarius † dicitur tùm is, qui titulo quidem consiliarii fruitur, cùm tamen nunquam ad consilia danda adhibeatur: tùm is, quem Princeps honoris causâ ad consilium dandum adhibet. 10 *Honorarius.*
Sic consultum † utile & nonnulli judicant, ut superior à parente, si quem habeat, vel filiis, fratribus, proximis sibi sanguine junctis, agnatis videlicet & cognatis consilia in gravissimis negotiis exposcat: etiamsi consilio dando valdè non sint idonei: ne exclusio horum odium, suspicionem, aut seditiones excitet: & ut interim illi discant usu, quibus modis juvare Rempubl. possint. *Greg. Tholozan. lib. 14. de Repub. c. 6. Antimachiavell. lib. 1. theorem. 1. Althusi. d. c. 22. fol. 294.* nisi tamen insigni aliquo flagitio seu vitio laborent, atque adeò nisi Principi & Reipub. sint suspecti. Ex eo enim graves offensiones iræ, dissidia nasci solent, quæ paulò post in publicas calamitates & bellorum civilium flammas erumpunt. 11 *An proximiores Principis in consilium adhibendi.*

An etiam *à fœminis*, † *puta matre, & conjuge Principis consilium sit capiendum*, majus est dubium. *Andr. Rey à Naglowice de concil seu consult. q. 14. in curs. Philos. Keck. fol. 563.* ita progreditur, ut dicat in casibus extraordinariis, & certis circumstantibus suadentibus, Principem posse consulere uxores, sed non nisi prudentes & heroinas. Quare non oës nec in omnib. negotiis, publicis scil. quæ ad Reip. administrationem faciunt, in consilium illæ vocandæ. Similiter monet *Schönborn. lib. 2. Pol. c. 29.* ut Princeps conjugem rectè regat, nec adhibeat facilè ad secretiora consilia, aut nullam regiminis partem: quod Lacedæmonios olim fecisse *Plutarchus* memorat. Narrat & idem, Themistoclem in Reipublicæ administratione ex uxoris consilio & arbitrio pependisse: & Heliogabalum primum, matrem sententiæ dicendæ causâ in Senatum deduxisse, auctor est *Lamprid.* uterque vapulat *à Francisco le Vayer de legat. c. 9 fol. 83.* Idem cum fecisset Justinianus Imperator, alioquin laudatissimus, & conjugem suam Theodoram præ nimio amore in sanctione legum quarundam adhibuisset, ut credimus *Joh. Bodino l. 1. de Repub. c. 3. num. 17. P. Greg. Tholozano* 12 *An mater vel conjux Principis.*

Tholozano in syntag. jur. univers. Stephano Facatulo de occult. jurispr. dial. 2 nu. 5 Ant. Fabro 8. conject. 1. effœminati, & plus æquo uxorij nomine ab his donatus absit.

13 Quamvis autem nullius † hominis opera sit aspernanda, quæ aliquid utilitatis Reipublicæ afferre possit, *dicente Plutarcho*, & interdum olitor etiam valdè opportuna loquatur: Hoc ipsum

14 tamen Politici Scriptores, *ad † servos domesticos, cubicularios, adulatores assentatoresq; & reliquos officiarios, qui consiliariorum honore & titulo non fruuntur*, & à quibus bonus, cautus & optimus Princeps, ut loquitur *Vopiscus in Aurel.* venditur, minimè extendi volunt.

An domestici & officiarij promiscuè.

Præterquam enim, inquiunt, quòd rara in ipsis sit prudentia, consilium, taciturnitas, incipit etiam apud eos Principis vilescere auctoritas, quem ipsorum putant indigere auxilio, cùm videatur hoc quodammodo cum perfecti Principis natura pugnare, ut omnes promiscuè consulat. *Gregor. Tholozan. lib. 10. de Repub. cap. 3. & seqq. & lib. 24. c. 6, 7. Lips. 3. Polit. cap. 9. Hippolyt. à Collib. de consil. Keckermann. in curs. Philosoph. disput. 30. qu. 4. d. fol.* 407.

Observandum hîc, quod magni nominis viri tradunt, non

15 debere Principem *uni † tantùm consiliario omnes negotiorum suorum directiones committere, & ad nutum illius pleraq; agere. Camerar. part. 1. medit. succisiv. c. 90. Richter. Axiom. Polit. 92. 104. & 152. Anton Guevara in Horolog. Princip. lib. 3. cap.* 58. ubi ait: Principem, qui multos regit, non decet unius tantùm audire consilia: nec monstrosius quicquam est, quàm Principem, qui omnibus imperat, pati ab uno sibi imperari. Raro enim felicem exitum nancisci solet: & qui unum amat, videtur cæteros odisse. *Hippol. in princ. c. 9.*

An Princeps uni consiliariorũ debeat esse addictus.

16 Audax † ille Princeps nimium, qui ut amet unum, sese reliquis omnibus exosum facit. *Althus. in Polit. c. 22. & fol.* 299. inquit: Fatuus est magistratus, qui uni addictus & obnoxius est; ad cujus nutum & consilium, contemptis reliquis, agit cuncta, quæ ad Imperii administrationem pertinent. *in fin. cap.* idem tamen

17 judicat, quòd si talis Consiliarius bonus † sit, felices tunc fore Respublicas

ſpublicas & Regna; Sin verò malus, jam præſentiſſimam eſſe malorum cauſam in Rebuſpublicis. Et hoc alii monent, quòd ſi Princeps uni addictus ſit, aut quem præ aliis magni faciat, id ne † oſtendat: ſed ita potiùs ſe gerat, ut videatur omnes conſiliarios æquè æquales habere, & omnibus æquè favere. Alioquin ille, cui Princeps apertè præ aliis favet, cæteris volet imperare, & incutiet iis metum, ut iſti uni ſe accommodent, nec adverſentur, atque adeò liberas ſententias non dicant: imò etiam odio ipſum ob id habeant. *Hænon. diſp. Polit.* 4. *th.* 51. 18

Enumeratis conſiliariis addimus etiam *Eccleſiaſticos*, † quibus Princeps utitur in conſiliis pertinentibus ad Eccleſiæ conſtitutionem, defenſionem & amplificationem, de quibus eſt canon. *Keckerm. lib.* 1. *ſyſtem. fol.* 518. valdè utile & neceſſarium eſt, Principem in ſua aula habere viros excellenter religioſos, pios & doctos, quibus tanquam adjutoribus & conſiliariis utatur in gubernatione Eccleſiaſtica: ſiquidem impoſſibile eſt, Principem ſolum iſta omnia, quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum pertinent, poſſe conſiderare & perpendere ſufficienter, utpote cùm tot aliis gravibus curis ſit diſtrictus. Et paulò poſt ait: ſi in rebus ad minus bonum ſpectantibus, ſcilicet in Politicis & Civilibus conſiliariis eget Princeps, quantò magis egebit in rebus ad majus bonum ſpectantibus, nempe ad religionem & ſalutem ſubditorum. Ita David inter Seculares habuit & Eccleſiaſticos conſiliarios, Gad & Nathan, qui Regni erant Prophetæ & Conſiſtoriales, & Joaſch Sacerdotem Jehoijadah. *Althuſ. in Polit. c.* 22. *fol.* 293. *edit. prior.* 19 *Conſiliarij Eccleſiaſtici.*

Pro varietate † autem negotiorum in Imperiis, Regnis, Principatibus & Rebuſpublicis magnis, ut diverſi conſiliarii: ita diverſa concilia inſtituuntur. 20

Concilium ergo eſt vel † ſtatum & ordinarium, vel ſolennius & univerſalius. 21

Concilium ſtatum † fit continuè apud Principem, & ejus aulam. 22 *Cõc. ſtatũ.*

Solennius, † cùm Princeps præcipua membra Regni ſui, Status, Proceres & Ephoros convocat, idque in Conventibus, vel Comitiis œcumenicis, univerſalibus & generalibus. Negotia † ſiquidem. 23 *Solennius.* 24

dem ardua & maximi momenti, totum Regnum, conservationem Reipub. & subditorum concernentia, Princeps non tantùm tractabit cum suo Senatu: sed etiam cum Consiliariis Regni. Ita
25 hisce generalibus† conventibus Princeps cognoscet omnia, quæ per Regnum, Provincias & Ditiones totius Reipub. fiunt, ne ipsi à consiliariis imponi, aut illi mendaciis firmare possint dolosa consilia: utque insolentiores in officio contineantur metu comitiorum. Nam in hisce omnium statuum postulata liberè audiuntur, proponuntur gravamina, tractantur media, quibus Reipubl. necessitatibus subveniatur, quibus incommoda & pericula ipsius avertantur ac removeantur: & quibus commoda ipsius promoveantur: quibusve ope & auxilio communi sit subveniendum, docetur. *Althus. c. 22. & 27.* ubi indicenda comitia scribit, prout est moris, singulis annis ad minimum semel.

26 Secundò Concilium est vel† sanctius & secretum, vel minùs secretum, & commune.

Concilium sanctius, vel secretum.

27 *Sanctius*† *Concilium* est, quando in deliberatione gravissima pauci tantùm selecti consiliarii adhibentur, ein Außschuß. *Hippolyt à Collib. de consiliar. fol.* 290 in hoc sacrosancto Consistorio, ut alibi vocat, proponi tantùm vult ea, quæ ad summam Reipub. & ipsum statum pertinent: talia sunt de religione & Dei cultu, de legibus & magistratibus, de bello & pace, de fide publica, de securitate servanda, de fœderibus ineundis & tuendis; de finibus imperii regendis, de magnatum controversiis, de eorũdem capite & fortunis omnibus, de negligentia magistratuum vel præfectorum, de curiarum & collegiorum controversiis, de legationum secretis, & aliis gravissimis de rebus. His temporibus, inquit *Bo-*
28 *din. lib. 3. de Repub. c. 1. num.* 246. nulla ferè † civitas est, sive Optimatum, sive popularis, sive unius imperio regatur, quæ præter Senatum non habeat sanctius Concilium: ac præter utraque triumviratum quendam, qui secretiora imperii arcana tractet: idque potissimùm in monarchia, ut ibidem ostendit exemplo Julii Cæsaris, Augusti, Galliæ & Hispaniæ Regum consuetudinibus. Veneti quoque, ut *num.* 247. recenset, præter Senatum ac cœlum Optimatum quatuor habent concilia, Nempè *Concilium Sapien-*

tum

tum, quod *Marinum* dicitur; deinde *Concilium Sapientum*, qui quæ terrâ gerantur, curare possint. Item: *Concilium Decemvirorum* & *Septemvirorum*. In Rhagusiorum & Genevatum Republica Senatus sexaginta viros: Concilium verò sanctius in hac XXV. in illa XII. capit. Eâdem Concilii constituendi ratione uti Suitenses, Uranos, Bernates, Lucernates & Basilienses, idem tradit ibidem, & utile esse dicit in omni Republicæ præter Senatum, sanctius Concilium creari. In Germania nostra eadem est ratio apud liberas Imperiales quasdam urbes. Sic apud Noribergenses est *Concilium sanctius Septemvirorum*, der sieben alten Herren. Communius verò ex 24. constat. Apud Argentinenses Senatus totus & plenus conflatur ex 50. qui dicuntur die Funffzehnner: Minor verò & secretior ex 13. qui vocantur die Dreyzehnner.

Concilium Concilium† est, in quo omnes Senatores ordinarii consilium capiunt; & pertractantur minus gravia negotia. 29 *Commune.*

Tertiò consilium vel † est superius, vel inferius. 30

Superius† aliàs *Magnum* dicitur, & ab arcanis Imperii submovetur. Ejusmodi supremum concilium in Germania est Camera Imperialis: in Gallia sunt Parlamenta: in Italia Rotæ: in aliis Principatibus inferioribus summum tribunal Principis vocatur das Hoffgerichte. Quot verò & quàm varia conciliorum genera in Principatu vel Regno esse debeant, id tùm ex eorundem amplitudine, tùm ex specialibus circumstantiis locorum & temporum dependet: idcirco in generali Politica non ita distinctè & specificè tradi potest, sed ad specialem cujusque Principatus vel Regni Politicam referendum est. 31 *Superius.*

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

QVALIS SIT MODUS ET processus instituendæ consultationis?

1 A Concilio rectâ viâ *ad communicationem*, † sive *actum concilii*, 2 qui & *consultatio* dicitur, descendimus.

Partes consultation. Partes † verò consultationis sunt vel externæ, vel internæ.

3 *Externa.* Externa † pars est interdictio concilii, tum probuleuma, præparatio quædam ad futuram consultationem: quæ pars, ut in solennibus & gravibus consultationibus utilissima est: ita in statis consultationibus, adeoque etiam in extraordinariis & repentinis necessariò sæpe omittenda est.

4 *Interna.* Internæ † partes sunt, 1. Propositio. 2. Rogatio. 3. Dictio. 4. Examen votorum. 5. Conclusio. *Keckerm. in curs. Philos. disp. 30. th. 70. fol.* 380. E quibus Propositio, Rogatio, Examen & Conclusio ad ipsum Principem spectant, aut eum, qui Principis loco est. Dictio verò sententiæ & vota consiliariis sunt relicta.

5 *Propositio maturè facienda.* Ad *Propositionem* quod attinet, maturè † proponenda sunt capita deliberationis, & in tempore consiliarii consulendi. *Lips. lib. 3. Polit. c. 8. num.* 2. Gladiatorum enim est, non Principis, in arena consilium capere: *Senec. in epist. & Cic. in Philipp.* Magna sunt in Repub. momenta temporum, & multum interest idem illud utrùm antè an pòst decernatur, suscipiatur, agatur. *Senec. in epist.* Equidem dum navis integra est, promptè consulere & providere oportet, ne disrumpat: postquam fluctus exuperant, oleum & opera, quod ajunt, perditur. *Althus. in Pol. c. 21. fol. 296. ed. prior.* Ita illum, qui in ipso negotio consilium capit, omnia deficere videntur. *Jul. Cæs. lib. 5. com. de bell. Gall.* Quare in tempore veniendum, quod rerum omnium est primum, *dicente Comico*, singulisque dandum spatium ad disquirendum, ne scilicet de gravissimis rebus

rebus temerè & incogitatè dicant. *Bodin. lib.* 3. *c.* 1. Unde nisi extrema† aliqua necessitas urgeat, consultationem Princeps non 6
præcipitabit. *Althus. d. l.* cavendum† tamen, ne inutili cunctatione agendi tempora deliberando consumantur, & subtilibus rationibus magistratus confundatur. *Tacit. lib.* 3. *histor. Althus. d. l.* 7
peccatur hic in plurium statu. Ubi illud ex liberalitate vitium, 8
quòd non simul, nec jussi conveniunt. Sed & alter & tertius dies 9
cunctatione coeuntium absumitur, *ex Tacit. in German. Lips. d. c.* 8. *num.* 3.

Quo ordine sententiæ dicendæ sint, & quis ordo suffragandi esse debeat.

Devenimus ad secundum genus, quod consistit in *Rogatione sententiarum*, ubi quæritur: An consiliorum vota † & sententiæ primùm omnium debeant exigi à junioribus, & qui minoris sunt auctoritatis, an verò à senioribus, & qui majoris?

Ubi non displicet nobis *Andr. Rey de concil. seu consult. disc.* 6. ubi Principis prudentiæ† & discretioni relinquit, quo ordine vota colligat: Nec abs re esse dicit, si ordinem certum ætatis ac dignitatis servet, ita tamen, ne se ad istum ordinem adstringat: interdum etiam inverso utatur. In arduis negotiis, quæ subitam postulant expeditionem, vult, ut Princeps calidiora & subtilia ingenia, ad choleram vergentia præmittat: postponat autem illa, quæ ad melancholiam inclinant. Nam ut illa, ait, repentè invenire, ita hæc inventa eorum expandere & dijudicare poterunt. Quin & istâ expensione novæ inventionis, excitare se solent ad novum & melius quid inveniendum, quàm quod ab aliis fuit prolatum. Princeps autem qui sapit, in dijudicandis sententiis non quid prius, sed quid prudentius dictum sit, advertat. *Arnisæ. lib.* 1. *doctr. Polit. c.* 15. 10

Apertè & breviter sententia dicenda.

Tertia pars consultationis est *Dictio*, Dicenda † v. senatori sententia candidè, apertè, perspicuè & breviter absq; fucis & lenociniis verborum. Qua in re Scaurum laudatum accepimus, quòd tantâ brevitate & auctoritate dixerit, ut non causam, sed testimonium dicere videretur: non tantùm quod Senatoriam gravitatem brevitas deceat, sed ut omnia planius intelligantur. *Arnisæ. d. c.* 15. Atque hoc ipsum est, quod monet *Cicer.* In consessu Senatus minori cum apparatu, quàm in concione dicendum est: vitanda 11

est ingenii ac ostentationis suspicio, utendum laconicâ brevitate, ut sit omnibus dicendi locus, & ne alios audiendo seipsum loquendo defatiget is, qui sententiam suam explicat. *Simanca lib. 7.*
12 *de Republ.* scribenda† verò vota & dictio, tùm si Principi videatur ea exactiùs considerare, tùm si quis morbus, aut alia necessitas Consiliarium domi detineat, tùm denique, si Consiliarius absit ab aula Principis. *Rey d. discurs. 6.*

13 Non tamen semper publicè† scribenda, nec dictio necessariò voce & coràm facienda, sicut prudenter suadet Mecœnas Augusto *apud Dionem lib. 52.* In causis gravioribus sententias non palàm rogabis, ne amicis suis faventes parum liberè, quod sentiunt, pronuncient: sed in tabellis ad te solum, ne cui aliis innotescant, perferri jube, & lectas etiam statim deleri. Quod si res diffici-
14 lior† videatur, & consulta non satisfaciant, in aliud tempus differet, & pleniùs secum statuet Princeps. *Hippolyt. & Althus. d. c. 22.* si consilia, inquit, non satisfecerint Principi, ampliùs deliberabit, & denuò consultationem instituet.

Succedit pars consultationis quarta, *votorum* scilicet *examen*, qualiter de consiliariis, eorumque consiliis judicare debeat.
15 De eo autem quomodo Princeps fidem† consultorum excutere, & agnoscere debeat, an utile & bonum consilium datum sit, nec ne, cum Politicis has regulas ponimus: 1. Si ad finem & scopum utilem & honestum Reipub. sit directum. 2. Si mediis licitis ad exitum, vel in actum à Principe deducti, & sine alterius injuria expediri possit. 3. Si talia media non sint supra vires & potentiam Principis. Quò spectat illud sapientum sermonibus decantatum: In omni deliberatione & sententiis hæc duo adesse oportet: *Posse illud fieri, atq; utile esse.*

Examen consiliorũ instituendum, & quomodo.

16 Restat pars deliberationis quinta, quæ est *de conclusione & executione sententiæ*, quam in potestate & arbitrio Principis esse diximus. Nec enim Consiliarius interrogatur, ut statuat & imperet, sed ut dicat, mentemque suam Principi aperiat. Hic monitum Politicum est, ut Princeps auditis† consiliis, sententiam suam
17 celet: nullamque consultis adjiciat resolutionem, aut propriam sententiam, sed insciis omnibus, vel paucis saltem cõsiliariis conscius,

Executio sentent. à Principe dependet.

ctiis consilium, quod placuerit, exequatur, *Lips. d. c. 8. num. 7. Althus. d. c. 22.* Quid fieri debeat, cum paucis tracta: quid facturus sis, cum paucissimis, vel potiùs ipse tecum. *Veget. l. 3. de re milit.* Nam anima † consilii, secretum: & nulla meliora consilia, quàm 18
quæ ignoraverit adversarius, antequam fierent. *idem ibid.* Sic & Tiberius Cæsar, ut refert *Joseph. lib. 7. antiquit. Judaic.* dicere solitus est: Animum Principis nemini cognitum esse debere: ipsum autem oportere omnium sententias & consilia percallere: quod in priori periculum ingens, in posteriori summam utilitatem consistere putaret. Executio † verò rerum deliberatarum 19
occasioni, tempori & aliis circumstantiis, quæ in quasvis horas mutantur, inservire cogitur. *Boter: lib. 2. Polit: illustr. c. 4.* velox tamen esse debet, si adsit opportunitas, ut suadet *Lauterbach. in princ. Christ. c. 6.* ardua verò atque implexa consilia, quibus impar est Princeps, fato non permittet. *Lips. d. c. 8. in fin.*

CAPUT XXIX.

AN PRINCEPS CONSULTATIONIBUS suorum Consiliariorum interesse debeat?

DIximus circa quartam consultationis partem, Principis munus esse, ponderare & excutere vota suorum consiliariorum: ex cujus assertionis occasione ducimur ad enodationem quæstionis: *An Princeps consultationibus † suorum debeat interesse?* 1

Negativam tuetur *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 1. num. 146.* his *Sent. neg.*
verbis: Non aliam † ob causam Theologi veteres ac Poëtæ Palla- 2
dem Jovi decumbenti assidere finxerunt, non Palladi Jovem, quàm ut intelligamus, senatum Principi semper adesse, non autem Principem domicilio senatus affixum esse oportere: quod à

Principis majestate non modò alienum sit, sed omninò fieri non possit. *Et paulò post*: certè quidem Turcarum Princeps senatui rariùs interesse consuevit, sed interiore & proximo Senatus habendi loco ferè semper consistit, aut consistere putatur, ut omnes omnium sentias audire, gestus etiam uniuscujusque liberè possit contemplari, nec tamen ipse videri: ita fit, ut Senatores, qui Principem se assiduè intueri putant, in officio contineantur.

3 *Rejicitur.* Verùm hunc barbarum † barbari morem vehementer improbat *Herm. Kirchn. in Republ. disp. 9. axel. 1. ad lit. a.* dicens: Neque enim tùm Principis animo excelso occultæ & tenebrosæ insidiæ, neque convenit ulla adversus consiliarios, quos instar parentum observari oportet, diffidentia. *Senec. in epist.* tùm neque libertas consilii metum ullum aut pavorem servilem, aut suspicionem sinistram tolerare potest.

Pro affirmativa itaque sententia tutius & consultius judi-
4 *Affirmativa ejusque rationes.* camus, ut Princeps liberiori † & apertiore facie gravioribus cõsultationibus intersit. Nam majori cum auctoritate sic omnia peragentur. In præsentia ipsius mali & improbi minus audebunt, sed meliùs consulent, & factiones ac rixæ cessabunt. Boni verò consiliarii præsente Principe fideliùs & diligentiùs officium suum sunt facturi, & in arduis negotiis suæ fidei ac integritatis specimen exhibituri. *Althus. in Polit. c. 22.*

Deinde maximum hoc commodum accedit Principi ex a-
5 gitatione † consiliariorum, quòd per ea fiat prudentior & sapientior, licet anteà fuerit stupidus aut rudis in tractandis negotiis, & administrationibus. Quod si v. sapienti occasionem dederis, addetur ei sapientia. *Prov. 9. v. 9.* Siquidem ex assiduitate consiliorum, & ex consuetudine agitationis, rationis in derimendis controversiis & negotiis decernendis, tanquam in schola peritorum, brevi efficitur peritus & cautior, detegitque insuper multorum animos. *Tholoz. de Rep.* Quod Principi faciendum esse, ita monet *Althus. d. c. 22.* Consultum est, ut magistratus suos Consiliarios sæpè exploret & observet, ut agnoscantur, quinam ex his impii, vel avari, vel crudeles sint, aut tales evaserint, ut si cognoverit, eos expellat. *Ps.*
6 *101. v. 6. 7. 8.* commẽdatur Hadrianus † Imp. quòd senatui legitimo

sum

cùm in urbe, vel extra urbem esset, semper interfuerit. *El. Spart in ejus vit.* Quare Jacobus Rex † M. Britanniæ Henricum filium in 7
δώρῳ βασιλικῷ fol. 126. monet: A consiliis *secretioribus* ratiùs absis. Nec enim Principes obruti tantâ † mole negotiorum, consiliis 8
omnibus ipsi possunt interesse, aut præesse. *Lauterbach. in Princ. Christian. c.* 6.

Ita verò interesse convenit, ut audiat † consiliarios cum judicio, & tamen sine pertinacia. *Lips. lib.* 3. *Pol. c.* 8. *n.* 5. *&* 6. 9

Cum judicio, † ut ea, quæ à contrariis partibus & disparibus suffragiis dicta sunt, rationibusque firmata notet, & diligenter expendat, an sint honesta, sibi & Reip. principaliter gloriosa. In dubiis n. Princeps id consilium sequi debet, quod honestum est, & universitatis præcipuè rationem habet *Hiero. Cagnol. in lib. de recta Princ. instit. c.* 17. *fol.* 123. an v. quod tractatur & consulitur, particulariter seu singulariter intersit, & ad privatam alicujus spectet utilitatem. Nam in propria causa omne consilium suspectum: vel, ut loquitur *Tacit.* 1. *hist.* Pessimum veri affectus venenum sua cuique utilitas, quâ ratione lex fuit apud quosdam populos, ut qui agros hostibus finitimos haberent, non admitterentur ad consilia belli gerandi: quasi ob privatæ rei curam minus ingenuè suadere possent. *Arist. lib.* 7. *Pol. c.* 10. Item; an consilia promptu effecta, aut certè non ardua. Nam illa, quæ sunt ampliora, & infinita complectuntur, quorum expeditioni neque opes, neque vita, nec potentia sufficiunt, quæque media desiderant, assequi nunquam valemus. *Boter. lib.* 2. *Polit. illust. c.* 6. Breviter: 10

Ut careat vitetque dolos, & prava suorum
Consilia, ut monitis addat melioribus aure.

Nec veluti nervis alienis mobile lignum ducatur, ut loquitur *Horatius*.

Sine Pertinacia, † Nec n. sufficit, rectè consulere, nisi recta cōsilia Princeps amplectatur: nec minoris est sapientiæ, inter varia multorum cōsilia, quod optimū est, discernere, atq; exequi, quàm ad rē consulere. Quare ipse ô Rex, benè cōsulito, & pareto vicissim, ut & sapiētis monitū *ap. Home. l.* 2. *Il.* Et cui obscurum, prudentiam 11

civi-

Principis majeſtate non modò alienum ſit, ſed omninò fieri non poſſit. *Et paulò poſt:* certè quidem Turcarum Princeps ſenatui rariùs intereſſe conſuevit, ſed interiore & proximo Senatus habendi loco ferè ſemper conſiſtit, aut conſiſtere putatur, ut omnes omnium ſententias audire, geſtus etiam uniuſcujuſque liberè poſſit contemplari, nec tamen ipſe videri: ita fit, ut Senatores, qui Principem ſe aſſiduè intueri putant, in officio contineantur.

3 Verùm hunc barbarum † barbari morem vehementer improbat *Herm. Kirchn. in Republ. diſſ. 9. auct. 1. ad lit. a.* dicens: Neque enim tùm Principis animo excelſo occultæ & tenebroſæ inſidiæ, neque convenit ulla adverſus conſiliarios, quos inſtar parentum obſervari oportet, diffidentia. *Senec. in epiſt.* tùm neque libertas conſilii metum ullum aut pavorem ſervilem, aut ſuſpicionem ſiniſtram tolerare poteſt.

Rejicitur.

4 Pro affirmativa itaque ſententia tutius & conſultius judicamus, ut Princeps liberiori † & apertiore facie gravioribus cõſultationibus interſit. Nam majori cùm auctoritate ſic omnia peragentur. In præſentia ipſius mali & improbi minus audebunt, ſed meliùs conſulent, & factiones ac rixæ ceſſabunt. Boni verò conſiliarii præſente Principe fideliùs & diligentiùs officium ſuum ſunt facturi, & in arduis negotiis ſuæ fidei ac integritatis ſpecimen exhibituri. *Althuſ. in Polit. c. 22.*

Affirmativa ejuſque rationes.

5 Deinde maximum hoc commodum accedit Principi ex agitatione † conſiliariorum, quòd per ea fiat prudentior & ſapientior, licet anteà fuerit ſtupidus aut rudis in tractandis negotiis, & adminiſtrationibus. Quod ſi v. ſapienti occaſionem dederis, addetur ei ſapientia. *Prov. 9. v. 9.* Siquidem ex aſſiduitate conſiliorum, & ex conſuetudine agitationis, rationis in dirimendis controverſiis & negotiis decernendis, tanquam in ſchola peritorum, brevi efficitur peritus & cautior, detegitque inſuper multorum animos. *Tholoz. de Rep.* Quod Principi faciendum eſſe, ita monet *Althuſ. d. c. 22.* Conſultum eſt, ut magiſtratus ſuos Conſiliarios ſæpè exploret & obſervet, ut agnoſcantur, quinam ex his impii, vel avari, vel crudeles ſint, aut tales evaſerint, ut ſi cognoverit, eos expellat. *Pſ.*

6 *101. v. 6. 7. 8.* commẽdatur Hadrianus † Imp. quòd ſenatui legitimo

cum

cum in urbe, vel extra urbem esset, semper interfuerit. *El. Spart in ejus vit.* Quare Jacobus Rex † M. Britanniæ Henricum filium in 7
δῶρῳ βασιλικῷ fol. 126. monet: A consiliis *secretioribus* rarius abfis. Nec enim Principes obruti tantâ † mole negotiorum, consiliis 8
omnibus ipsi possunt interesse, aut præesse. *Lauterbach. in Princ. Christian. c. 6.*

Ita verò interesse convenit, ut audiat † consiliarios cum ju- 9
dicio, & tamen sine pertinacia. *Lips. lib. 3. Pol. c. 8. n. 5. & 6.*

Cum judicio, † ut ea, quæ à contrariis partibus & disparibus 10
suffragiis dicta sunt, rationibusque firmata notet, & diligenter expendat, an sint honesta, sibi & Reip. principaliter gloriosa. In dubiis n. Princeps id consilium sequi debet, quod honestum est, & universitatis præcipuè rationem habet *Hiero. Cagnol. in lib. de recta Princ. instit. c. 117. fol.* 123. an v. quod tractatur & consulitur, particulariter seu singulariter interfit, & ad privatam alicujus spectet utilitatem. Nam in propria causa omne consilium suspectum: vel, ut loquitur *Tacit. 1. hist.* Pessimum veri affectus venenum sua cuiq; utilitas, quâ ratione lex fuit apud quosdam populos, ut qui agros hostibus finitimos haberent, non admitterentur ad consilia belli-gerandi: quasi ob privatæ rei curam minus ingenuè suadere possent. *Arist. lib. 7. Pol. c. 10.* Item: an consilia promptu effecta, aut certè non ardua. Nam illa, quæ sunt ampliora, & infinita complectuntur, quorum expeditioni neque opes, neque vita, nec potentia sufficiunt, quæque media desiderant, assequi nunquam valemus. *Boter. lib. 2. Polit. illust. c. 6.* Breviter:

Ut careat vitetq; dolos, & prava suorum
Consilia, ut monitis addat melioribus aurē.

Nec veluti nervis alienis mobile lignum ducatur, ut loquitur *Horatius.*

Sine Pertinacia, † Nec n. sufficit, rectè consulere, nisi recta 11
cōsilia Princeps amplectatur: nec minoris est sapiētiæ, inter varia multorum cōsilia, quod optimū est, discernere, atq; exequi, quàm ad rē consulere. Quare ipse ô Rex, benè cōsulito, & pareto vicissim, ut & sapiētis monitū *ap. Home. l. 2. Il.* Et cui obscurum, prudentiam

civi-

civilem aliam esse propriam, aliam mutuatitiam & alienam, ut loquitur *Lips. lib.* 3. & 4. *Polit.* allegans *Ciceronem pro Cluentio* ita scribentem: Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus est, ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius benè inventis obtemperat. Nec non *Liv. lib.* 36. sæpè audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem sit: secundum eum, qui benè monenti obediat: qui neque ipsi consulere, neque alteri parêre scit, eum extremi esse ingenii. Nobis, quia prima animi ingeniique sors negata est, secundam & mediam teneamus, & dum imperare discimus, parêre prudenti, in animum inducamus. *lib.* 22. quo loco addit: verùm & in aliam peccatur partem. Accidit sæpenumero, ut qui in ipso negotio consilium capere cogitur, dubitet, timeat, & (ut Cæsar ait) deficere eum omnia videantur: atque sic non rectè judicando consilia, dum alteri paret, decipiatur, & in insidias deducatur, quod *Guicciardinus* in Petro Mediceo, consilium à Venetis (qui proprio suo scopo inservire conabantur) petente notavit.

CAPUT XXX.

QUALES CONSILIARII, NEC non judices eligendi, quibus virtutibus & scientiis debeant esse instructi?

DIctum est huc usque à nobis de usu & differentia Consiliariorum: alterum membrum sequitur, quod consistit in *electio-*
1 *ne* † *& qualitatibus eorundem, qui & quales eligendi*, ut scilicet dignissimi, & maximè necessariis donis instructi in numerum Consiliariorum cooptentur.

2 Non enim Princeps Consiliarios eliget studiis † privatis, nec

Digitized by Google

nec ex commendatione & precibus paucorum, *suadente Cornelio Tacito in Agricol.* Sed aut ipse noscet, si potest: aut tanget ad lapidem illum Lydium communis Famæ. Singuli enim decipere & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *ex Plin. in panegyr. Lips. 3. Polit. c. 4.*

Consiliary quomodo, & q. discretione eligendi.

Nec non *Hippolyt. de consil.* Fundamentum, ait, perpetuæ commendationis & famæ, est probitas, fides, justitia, sine quibus nihil potest esse laudabile. Prudentia omnis sine his est vana & mendax, & vafra quædam calliditas & versutia.

Idem hisce verbis monet *Althus. in Polit c. 21. fol. 291. in fin. edit. prior.* In electione Consiliarii Princeps non sit præceps: sed inquisitione de moribus, natura, doctrina, & virtutibus, & ætate, facta, cuncta examinet: accusationes, delationes audiat, admittat, sed cum judicio & discretione. *Et fol. 292.* cogitet Princeps, ex consiliarii electione pendere honorem, utilitatem, infamiam & ruinam suam & populi. Nam ex hujusmodi virtutibus Princeps & populus abs aliis judicatur. Quare magnum judicium adhibendum in eligendis Consiliariis, an scilicet præsidiis necessariis instructi sint, an Magistratum aliquem gesserint, & an in eo rectè administrando operam, fidem, prudentiam, diligentiamque præstiterint, an alicujus factionis Principes sint, ne justitiæ specie privatam vindictam armis publicis quærant. *Hippolyt. de consil. fol. 284.*

Laudabile † ergo fuit institutum Alexandri Severi Imp. quo in consiliariis & magistratibus legendis uti consueverat. Non enim nisi honestis & bonæ famæ hominibus, & si aliis in muneribus sui specimen dedissent, honorum portas aperiebat. Itaque ubi aliquos vel Rectores provinciarum esset constituturus, vel Præpositos creaturus, vel Procuratores, id est, Rationales ordinaturus, ut si quis quid haberet criminis manifestis rebus probaret: dicebatque grave esse, cùm id Christiani & Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum committerentur, & capita.

Idem nunquã Senatorem sine omniũ senatorum, qui aderant,

 con-

Digitized by Google

consilio fecit, ita ut sententiis & testimoniis omnium crearetur: ac si fefellissent, ut testes, vel ii, qui sententias dicebant, posteà in ultimum rejicerentur locum, civium condemnatione adhibitâ, quasi falsi rei approbati, sine ullius indulgentiæ proposito. *Lamprid. in vit. Alex.*

Quales eligendi.

4 Quales verò, inquies, requiret Princeps? scilicet viros † religiosos ac pios, timentes Dominum, justos, incoruptos, fidos & amicos, veraces, apertos, ac liberè suadentes, nihil simulantes & dissimulantes, literarum gnaros, sapientes & peritos, senes potissimùm, ingenio & judicio pollentes, modestos & placidos, sobrios, secretos & taciturnos, fortes & constantes in facto. De singulis subjiciemus.

Consiliarij Religiosi & pij.

5 Primò, *Religiosos † & pios consiliarios* esse decet. Ita *Plato lib. 1. & 3. de Repub.* Consiliarios sive judices pietate, honestate, & morum probitate imbutos esse vult. Et quidem Religio, † sive prudentia Theologica hoc nomine necessaria est consiliario, ne
6 populus in religione fluctuet; quinam rectè vel malè sentiant, ut sciat: quinam religionis causâ coerceri debeant, vel non: quo modo sectarum vindices evelli possint &c. *Hippol. fol. 225.*

7 Pietate verò sublatâ, † fides tollitur. *Cic. 2. de natur. Deor.* & impietas omnem ex animo peccandi metum evellit, & consilia impiorum fraudulenta sunt. Princeps à Consiliario malo servare animam jubetur in Scriptura Sacra. Is facilè à justitia deviat, inquit *Chrysostom.* qui in causis non Deum, sed homines pertimescit. Proinde Consiliarius plus Deum, quàm Principem timebit. Etenim illi, qui nullo alio, quàm Principis ducantur respectu, idololatræ sunt: si solius Regni: Athei & Machiavellistæ: si sui ipsius Epicuræi & voluptuarii: si pietatis & justitiæ, conservatores sunt Regis & Regni.

Artibus his vetant Reges adversa, sequuntur,
Prospera, quaq; domū, quaq; beant patriam.

Besold. class. 2. disp. Polit. 3. th. 50. Nec non *Antoninus Tessaurus in præfat. decis. Pedemont.* Necesse est Deum timere judices, hoc est, justitiæ illius zelantes & amatores esse, timore quodam reveren-

tiali

Digitized by Google

tiali præcepta ejus custodientes, ac bonæ conscientiæ. Quare
Moyses à Jethrone socero jubetur eligere viros honestos, graves,
sapientes, timentes Dominum, qui oderint avaritiam, & in quibus
sit veritas. *Exod. c.* 18. *v.* 21. Hinc cùm Catalani † optimum factu 8
fore censerent, si Alphonso Regi Arragoniæ adhuc adolescentulo
septem viri ad gubernandam Rempublicam adjungerentur, qui
Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub fre-
no, neque donis, neque muneribus tangerentur: Alphonsum lau-
dasse consilium ferunt: si horum non dico septem, sed unum tan-
tùm dederitis, continuò illi & regimen & regnum ipse facilè con-
cessero, quo pulchrè innuit, paucos bonos Regum consiliarios.
Panorm. lib. 3. *de dict. & fact. Alphonsi.* Ergo inprimis Consilia-
rios oportet esse viros idoneos, probos, & spectatæ virtutis: idque
destinatum † habere animo, ut Principis commodis, id est, publi- 9
cis, serviant. Illi enim si vitiosi sunt, res Principis, sive ille sapiens,
sive insipiens sit, salvæ esse non possunt. *Antimachiavell. libr.* 1.
theorem. 1.

Nec non D. *Ambrosius lib.* 2. *offic. cap.* 22. *de malis Consilia-
rijs*, graviter & eleganter monet, improbos homines, licet pru-
dentes videantur, fugiendos esse. *Quis*, inquit, *in cæno fon-
tem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaq. ubi lu-
xuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi
aliquid hauriendum existimet? Quis non desficiat morum collu-
vionem? Quis utilem causæ alienæ judicet, quem videt inutilem
vitæ suæ? Quis iterum improbum, malevolum, contumeliosum
non fugiat, & ad nocendum paratum? Quis non eum omni studio
declinet? Quis verò, quamvis instructum ad consilij opem, diffici-
lem tamen accessu, ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ
fontem precludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consi-
lium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, ut
nec alijs influat, nec tibi prosit. Pulchrè autem & de illo conve-
nit, qui habens prudentiam, commaculat eam vitiorum sordibus,
eo quòd aquæ exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit.
Quomodo enim eum potes judicare consilio superiorem, quem vi-
deas inferiorem moribus? supra me debet esse, cui me committere*

,, *paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod*
,, *non dat sibi? mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet? cujus*
,, *animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subjuget,*
,, *cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilij locus,*
,, *ubi nullus quieti?* Hæc Ambros.

10 Quis igitur non cernit, à judiciariis mentibus profanum † abesse debere? Nam qui vitiis scatet, fieri non potest, ut vitiis non faveat, ne illa judicando seipsum condemnet. Neque absurdum est magis, quàm cùm judex illud audire cogitur, *Medice cura te ipsum. Erasm. Roterod. chil. 2. cent. 5. adag. 36.* Sic & *Epictetus in sentent.* dicebat, turpe esse, judicem ab alio judicari. Et quòd judex esse non possit, quem cum reo par, aut major macula inficiat, multis auctoritatibus probatur in jure Canonico *caus. 3. q. 7.* Quod si enim, non patimur verrucas nostras, ab iis, qui ulceribus scatent, reprehendi, multò minus vitia à similibus condemnari. *Arnisæ. lib. 1. doct. Pol. c. 16.*

Hinc Xenocrates cùm videret furem quendam duci ad patibulum, subrisit, quòd magni fures minores morte damnarent.

11 Judicet † ergo de alterius errore, qui non habet, quòd in se condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda: ne cùm de alio judicet, in se ferat ipse sententiam. Judicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nullâ offensione, nullâ levitate ducitur. *Ambros. in Psal.* 118. Extat etiam *apud Gell.*
12 *lib.* 18. *c.* 3. *Noct. Attic.* Æschinis † hæc oratio, quâ Timarchum de impudentia arguit. Quænam Lacedæmonii ratio, aut quæ tandem spes erit urbem hanc, & hanc Rempubl. salvam inexpugnabilemque esse diutius posse, si hujuscemodi anteactæ vitæ hominibus consiliariis utemur? Quòd si proba isthæc & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eandem dehonestari turpissimi auctoris contagione.

13 Quare Basilius † ad filium: Consiliariis utere iis, qui rebus propriis benè consuluerunt, rectèque eos administrarunt: non autem iis, qui per imprudentiam malè. Nam qui suis rebus malè prospexit, nunquam alienis benè consulet. Huic consonat illa sententia Isocratis ad Dominicum: Qui malis artibus auxerunt rem-

fami-

familiarem, aut decoxerunt, non est sperandum, eos in alienis negotiis meliores fore. Princeps ergo avaris, improbis, infamibus, turpibus, levibus, futilibus, stultis, decoctoribus nihil credat, nullam existimationis suæ partem committat. *Cicer. lib. 1. epist. Quæritur*, inquit, *Vopiscus in Aureliano, quæ res malos † Principes* ,, 14
faciat? jam primùm licentia, deinde rerum copia, amici præterea ,,
improbi: satellites detestandi, eunuchi avarissimi: aulici vel ,,
stulti, vel detestabiles, & quod negari non potest, Rerumpublica- ,,
rum ignorantia: Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bo- ,,
nus, cautus, optimus venditur Imperator. Tibi verò Princeps o- ,,
ptime Mecænas, isthæc venditio timenda non est, tùm quia omnia ,,
singulari calles prudentiâ, tùm verò quòd non nisi comites aulicos- ,,
que venerabiles adhibes: & ut taceam cæteros, quis modestior, ele- ,,
gantior Cæsare Imp. juvenem extra omnem ingenij aleam posito? ,,
quem tu non immeritò diligis, pientissimeq́; foves, quum apud se ni- ,,
hil habeat antiquius virtute, nihil jucundius, quàm omnia in te of- ,,
ficia reddere cumulatissima. Is tuo usus patrocinio, tuo fretus au- ,,
spicio, ita optimus evasit, ut nihil boni in eo juvene prorsus deside- ,,
retur. Sic ille.

Ex his patet, tutius & conducibilius esse, *si Princeps sit malus*, † *& Consiliarij boni*, q̃. *ut Princeps sit bonus, & Consiliarij mali.* 15
Princeps n. etsi naturâ † sit homo pravus, nihilominùs tamen legibus bonis, ope bonorum Consiliariorum benè & justè Remp. gubernare potest, ac meliora consilia moderationi adhiberi. Notum Domitiani Imp. exempl. qui licet avarus, ambitiosus, crudelis, sævus: tamen quia consiliariis usus est bonis: doctus ac prudentes & amavit & audivit: leges non paucas; easq; utilissimas tulit: coercuit magistratus, juste judicavit: scelera punivit acerrimè. *Sueton. in ejus vit. Antimachiavell. lib. 1. theorem. 1.*

Præstat ut Princeps sit malus, quàm consiliarij.

Deinde plures † difficiliùs, quàm unus flecti possunt, qui de 17
re insignis extat *Lamprid.* locus, quem propter elegantiam asscribere visum est. Verba ejus ad Constantinum Magnum *in Alexandri Severi vita* hæc sunt: *Soles quærere Constantine Maxime, quid sit, quod hominem Syrum & alienigenam, talem Principem fecerit, quum tot Romani generis, tot aliarum provinciarum*

,, *reperiantur improbi, impuri, crudeles, abjecti, injusti, libidinosi.*
,, *Jam primùm possum de bonorum virorum respondere sententia,*
,, *potuisse naturâ, quæ ubiq; una mater est, bonum Principem nasci;*
,, *deinde timore, quòd pessimus esset occisus, hunc optimum factum.*
,, *Sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ, quod in*
,, *Mario Maximo legisti, meliorem esse Rempub. & propè tutiorem,*
,, *in qua Princeps malus est, eâ in qua sunt amici Principis mali: si-*
,, *quidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem*
,, *mali non possunt ab uno, quamvis bono, ullâ ratione superari. Et*
,, *id quidem ab Homero Hamulo ipsi Trajano dictum est, cùm ille di-*
,, *ceret, Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse:*
,, *atq; adeò illum magis odio fuisse, qui Rempubl. pejoris vitæ homi-*
,, *nibus commendaverat, quia melius est unum malum pati, quàm*
,, *multos. Et Alexander quidem & ipse optimus fuit (nam hoc ne-*
,, *mo vult nisi bonus) & optimæ matris consiliis usus est: attamen*
,, *amicos sanctos venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non*
,, *factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum*
,, *inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui,*
,, *non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent: sed san-*
,, *ctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes Principis sui, &*
,, *qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil vende-*
,, *rent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existi-*
,, *mationem Principis sui, sed amarent. Huc accedit, quòd eunu-*
,, *chos nec in consiliis, nec in ministeriis habuit, qui soli Principes per-*
,, *dunt, dum eos more gentium aut Regum Persarum volunt vivere;*
,, *qui à populo etiam amicissimum Principem semovent: qui inter-*
,, *nuntii sunt, aliud quàm respondetur sæpè referentes, claudentes*
,, *Principem suum, & agentes ante omnia, ne quid sciat. Qui cùm*
,, *sint, & pravi fuerint, quid tandem possunt boni sapere?*
,, *Erat denique ejus ipsius sententia: Ego de Præfectorum, & Con-*
,, *sulem, & Senatorum capitibus mancipia ære emta judicare non*
,, *patiar.*

His Lampridii verbis perspicuè docetur, bonos Principis familiares posse ejus amentiæ obviam ire, ac regere effrenes ejus appetitus, Rempub. conservare: sed à bono Principe malos Con-

filiarios

filiarrarios vix ac ne vix quidem corrigi posse, quibus nulla est religio, Principem mendaciis fumisque pascere, quid ipsum scire Reipub intererat.

Secundo loco Consiliarii erunt *alieni* † *ab omni injustitia.* Sic sacra Scriptura: 18 *Justi.*

Judices & Magistratus constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio. Non in alteram partem declinent. *Deut.* 16. 18. *&* 19. *& v.* 20. Justè, quod justum est, persequeris: ut vivas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. *cap.* 1. *v.* 16. *cum seq.* juste quod justum est, judicate, sive civis, sive peregrinus. nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusque personam, quia Dei judicium est,

Idem præcipit Salomon *Proverb.* 18. *v.* 5. *& cap.* 24. *v.* 23. *Ecclesiasticus cap.* 42. *v.* 1. & rursus Moyses *Levit.* 19. *v.* 15. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, juste judica proximo tuo. *Exod.* 23. *v.* 3. pauperis non misereberis in judicio, *& v.* 6. non declinabis in judicium pauperis. *Deuter.* 24. *v.* 17. Non pervertes judicium advenæ & pupilli *Et cap.* 27. *v.* 17. Maledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus, Amen.

Adde *Jerem. c.* 22. *& v.* 3. Hæc dicit Dominus: Facite judicium & justitiam: & liberate vi oppressum de manu calumniantium: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique: & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

Nec non *Sapient. cap.* 1. *v.* 1. diligere justitiam, quia judicant terram. Sunt contra & Deo & hominibus invisi injusti judices, juxta illud *Proverb.* 17. *v.* 15 Abominabilis apud Deum dicitur, qui justificat impium, & condemnat justum. Væ illis, qui leges injustas ferunt, ut pauperes in judicio opprimant, & vim faciant causæ humilium, *Esai. c.* 10. *v.* 1. *&* 2. *Sapient. c.* 2. *v.* 10. nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. *Job. c.* 24. *v.* 8. De Consiliariis dicentibus malum

Digitized by Google

malum bonum, & bonum malum, D. Gregorius scribit *in c. sunt nonnulli dist.* 46. quòd pulvinar sub cubito, & cervical sub capite jacentis ponunt. Verùm tremendo Dei judicio subjacebunt. *Matth. de Afflict. decis. Neapolit* 321 *num.* 20.

19 Imò judicum † officium consistit in justitia administranda: nec judex is dicitur, in quo non est justitia. *text. in caus.* 23. *q.* 2 *c.* 1. *& in c. fraus.* §. *judex, de foro compet. in c. forus, de verb. signific.* imò ne homo quidem: sed potiùs inter animalia bruta connumerandus: cùm optimum animalium sit homo lege fruens, pessimum verò à lege & justitia separatus. *Aristot.* 1. *Polit. Robertus Maranta disput.* 1. *num.* 17. Judex siquidem propterea dictus, quòd jus populo dicat: quòd jure disceptet, id est, rectè judicet. *Isidor. in Etymol.*

Hinc *Philo in lib. de jud.* sicut, ait, ignem oportet calidum esse, ut urat: ita judicem justitiâ oportet imbutum esse, ut eam reddere possit. Hinc judicem suum ita instruit Theod. Rex: esto innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, ara justitiæ, in quem sensum Architas dixit: judicem & aram idem esse. Pariter enim ad utrumque confugiunt, qui injuriâ afficiuntur, sentiens tales oportere judices esse, ut oppressis sint præsidio, ut refert *Aristot. lib.* 3. *Rhet. & Erasm. in apopth.* Quapropter judex erit vir justus & fortis. *Antonin. Tessaurus in præfat. decis. Pedemont. num.* 24. quia, ut ipse explicat, virum se demonstrare debet, non effœminatum, sed animum virilem & fortem habentem, qui calamitosorum precibus non collachrymetur, id enim non est constantis judicis, ut notat *Callistratus.* Nec judices illi apti, qui meticulosi ac timidi.

Turbatur enim animus, judicio spoliatur metu correptus, flectitur precibus, quo minus in improbos animadvertat: etiam potentiâ frangitur. *Plutarch. in Pelopide.* mollitie defatiscit, nec perficere valet, quæ animo concernit. Utque sustentacula in alto contra ventum non permanent: sic cor timidum contra impetum non sustinebit, inquit *Ecclesiast. c.* 22. *v.* 21. *&* 22. Facit huc elegans similitudo *Plinij lib.* 8. *hist. nat c.* 33. Quemadmodum Camaleon, quia animal est pavidissimum, subinde colorem mutat:

ita

ita timendi ad varia confugiunt, non constantes manent in proposito. Noli ergo quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & facias scandalum integritati tuæ. *Ecclesiast. c. 7. v. 6.* Nec non *Greg. Tholozan. lib. 1. de Eunom. c. 8.* Magistratus nullius pertimescere debent magnatis in officio exercendo faciem, non ullis blanditiis decipi, sed simplici rerum veritati fidem habere: cogitantes Dei & Principis munus judicando sibi demandatum, de quo, si non apud Principem, tamen ante magnum Dei tribunal in omnium conspectu reddituri sint rationem. Illud jus est, *dicente Cicerone*, quod neque inflecti gratiâ, neque infringi potentiâ, neque adulterari pecuniâ potest. Unde *Poëta*:

Non illum (judicem) *populi fasces, non pur-*
Flectet. *(pura Regum*

Et sic meritò reprehenditur † Lysander, qui cùm de agri finibus 20
inter se contenderent Argivi & Lacedæmonii: monstrato gladio: Quis hoc, respondit, potitur, de agri finibus optimè dicet. *Plut. in vit. Lysand.* Obliteranda etiam vox illa:

Quis posset (reminiscere)
Armatis tot resistere,
Illorum non in gratiam
Limare juris regulam.

Bartholomæ. Ringwald.

Insuper scire debent judices, Dei † præsentiâ consecratos 21
se esse: nec magis alios judicare, quàm ipsos judicari; ipsis magis, quàm partibus terribile judicium esse. Siquidem litigatores sub hominibus, judices verò Deo inspectore adhibito; causas trutinandas proferunt, ut rescribit Imp. Justinian. *in l. 14. C. de judiciis.* Hac gravi de causa etiam veteres olim juxta templum collocarunt forum judiciale, ut ostenderent à Deo esse constitutos judices: & dum hominibus jus dicunt, à Deo se quoque judicari. *Plat.*

Dd *lib. 6.*

nebatur. Justitia n. pingebatur sine manibus, ut discerent, non Mi-
dæ manum, sed Aristidis animum ad judicium afferendum. Princi-
pum verò signa ita fuerunt constituta, ut ab illorum collo suspen-
sa veritas propenderet: ipsi oculis essent paulò minus clausis, li-
brorum undique tumulo circumjecto ut ostenderetur, veritatem
solummodo spectandam, leges ex libris cognoscendas & obser-
vandas esse, ceu refert *Diodor. Sicul. l. 1. Chrysippus ap. Gell. l. 14. Noct.*
Attic. cap. c. 4. imaginem justitiæ fieri solitam esse dicit à pictoribus *Imago justitiæ.*
Rhetoribusque antiquioribus ad hunc fermè modum: Formâ at-
que filo virginali: aspectu vehementi, & formidabili: luminibus
oculorum acribus: neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ
cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis a. istius significatione
intelligi voluit judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gra-
vem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, erectumque
& arduum ac potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque
terrificum, ut declarat *Gell. d. l.* Magistratus v. avaritiæ † deditus, & 26
lucro inhians, pervertit justitiam: unde altera pars, quæ ad dan-
dum emortuas habet manus, causâ cadet, & oppressus oppressior
fiet. Ita inter † quatuor, quæ humanum judicium pervertunt, de 27
quibus *in caus. XI. quæst. 3. c. 78.* potissimùm munera corrum-
punt. Hæc excœcant oculos sapientum ac judicum, & subver-
tunt verba justorum. *Exod. 23. v. 8. Deut. 16. v. 19. Eccles. 20. v. 31.*
prævaricatio sunt veritatis. *c. qui rectè 11. q. 3.* Manifestum hoc
redditur in filiis Samuelis, Joele & Abia, judicibus in Bersabee.
Hi enim declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera,
& perverterunt judicium. *1. Sam. 8. v. 3.*

Et rectè *Horat. lib. 1. Od. 2.*

Malè verum examinat omnis
Corruptus judex.

Nec non *Tacit. lib. 1. Annal.* invalidum est auxilium legum, quæ
vi, ambitu, postremò pecuniâ turbantur. A quo enim quis pecu-
niam recipit, sui ipsius dominum illum constituit, ut rectè loqui-
tur *Isocr. l. 1.* Hinc Ephialtes ne ab amicis quidem munera accepit,
veritus, ut vel contra jus iis gratificaretur, vel si id non faceret, in-

28 gratus videretur. *Ælianus lib.* 11. *var. histor. c.* 9. His gravem † comminationem addit sacer codex, fore, ut qui impium pro muneribus justificat, ejus radix, quasi favilla fiat: germen ut pulvis ascendat. *Esai.* 5. *v.* 23. & 24.

29. Imò qui rectè † judicat, ex voce *Divi Gregorij*, & præmium remunerationis exspectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit. Bonis male utuntur, qui temporali lucro justè judicant: tales quippe ad veritatem non justitiæ defensio, sed amor pretii provocat, quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à justitiæ confessione recedunt.

30. Ad hanc rem avertendam aphorismus † est cruentissimus in legibus Decemviralibus: Judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus sit, capite punito. De pœna itidem accipientis munera ad judicandum, vid.

31. *tot. tit. ff. ad L. Jul. repetund.* Julius † Cæsar διωροφάγυς judices ordine removit, & dignitate suâ spoliavit. *Suetonius in ejus vita.*

32. De Alexandro † Severo ita scribit *Lamprid. in Alex.* Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo est usus, illum, si unquam furem judicem vidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret, tanquam odium eum tenebat eorum, de quibus apud se probatum esset, quòd fures fuissent. Addit Saptimius, qui vitam ejus non mediocriter executus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos judices, qui furtorum famâ laborassent, etiamsi damnati non essent, ut si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi coleram evomeret, toto vultu inardescente, ita ut nihil posset loqui. Hactenus ille.

33. Aurelianus † quoque fures provinciales repetundarum ac peculatus reos, ultra militarem modum est prosecutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret. *Vopiscus in Aurel.*

34. Notandum hic venit factum Cambysis † Regis Persarum, quod narrat *Herodotus lib.* 5. & vulgo laudatur. Præsidem Sisamnem, qui pecuniâ corruptus injustam sententiam tulerat, interfecit,

perfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamque insitravit tribunali. Posteà filium Otanem in eam sedem collocavit, ac jussit eum intuentem patris exuvias justè judicare, ne simili supplicio afficeretur.

Singulare etiam justitiæ documentum reliquit Anno † Archiepiscopus Coloniensis, Anno Christi 1055. Hic cùm comperisset, judices falsam sententiam in causa fœminæ pauperis tulisse, his omnibus erui oculos jussit, excepto uno, qui compater ipsius erat, hunc enim uno duntaxat oculo privavit, ut alterutro adjutus domum deducere excœcatos posset. Utque hujus rei memoria diuturnior esset, supra domos excœcatorum capita figulina cum effosis oculis collocanda curavit, ut terrori essent prætereuntibus. *Matthias Dresserus Millenar. sext. part. 2. fol. 78. & 79.* 35

Et quamvis *in l. 6. §. 3. in fin. ff. de offic. procons.* Proconsuli permittatur accipere esculentum: dummodo non nimis magnum, tamen neque hoc magistratui & judici capiendum esse, gravissimè censet *Gregor. Tholozan. lib. 7. de Republ. c. 6 num.* 16. cùm & in minimis turpis sit affectio, imò longè turpior & sordidior cupiditas, quàm in majoribus. *Chrysostom. in 1. epist. ad Tim. hom. 3. Andr. Tiraq. leg. connub. 7. n. 17.*

Apud Saxones † etiamnum in viridi est observantia consuetudo ex constitutione Mauritii Electoris, ut aspirantes ad judicia provincialia, juramentum præstent, se repudiato & spreto omni munere pronunciaturos. 36

Simile quippiam in constit. Hispanic. † contineri asserit *Gundissalv. in tract. de hæreti.* 37

Olim quoque insertum erat juramento consiliariorum seu senatorum, quod apud Romanos † præstare tenebantur, illud in hunc modum refert *Camerar. cent. 1. hor. succisiv. c. 33. Juro per Jovem Olympium & Consiliarium, & per Vestam consultricem, & per Jovem maritalem, & Junonem maritalem, & Minervam providam & victoriam, & Venerem & Amicitiam & Concordiam, & Jus atque Fas & Bonam Fortunam, Aliosque universos Deos ac Deas, me sententiam velle dicere secundùm leges & consulta a civitate approbata,* 38

Dd 3

bata, & secundùm decreta Romanorum & leges, quibus nostra Respub. administratur, in respectu utilitatis patriæ, pro viribus meis non aliter, quàm is fecit, qui senator fuit laudatiss. patriæ suæ vel Romanæ vel Græcæ civitatis, neq; gratiæ, neq; odio, neq; muneribus patiar servire judicium consultumve meum, neq; privato addictam sententiam meam, neq; me ulli parti aut homini adjungam, sed tantùm communi utilitati, aucturus pro viribus Rempub. ita ut Dij & boni viri volunt, mihi quidem sanctè jurato benè sit, & Dij atq; dæmones faveant, itemq; meis omnibus cùm amicis, tùm universo generi & familiæ, in perjurio ne deprehendar unquam.

39 Cautè & hodiè † agent Principes, juramento officialium qui adponunt, munera ne sibi dari patiantur, Fürstliche Würtembergische Landsordnung / *fol.* 13. *vers.* Unsere etc. *Besold. class.* 2. *disc. Polit.* 3. *th.* 22.

40 Quartò, *amici* † *& fidi* consiliarii erunt eligendi ad imitationem Davidis *Psal.* 101. *v.* 6. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum. Et quis ab inimico unquã fidele habebit consilium? Bono v. consilio anima recreatur ut dixit Salomon. Quid in vita amico fideli dulcius? quod prædium queve possessio tam opima, tamque omnium fructuum ferax & fertilis, quàm amicus est? *Ant. Guev. in Horolo. Prin. l.* 3. *c.* 58 Oportet g̃, ut Consiliarius fidelem affectum erga Principem & Remp. gerat, & sincero amore, ac pietate debitâ prosequatur, publicis rebus posthabeat privata, quæ *dicente Liv. lib.* 22. semper offecere, officientq; publicis consiliis. Principis negotia tractanti, inquit *Fur. Ceriolan. de consil. c.* 2. non de privato, sed Principis commodo, honori & utilitati prospiciendum est. Qui novit, neque id, quod sentit, explicat, perinde est, ac si nesciret. Qui verò utrumque habet, nisi studiosus Reipub. fuerit, is peræquè nihil ex utilitate civitatis loquetur *Thycyd. d. l.* 2. *de bell. Peloponnes.*

Amici & fidi.

41 Verùm pauci † hodiè ex animo Principi & Reipub. benè cupiunt: multi contrà qui bona Principis, non Principem diligunt, amici sunt, non personæ sed opum. *Guevara d. c.* 58. ubi addit: Commiseratione maximâ prosequendus est Princeps, quem plerique non amore ipsius, sed beneficiorum, quæ ab illo exspectant, gra-

gratiâ sectantur: quod inde manifestum est, quia simul atque blandi ille finem facit, mox contemnere ejus majestatem incipiunt. Expertus hoc est Marcus Aurelius† Imp. filium suum Commodum ita alloquens: Equidem cùm longævam à Diis vitam acceperim, diuturnam horum omnium cepi experientiam. Scito n. me XV. annorum spatio Consulem, Senatorem, Censorem, Prætorem, Quæstorem, Ædilem & Tribunum, & post hæc omnia duodeviginti annis Imperatorem Romanum fuisse, quibus omnibus annis plerique ea, quæ dicebant, ad commodum proprium & damnum proximi dirigebant, ac monstri ita erat, si quis candide ad obsequium, & alterius emolumentum loqueretur. Quare ab iis maximè sibi caveat Princeps, quorum consilia astuta & callida magis, quàm fida sunt. Quo enim quis callidior† & versutior, hoc invisior & suspectus magis esse debet, detractâ opinione probitatis. *Cicer. lib. 2. offic. & Besold. class. 2. disput. Polit. 3. th.* 51. Prudentia sine justitia, calliditas vitiumque, non virtus æstimanda. Falsâ verò prudentiæ imbuti specie, & linguam, non animum instructum habentes, Rempub. mutare suis, non emendare aut servare consueverunt. Hinc *idem Cic. l. 1. offic.* pestem nullam majorem & capitaliorem generi humano & justitiæ esse scribit, quàm eorum, qui tum maximè fallunt, id agunt ut boni viri esse videantur.

Quintò, *veraces*† *& aperti* optandi: cui non est cognitum, inquit *Imp. Justinian. in l. 14. C. de judiciis*, antiquos judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius Sacramentum præstitissent, omnimodò se se eum veritate & legum observatione judicium esse disposituros? Et simul omnibus judicibus jusjurandum judiciale observandum ibidem proponitur. 44 *Veraces & liberè suadētes.*

Hinc rectè *Hippol. à Collib. de consil. fol.* 153. Nihil pejus† iis consiliariis, qui veritatem Principibus reticent: juramento obstringuntur, se sententiam dicturos, & consulturos, ex animi sententia, quæ meliora & utiliora videbuntur; quod si veritatem taceant, nonne perjuri fiunt? 45

Sanè

46 Sanè qui blandis † tantùm & byssinis, ut dicunt, verbis, demulcent Principis aures, similes sunt, *dicente Tholozano*, Medicis, qui ægroto Principi abblandiuntur, ipsique indulgent in propinandis gratioribus medicamentis, & sic mortem potiùs, quàm vitam parant.

47 Quisquis itaque metu alicujus † potestatis veritatem occultat inquit *Augustinus* iram Dei super se provocat, quia magis timet homines, quàm creatorem, cui sanctè promisit, se conscientiam, veritatem, bonum publicum, omnemque honestatem magis curaturum quàm ullum favorem Principis. Detestandos † tamen dicit *Tacit.* qui cum fortuna potiùs Principis loquuntur, quàm cum ipso: qui veri copiam non faciunt, sed suspensa & quò ducantur inclinatura respondent: quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est. *C. Salust. in orat. 2. ad C. Cæsar. de ordin. Repub.* Patres, ait, quorum consilio anteà dubia Respub. stabiliebatur, oppressi ex alienâ libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: Interdum alia, deinde alia decernunt: uti eorum, qui dominantur, simultas, ac arrogantia fert, ita bonum malumque publicum existimant. Quod si aut libertas æqua omnium, aut sententia obscurior esset, majoribus opibus Respub. & minùs potens nobilitas esset, sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est: quippe cùm illis majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem clientelas: cætera multitudo pleraque inscia, sit sententia eorum à metu libera. Ita occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas juxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis est. Verùm eam plerique metu deserunt. *Sic ille.*

48 (margin number beside "gis curaturum")

49 Deploranda † est Principum Christianorum consuetudo, quòd multos ministros habeant, qui iis omnium ferculorum copiam ad mensam adferunt, nullus autem sit, qui ferculum veritatis afferre audeat. *Petr. Gregor. Tholazan. lib. 24. de Republic. cap. 5.*

50 In eundem modum Ludovicum XI. † Regem Galliæ aliquando dixisse ferunt, se in Regno suo, & potissimùm in aulâ abundare omnibus rebus, unâ exceptâ: Interrogatus verò à fami-

familiaribus aulicis, quæ illa? veritatem esse respondit. *Camerar. cent, 1. c. 90.*

Justus Lipsius in not. ad lib. 3. Polit. c. 5. raram†hanc in aulis Principum virtutem dicit, & recitat verba *Senecæ è lib. 6. de benefic.* vis scire cujus rei inopiâ laborant magna fastigia? quid omnia possidentibus desit? ille qui verum dicat. Et hoc est, quod scribit *Camerar. in pr. c. 90.* Potentum parietes & laqueata tecta aulæ libertatis non ferè resonant voces, quo judicare vult: libertatem monendi ab aulis plerumque exulare. 51

Dum autem veritatis amantes deposcimus, simul & liberalitatis†nihil simulantes & dissimulantes, qui liberè suadeant, qui vocem & mentem habeant liberam, gerantque pectus magnanimum & expers tùm metus, tùm adulationis. Hi optimi†Consiliarii, qui semper adsunt vocati, nihil adulantur, nihil occultant: quod Alphonsus Rex Arragonum dicere solebat. Et Fridericus Tertius†Imp optabat, ut Senatores Consiliariique sui de rebus jam judicaturi duas res in vestibulo palatii depromerent, simulationem scilic. & dissimulationem. Et sic fore, ut rectè in rebus quantumvis gravioribus consulerent. *Æn. Sylv. l. 3. com. de dict. & fact. Panormitani c. 2.* 52 53 54

Quare Consiliarii liberè omni timore†deposito, absque omni simulatione & dissimulatione Reipub. consulent, animo suo tenentes illud Prophetæ Regii: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum & non confundebar. *Psalm. 119. v. 46.* Nam vere *Seneca*: justa, qui timet Reges, deponat, omne pellat ex animo decus: Malus est minister regii imperii pudor. Degeneres animos timor arguit, canit *Virgil. 4. Æneid.* Exinde pronunciatum illud cujusdam Politici: *Regum†Consiliarios aut Reges esse oportet, aut Regum animos habere*: accipiunt nonnulli de animo libero & imperterrito, qui debet esse in consiliario, & de libera lingua ac voce. Nec timendum, †quod in Proverbio est: 55 56 57

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Pluris enim faciendus est Deus, quàm Rex, virtutes, quàm vitia. Nec etiam refert, etiamsi in periculum vitæ incideris, ut Michæas.

11. *Reg.* 22. quin potiùs pro justitia & veritate certandum cum periculo vitæ: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos; ut dicitur *Syracid. cap.* 4. *v.* 33. Satius est, immortalem cum Papiniano gloriam sibi acquirere, quàm in perjurii crimen incidere, & salubre
58 consilium supprimere. Sed & veracem mortuum † plus diliget Princeps, quàm adulatorem vivum, & hæredibus mortui compensabit justus & prudens Princeps. *Hippolyt. à Collib. de consil.* Ut enim bona causa: ita & tandem triumphat fides: imò adulatores
59 sæpissimè † ipsis etiam Principibus fastidium pariunt. Memoriæ
60 prodidit *Tacit. lib.* 3. *annal.* Tiberium, † quoties curiâ egrederetur, in hunc modum eloqui solitum: ô homines ad servitutem paratos? Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam
61 projectæ servientium patientiæ tædebat. Et quid rectum † poterit proficisci ab eo, qui linguam frenat ad nutum sui Principis? quid præsidii in ista Repub. in qua videmus curiam elinguem, in qua dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset? *Plin. in Panegyr.* vel ut est *apud Tacit.* ubi non dissentiendi facul-
62 tas relicta est, sed consentiendi necessitas. Deprædicanda † potiùs egregia vox Tyberii *apud Sueton. in ejus vit. c.* 28. in libera civitate linguam mentesque liberas esse debere.

63 Quare libertas nulli † adimenda, vel sententia ullius inter-
64 rumpenda, ne veritas retineatur. Unde Theopompus † Lacedæmoniorum Rex quærenti, quâ ratione fidele servaret regnum? Si amicis, respondit, justam admonendi libertatem concedat. *Plu-*
65 *tarch. in apophthegmat.* rectéque Ludovicus † Rex Galliæ cognomento Sanctus, inter alias ad filium successorem admonitiones ait: Ita te gerito, ut confessarii necessariique & familiares tui possint te liberè admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. *Titius l.* 2. *de reb. Gall.*
66 Ut enim absynthium † nomen omne amittit, si amaritudinem tollat: sic oratio, si libertatem loquendi amittat. *Stobæ. ser-*
67 *mon.* 11. Miser † sanè Imperator, apud quem vera reticentur. *Capi-*
68 *tolin. in Gordiano Jun.* Imò desperata † ejus Principis salus, cujus aures ita formatæ sunt, ut aspera quæ utilia & nihil nisi jucundum accipiat. Justis ergo encomiorum illecebris donatur Capitoli-

Digitized by Google

rius, † qui gratiora dictu alia noverat, sed maluit ipse vera pro gra- 69
tis loqui. Econtrà illorum † Φιλαυτία, ceu perniciosa improba- 70
tur, qui omnes suò ex ore sapere cupiunt, & secus si fiat, odisse in-
cipiunt. Apud Persas † id in more fuisse post alios Historicos testa- 71
tur *Ælianus lib. 12. var.* ut si quis in consiliis, Regi quid contra-
rium dixisset; flagris cæderetur, & loquitur exemplum Xerxis, qui
in expeditione adversus Græcos instituta, Regni sui Proceres ac
Consiliarios convocavit, non ut eorum consilia sequeretur, sed
ut illi suis parerent, quemadmodum apparet *ex Herodoto lib. 7.*
Ejusmodi quoque insolentiæ fuit Imperator Domitianus, † teste 72
Plinio, ut in rogandis sententiis nemo os aperire auderet, ut
unus ille solus diceret, censeret, mandaret, quod sequerentur
omnes.

Exempla eorum, quibus παῤῥησία & monendi libertas extremam peperit miseriam, refert *Camerar. d. c. 90. fol. 421. Schönborner lib. 3. Polit. cap. 24. & Arnisæ. lib. 1. doctrin. Polit. cap. 15. fol. 355.* Ubi simul monet, cautè † agendum esse Consiliariis, ne 73
importuno tempore, aut intempestivis verbis Principem moneant, aut objurgent: Monet id ipsum *Jun. p. 1. q. 25.* dicens: caveatur, ne coram multis, sed privatim objurgationes instituantur: oportet enim tanquam morbi turpis, ita etiam peccati detectionem atque sanationem esse, nihil pompæ, aut ostentationis habere, nec amici, sed rabulæ est, in alienis peccatis gloriam quærere.
Sic Aristomenem † præceptorem suum venenum bibere Ptolo- 74
mæum coegit: quòd in legatione audienda dormitantem illum excitasset, non privatim monuisset. Et illud est quod Clito † ju- 75
gulum fregit, dum enim liberiùs & acerbiùs, in præsentia aliorum, & quidem inter pocula Alexandrum M. admonuisset, & carpsisset, spiculâ transverberatur. *Plut. in vit. Alex.* Sed & *Hippol. de consil. fol. 260.* Consiliarium jubet cavere, ne loquendi libertatem
cum audaciâ † & immodestiâ confundat, & inani jactatione liber- 76
tatis famam fatumque provocet.

Cæterùm sunt & modi, † quibus Princeps efficiet, ut Consi- 77
liarii liberè mentem suam explicent; Præcipuus videtur iste, ne judicium † suum de re proposita aperiat. Pauci n. reperientur, in quos 78

Digitized by Google

bata, & secundùm decreta Romanorum & leges, quibus nostra Respub. administratur, in respectu utilitatis patriæ, pro viribus meis non aliter, quàm is fecit, qui senator fuit laudatiss. patriæ suæ vel Romanæ vel Græcæ civitatis, neq; gratiæ, neq; odio, neq; muneribus patiar servire judicium consultumve meum, neq; privato addictam sententiam meam, neq; me ulli parti aut homini adjungam, sed tantùm communi utilitati, aucturus pro viribus Rempub. ita ut Dij & boni viri volunt, mihi quidem sanctè jurato benè sit, & Dij atq; dæmones faveant, itemq; meis omnibus cùm amicis, tùm universo generi & familiæ, in perjurio ne deprehendar unquam.

39 Cautè & hodiè † agent Principes, juramento officialium, qui adponunt, munera ne sibi dari patiantur, Fürstliche Würtembergische Landsordnung/ *fol.* 13. *verf.* Wusere ic. *Besold. class.* 2. *diss. Polit.* 3. *th.* 21.

40 Quartò, *amici* † & *fidi* consiliarii erunt eligendi ad imitationem Davidis *Psal.* 101. *v.* 6. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum. Et quis ab inimico unquã fidele habebit consilium? Bono v. consilio anima recreatur ut dixit Salomon. Quid invita amico fideli dulcius? quod prædium queve possessio tam opima, tamque omnium fructuum ferax & fertilis, quàm amicus est? *Ant. Guev. in Horolo. Prin. l.* 3. *c.* 58 Oportet g, ut Consiliarius fidelem affectum erga Principem & Remp. gerat, & sincero amore, ac pietate debitâ prosequatur, publicis rebus posthabeat privata, quæ *dicente Liv. lib.* 22. semper offecere, officientq; publicis consiliis. Principis negotia tractanti, inquit *Fur. Ceriolan. de consil. c.* 2. non de privato, sed Principis commodo, honori & utilitati prospiciendum est. Qui novit, neque id, quod sentit, explicat, perinde est, ac si nesciret. Qui verò utrumque habet, nisi studiosus Reipub. fuerit, is peræquè nihil ex utilitate civitatis loquetur *Thycyd. d. l.* 2. *de bell. Peloponnes.*

Amici & fidi.

41 Verùm pauci † hodiè ex animo Principi & Reipub. benè cupiunt: multi contrà qui bona Principis, non Principem diligunt, amici sunt, nón personæ sed opum. *Guevara d. c.* 58. ubi addit: Commiseratione maximâ prosequendus est Princeps, quem plerique non amore ipsius, sed beneficiorum, quæ ab illo exspectant,

gra-

Digitized by Google

gratiâ sectantur: quod inde manifestum est, quia simul atque laudandi ille finem facit, mox contemnere ejus majestatem incipiunt. Expertus hoc est Marcus Aurelius† Imp. filium suum Commodum ita alloquens: Equidem cùm longævam à Diis vitam acceperim, diuturnam horum omnium cepi experientiam. Scito n. me XV. annorum spatio Consulem, Senatorem, Censorem, Prætorem, Quæstorem, Ædilem & Tribunum, & post hæc omnia duodeviginti annis Imperatorem Romanum fuisse, quibus omnibus annis plerique ea, quæ dicebant, ad commodum proprium & damnum proximi dirigebant, ac monstri ita erat, si quis candide ad obsequium, & alterius emolumentum loqueretur. Quare ab iis maximè sibi caveat Princeps, quorum consilia astuta & callida magis, quàm fida sunt. Quo enim quis callidior† & versutior, hoc invisior & suspectus magis esse debet, detractâ opinione probitatis. *Cicer. lib. 2. offic. & Besold. class. 2. disput. Polit. 3. th. 51.* Prudentia sine justitia, calliditas vitiumque, non virtus æstimanda. Falsâ verò prudentiæ imbuti specie, & linguam, non animum instructum habentes, Rempub. mutare suis, non emendare aut servare consueverunt. Hinc *idem Cic. l. 1. offic.* pestem nullam majorem & capitaliorem generi humano & justitiæ esse scribit, quàm eorum, qui tum maximè fallunt, id agunt ut boni viri esse videantur. 43

Quintò, *veraces* † *& aperti* optandi: cui non est cognitum, inquit *Imp. Justinian. in l. 14. C. de judiciis,* antiquos judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius Sacramentum præstitissent, omnimodò se se cum veritate & legum observatione judicium esse dispositUros? Et simul omnibus judicibus jusjurandum judiciale observandum ibidem proponitur. 44 *Veraces & liberè suadētes.*

Hinc rectè *Hippol. à Collib. de consil. fol. 153.* Nihil pejus† iis consiliariis, qui veritatem Principibus reticent: juramento obstringuntur, se sententiam dicturos, & consulturos, ex animi sententia, quæ meliora & utiliora videbuntur; quod si veritatem taceant, nonne perjuri fiunt? 45

Sane

46 Sanè qui blandis † tantùm & byssinis, ut dicunt, verbis, demulcent Principis aures, similes sunt, *dicente Tholozano*, Medicis, qui ægroto Principi abblandiuntur, ipsique indulgent in propinandis gratioribus medicamentis, & sic mortem potiùs, quàm vitam parant.

47 Quisquis itaque metu alicujus † potestatis veritatem occultat inquit *Augustinus* iram Dei super se provocat, quia magis timet homines, quàm creatorem, cui sanctè promisit, se conscientiam, veritatem, bonum publicum, omnemque honestatem ma-

48 gis curaturum quàm ullum favorem Principis. Detestandos † tamen dicit *Tacit.* qui cum fortuna potiùs Principis loquuntur, quàm cum ipso: qui veri copiam non faciunt, sed suspensa & quò ducantur inclinatura respondent: quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est. *C. Salust. in orat. 2. ad C. Cæsar. de ordin. Repub.* Patres, ait, quorum consilio anteà dubia Respub. stabiliebatur, oppressi ex alienâ libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: Interdum alia, deinde alia decernunt: uti eorum, qui dominantur, simultas, ac arrogantia fert, ita bonum malumque publicum existimant. Quod si aut libertas æqua omnium, aut sententia obscurior esset, majoribus opibus Respub. & minùs potens nobilitas esset, sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est: quippe cùm illis majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem clientelas: cætera multitudo pleraque inscia, sit sententia eorum à metu libera. Ita occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas juxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis est. Verùm eam plerique metu deserunt. *Sic ille.*

49 Deploranda † est Principum Christianorum consuetudo, quòd multos ministros habeant, qui iis omnium ferculorum copiam ad mensam adferunt, nullus autem sit, qui ferculum veritatis afferre audeat. *Petr. Gregor. Tholozan. lib. 24. de Republic. cap. 5.*

50 In eundem modum Ludovicum XI. † Regem Galliæ aliquando dixisse ferunt, se in Regno suo, & potissimùm in aulâ abundare omnibus rebus, unâ exceptâ: Interrogatus verò à fami-

familiaribus aulicis, quæ illa? veritatem esse respondit. *Camerar. cent. 1. c. 90.*

Justus Lipsius in not. ad lib. 3. Polit. c. 5. raram†hanc in aulis Principum virtutem dicit, & recitat verba *Senecæ è lib. 6. de benefic.* vis scire cujus rei inopiâ laborant magna fastigia? quid omnia possidentibus desit? ille qui verum dicat. Et hoc est, quod scribit *Camerar. in pr. c. 90.* Potentum parietes & laqueata tecta aulæ libertatis non ferè resonant voces, quo judicare vult: libertatem monendi ab aulis plerumque exulare. 51

Dum autem veritatis amantes deposcimus, simul & liberalitatis†nihil simulantes & dissimulantes, qui liberè suadeant, qui vocem & mentem habeant liberam, gerantque pectus magnanimum & expers tùm metus, tùm adulationis. Hi optimi†Consiliarii, qui semper adsunt vocati, nihil adulantur, nihil occultant: quod Alphonsus Rex Arragonum dicere solebat. Et Fridericus Tertius†Imp optabat, ut Senatores Consiliariique sui de rebus jam judicaturi duas res in vestibulo palatii depromerent, simulationem scilic. & dissimulationem. Et sic fore, ut rectè in rebus quantumvis gravioribus consulerent. *Æn. Sylv. l. 3. com. de dict. & fact. Panormitani c. 2.* 52 53 54

Quare Consiliarii liberè omni timore†deposito, absque omni simulatione & dissimulatione Reipub. consulent, animo suo tenentes illud Prophetæ Regii: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum & non confundebar. *Psalm. 119. v. 46.* Nam vere *Seneca*: justa, qui timet Reges, deponat, omne pellat ex animo decus: Malus est minister regii imperii pudor. Degeneres animos timor arguit, canit *Virgil. 4. Æneid.* Exinde pronunciatum illud cujusdam Politici: *Regum†Consiliarios aut Reges esse oportet, aut Regum animos habere*: accipiunt nonnulli de animo libero & imperterrito, qui debet esse in consiliario, & de libera lingua ac voce. Nec timendum, †quod in Proverbio est: 55 56 57

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Pluris enim faciendus est Deus, quàm Rex, virtutes, quàm vitia. Nec etiam refert, etiamsi in periculum vitæ incideris, ut Michæas.

Digitized by Google

11 *Reg.* 22. quin potiùs pro justitia & veritate certandum cùm periculo vitæ: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos, ut dicitur *Syracid. cap.* 4. *v.* 33. Satius est, immortalem cum Papiniano gloriam sibi acquirere, quàm in perjurii crimen incidere, & salubre
58 consilium supprimere. Sed & veracem mortuum † plus diliget Princeps, quàm adulatorem vivum, & hæredibus mortui compensabit justus & prudens Princeps. *Hippolyt. à Collib. de consil* Ut enim bona causa: ita & tandem triumphat fides: imò adulatores
59 sæpissimè † ipsis etiam Principibus fastidium pariunt. Memoriæ
60 prodidit *Tacit. lib* 3. *annal.* Tiberium, † quoties curiâ egrederetur, in hunc modum eloqui solitum: ô homines ad servitutem paratos? Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam
61 projectæ servientium patientiæ tædebat. Et quid rectum † poterit proficisci ab eo, qui linguam frenat ad nutum sui Principis? quid præsidii in ista Repub. in qua videmus curiam elinguem, in qua dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset? *Plin. in Panegyr.* vel ut est *apud Tacit.* ubi non dissentiendi facul-
62 tas relicta est, sed consentiendi necessitas. Deprædicanda † potiùs egregia vox Tyberii *apud Sueton. in ejus vit. c.* 28. in libera civitate linguam mentesque liberas esse debere.
63 Quare libertas nulli † admenda, vel sententia ullius inter-
64 rumpenda, ne veritas retineatur. Unde Theopompus † Lacedæmoniorum Rex quærenti, quâ ratione fidele servaret regnum? Si amicis, respondit, justam admonendi libertatem concedat. *Plu-*
65 *tarch. in apophthegmat.* rectéque Ludovicus † Rex Galliæ cognomento Sanctus, inter alias ad filium successorem admonitiones ait: Ita te gerito, ut confessarii necessariique & familiares tui possint te liberè admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. *Titius l.* 2. *de reb. Gall.*
66 Ut enim absynthium † nomen omne amittit, si amaritudinem tollat: sic oratio, si libertatem loquendi amittat. *Stobæ. ser-*
67 *mon.* 11. Miser † sanè Imperator, apud quem vera reticentur. *Capi-*
68 *tolin. in Gordiano Jun.* Imò desperata † ejus Principis salus, cujus aures ita formatæ sunt, ut aspera quæ utilia & nihil nisi jucundum accipiat. Justis ergo encomiorum illecebris donatur Capitolinus,

Digitized by Google

mus, † qui gratiora dictu alia noverat, sed maluit ipse vera pro gra- 69
tis loqui. Econtrà illorum † Φιλαυλία, ceu pernitiosa improba- 70
tur, qui omnes suô ex ore sapere cupiunt, & secus si fiat, odisse in-
cipiunt. Apud Persas † id in more fuisse post alios Historicos testa- 71
tur *Ælianus lib. 12. var.* ut si quis in consiliis, Regi quid contra-
rium dixisset, flagris cæderetur, & loquitur exemplum Xerxis, qui
in expeditione adversus Græcos instituta, Regni sui Proceres ac
Consiliarios convocavit, non ut eorum consilia sequeretur, sed
ut illi suis parerent, quemadmodum apparet ex *Herodoto lib. 7.*
Ejusmodi quoque insolentiæ fuit Imperator Domitianus, † teste 72
Plinio, ut in rogandis sententiis nemo os aperire auderet, et
unus ille solus diceret, censeret, mandaret, quod sequerentur
omnes.

Exempla eorum, quibus παῤῥησία & monendi libertas ex-
tremam peperit miseriam, refert *Camerar. d. c. 90. fol. 421. Schön-
borner lib. 3. Polit. cap. 24. & Arnisæ. lib. 1. doctrin. Polit. cap. 15.
fol. 355.* Ubi simul monet, cautè † agendum esse Consiliariis, ne 73
importuno tempore, aut intempestivis verbis Principem mone-
ant, aut objurgent: Monet id ipsum *Jun. p. 1. q. 25.* dicens: cavea-
tur, ne coram multis, sed privatim objurgationes instituantur:
oportet enim tanquam morbi turpis, ita etiam peccati detectio-
nem atque sanationem esse, nihil pompæ, aut ostentationis habe-
re, nec amici, sed rabulæ est, in alienis peccatis gloriam quærere.
Sic Aristomenem † præceptorem suum venenum bibere Ptolo- 74
mæum coegit: quòd in legatione audienda dormitantem illum
excitasset, non privatim monuisset. Et illud est quod Clito † ju- 75
gulum fregit, dum enim liberiùs & acerbiùs, in præsentia alio-
rum, & quidem inter pocula Alexandrum M. admonuisset, & car-
psisset, spiculâ transverberatur. *Plut. in vit. Alex.* Sed & *Hippol. de
consil. fol. 260.* Consiliarium jubet cavere, ne loquendi libertatem
cum audaciâ † & immodestiâ confundat, & inani jactatione liber- 76
tatis famam fatumque provocet.

Cæterùm sunt & modi, † quibus Princeps efficiet, ut Consi- 77
liarii liberè mentem suam explicent: Præcipuus videtur iste, ne judi-
cium † suum de re propositâ aperiat. Pauci n. reperientur, in quos 78

Lenccius obser v. Pol.t. 221. qui cognitâ voluntate Principis contra eam differere aut confulere audeant.

79 Hac de cauſa † Alexander Auguſtus, poſtremo loco dicere ſententias ſuas, ſunt ſoliti, ne propter auctoritatem alii ſuas ſequerentur.

80 Apud Romanos † itidem in omnibus comitiis, ubi quid cum populo agendum erat, priùs privatis hominibus, concio dabatur, quàm magiſtratum tenentibus, ne quis nimirum potentioris ſententiâ (ut fieri ſolet) præventus, ſuam ipſe ſuppримeret: Sed ſumma cum libertate, quod ſentiret, exponeret. *Dio Caſſ. lib.* 39. *Simanca de Repub. l.* 7. *c.* 12.

81 Sic *Plin.* Trajanum † laudat, quòd eo rogante ſententias liberè dicere liceret, vinceretque ſententia non prima, ſed melior.

82 Nec enim interrogatur † Conſiliarius ut ſtatuat, aut imperet, ſed ut ſententiam ſuam dicat ſine fuco, invectivis & verbis durioribus conſervatâ majeſtate Principis, qui libertatem dicendi de iis, quæ juſta videntur conſultori, æquo animo ferre debet. Hic enim quæ meliora & utiliora videbuntur, juravit. *Jun. part.* 1. *quaſt.* 25.

Aliud medium ponit *Machiavell in tract. de princ. c.* 23. ut

83 nimirum Princeps maximè † ſuccenſeat, ſi quempiam noverit inter Conſiliarios, qui aliquo ad ſe reſpectu veritatem reticeat. E-

84 contrà ſi Princeps ab aſſentatoribus † velit eſſe immunis, faciet, ut quivis intelligat, ſe non offenſum iri, ſi quis candidè & ingenuè ſententiam ſuam, ut decet, exponat. Nec enim dubium eſt, Conſiliariorum animos magna ex parte debilitari & frangi, quando Princeps vultu ipſo iracundiam aut ſeveritatem oſtendit. *Hippol. de conſil. fol.* 258.

85 Sed ea † non tantùm Principum, ſed & mortalium ferè omnium eſt natura, ut annuentes & applaudentes æquiſſimè audiant: reſiſtentes verò averſentur, ineptosque judicent.

86 Sextò, *literarum* † *artium cognitione* Conſiliarius carere non poterit. Nam regiis † artibus præſtet opus eſt, qui Regem eſt conſilio adjuturus. *Hippol. de conſil. fol.* 218. *in fin.* Et bis vident,

Literarũ gnari.

87 qui literas diſcunt, juxta illud Menandrinum. Perbellè dixit

præſtan-

præstantissimus JCtus *Gabriel Saraina Veronensis*: Nemo † in scenam prodit, nisi histrionicam probè meditatus: nemo fidibus ludit, nisi Musicam teneat; quanto magis oportet eos, qui Rempub. capessunt, qui consilium, qui opem innocentibus pollicentur, necessariis ad Rempub. pertinentibus artibus anteà exornari? Et Ægyptii circumdabant justitiæ picturam libris, ut indicarent doctrinam in judice necessariò requiri. *Cælius Rhodiginius l. 23. lect. antiq. c. 18.* 88

Consiliarii ergo sive judices, ut conscientiæ † suæ benè consulant, ac officio satisfaciant, tantum sibi comparabunt *scientiæ legalis*, quantum ad causas judicandas erit necessarium, judices enim duplicem † debent habere salem: scientiæ, sine quo sunt insipidi, & conscientiæ, sine quo sunt diabolici, ut dixit *Bald. in l. 1. C. de sent. ex brevi recit.* ignorantia † judicis plerunque est calamitas innocentis. *Augustin. lib. 19. de civit. Dei. c. 6.* mater erroris. *c. 1. distinct. 38.* adeoque intolerabilis in illis, qui præsunt. *c. si in laicis distinct. 38.* 89 90 91

Unde graviter Quintus Mutius † Severum Sulpitium reprehendit ob ignorantiam juris dicens: Turpe est patritio, & nobili, & causas oranti, jus in quo versatur, ignorare. *l. necessarium. §. Servius. ff. de orig. jur.* non minùs quàm Medico, & gubernatori, morbos cognoscendi & curandi, aut navigandi peritiâ carere. Qui ergo judex à grandi † vitio & reprehensione erit immunis, cujus pectus nullo intellectu, & jurium sale est conditum? qui velut hospes in aliena regione secundum jus & fas dicere poterit? Sunt enim leges † tanquam Cynosura & Helice, ad quas injudicando pronunciandoque judicem respicere oportet. Hac de causa judex ignoranter † vel malè procedens, litem suam facit, ut constat *ex eod. tit. de pœn. jud. qui malè judic.* 92 93 94 95

Apage igitur illiteratos † ignaros, & imperitos, scabinos analphabetos, rusticos ex arbitrio judicantes, confusè omnia, sine certa consuetudine, sine ordine & stylo, aut ulla Scriptura transigentes, mutantes, alterantes, sordidantes. *Althus. in Polit. c. 24. fol. 330. edit. prior. & Dn. Besold. class. 1. disput. Polit. 3. thes. 26.* Non major abusio videtur, quàm per eos, qui rus- 96

co-

colunt, jus in provinciis dictari: qui juris notitiâ legibus excusantur.

97 Hic verò *Robertus lib. 3. sentent. c. 7.* distinguit inter† judices, qui tantùm controversiis & litibus dirimendis adhibentur, & inter eos, qui aliis Reipub. negotiis disceptandis & exequendis admoventur, quos legum scientiâ carere posse putat. Sic militaribus hominibus judicandi conceditur facultas. *l. 17. C. de judiciis,* ubi Imp. ait: Quid enim obstaculi est, homines qui alicujus rei peritiam habent, de eâ re judicare? ubi notat *Dionys. Gothofred. sub tit. 2.* quòd peritia usu & praxi etiam comparetur, *& in l. 6. C. de decur.* expertes literarum decurionis munera peragere non prohibentur.

98 Aliter *Cujacius in Novell. 28.* dum magistratui indulget imperitiam legum, modò Assessores † habeat peritos. Indulget etiam *Gothofred. ad l. 1. C. de postuland. sub lit. m.* dicens: Jurisprudentia requiritur in Assessore, ut hic. *& l. 1. C. de Assessor. Novell. 82.* At non in eo, cui assidetur, ideoque Assessori imputatur imprudentia, non magistratui. *l. 2. ff. quod quisq. juris &c.* quare præcipit *Damhoud. in practic. crimin cap. 76. num. 35.* ut judex audeat JCtos, quo ignorantiæ suæ ex parte medeatur.

Ab eo tamen dissentit *Dn. Arnisæ. lib. 1. doctrin. Polit. c. 16.*
99 *fol. 391.* ajens: Miser† est, qui ex alieno pectore sapere cogitur, qua
100 de causa Persæ† ridebant Romanos, quòd apud eos viri indocti ju-
101 dicum munus sustinerent. *Ammian. l. 23.* Sanè Manlius† Torquatus, cui cùm consulatus deferretur, sub excusatione adversæ valetudinis oculorum eum renunciavit, & pessimum exemplum se introducturum veritus est, si alienis oculis Rempub. administrandam susciperet. *Valer. Maxim. lib. 6. de dict. & fact. memorabil.*
102 *c. 4.* quâ igitur † fronte, quo pudore Reipub. negotia tractanda susciperent illi, qui eruditione, mentis oculo, carent, & toti ex alio-
103 rum judicio & cerebro dependent? Nec excusatus† est judex, scribit ibid. si malè pronunciatum ab JCtis sententiam exequatur, quam ex officio suo corrigere, aut mitigare debuisset. Judicis enim causa agitur, quando sententia pronunciatur. Nec non *Bal-*

dus

dus in l. 1. *C. ne ex delict. defunct.* judicem in criminalibus † injustè 104 procedentem, putat teneri lege Corneliâ de Sicar. quem capitis damnat. & Macer. *in l. 7. §. fin. ff. ad L. Jul. repetund.* statuit, quòd injustè aliquem morti adjudicans, ipse capite puniri debeat.

Non modò verò legum & canonum, sed etiam † morum, 105 animorum & statutorum provinciæ consiliarius erit gnarus. Quandoquidem incommoda multa ex ignorantia ejus Reipubl. cui inserviet, quamque curandam suscepit, nascuntur. Proinde omnia illius Reipub seu Principatus, etiam minutissima, quæ neglecta detrimento esse possunt, scire debet.

Itaque consideret † naturam populi subditorum & vicinorum: cognoscat ipsum Principem & aulam ex omni parte, ut & 106 cæterorum Administratorum, & Consiliariorum naturam, mores, omnem denique administrationem quæ provinciæ, civitates, oppida, loca isti ditioni subjecta. Quidnam in Principatu controversum, & cum quibus, & quibus de causis. *Hippol. de cons. fol.* 263. *Fur. Ceriolan. de concil. & consil. c.* 2.

Præterea *prudentia* † *Theologica*, & ea quæ quidem maximè, 107 necessaria est Consiliario, ut sciat, quinam rectè vel malè in Religione sentiant, quinam Religionis causâ coerceri debeant, vel non, quomodo sectarum vindices evelli possint.

Necessaria etiam est *cognitio Rerumpubl.* † *& Historiarum* 108 *omnis temporis*. Sic enim *Aristotel. lib.* 1. *Rhetor. cap.* 11. ad consultationes, res gestas utilissimas esse affirmat. Nam ut plurimum præteritis futura similia sunt. Magnam sane copiam & ubertatem earum rerum suppeditat Historia, quæ ad vitam rectè instituendam & Rempublic. optimè administrandam pertinent.

Disciplina † *practica* quoque (Ethica scilicet, Oeconomica 109 & Politica) Consiliario maximo adjumento erunt. Hæ enim ex ipsis rerum experimentis prodiere, iisque instructi magni viri præclarè Remp. sæpè gesserunt.

Num

Ne puero gladium.

Ceu refert *Desider. Erasmus Roterodamus chiliad. 2. centur. 5. adag. 18.*

Quid nobis statuendum videbitur? Scilicet hæc & ejusmodi alia esse intelligenda de Philosophia, quæ ex inanibus speculationibus prodit, & quæ in meris ideis animi, vacui ab omni gubernatione fingitur; vel, de Philosophastris, qui vel sine judicio Philosophiæ operam dant, vel nimio ejus studio ducti Philosophiâ uti nesciunt, & sapientes sunt, præterquàm in iis, in quibus sapientes esse debent, non verò de iis, qui usum & exercitationem conjungunt, ut utar verbis *Hippolyti à Collib. de consil. fol. 231. & fol. 217.* Quamvis, ait, cum de vera Philosophia loquimur, eam intelligimus, quæ in actione consistit, moralem scilicet, familiarem & civilem: alterius tamen etiam, quæ in contemplatione versatur, naturalis scilicet, & Mathematices gnarum esse vellem Consiliarium. Turpe esset homini Consiliario in Regum & Principum aulis versanti, & cum magnis viris sæpè congredienti loqui nescire de naturæ rerum causis, quæ vis materiem omnem, & quicquid ex ea efficitur, & quasi informatur, contineat, quàm variæ ex ea & multiformes expressæ fuerint qualitates, unde illa corpora extiterint, quæ *Elementa* vocamus, quæ vis fulmina & tonitrua impellat, inusitatos ignes accendat, arcum tam variis coloribus distinguat, ventorum prælia concitet, terram concutiat, aquis terras aperiat, aut perpetuos terrarum tractus aquis obruat, & similia. Sed Mathematicis inprimis artibus instructum eum esse utilissimum fuerit. Astronomia, præterquam quòd Physicæ proxima est, dat nobis exquisitam Solis & Lunæ cursus, denique omnium rerum cœlestium cognitionem. *Sic ille.*

Ab aliis requiritur cognitio Philosophiæ utriusque, theoreticæ & practicæ: Magis tamen hujus quàm illius. Unde & hanc illi necessariam dicunt, illam verò utilem.

III *Eloquentia.* *Eloquentia* † quoque requiritur, verissima namque est assertio Platonica: Oratoriam animis hominum imperitare. Sanè quanta vis sit eloquentiæ in seditionibus compescendis, testatur Menenii Agrippæ apologus, item Furii Camilli & Valerii oratio apud Livium. Testatur etiam *Maro* hisce versibus:

Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta
Seditio est, sævitq; animis ignobile vulgus:
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexère, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Et quamvis in sententia dicenda eloquentia nō requiratur (Consiliarii enim munus præcipuum non est delectare, & verborum lenociniis persuadere, sed nudè sententiam suam explicare) fieri tamen potest, ut quis ad alias Respublicas mittatur ad suadendum, dissuadendum, vituperandum, gratulandum, dolendumve: fieri etiam potest, ut ei mandato Principis sui, sive apud Principes exteros, eorumve legatos, sive apud populum, ut ipsum forte à furore ad sanitatem perducat, loquendum sit: ibi orationem Consiliario sapientissimis gravissimisque verbis perpolitam esse necesse est. *Hippol. fol.* 240. *& seq.* ubi laudat non multiloquam illam & vagam, sed brevem, argutam, & Laconicam eloquentiam, ad audientium aures accommodatam Idem facit *Alberic. Gentil lib.* 3. *de legat. c.* 6. Fusa enim & Asiatica illa dicendi ratio scholam redolet, & ingenii ostentationem arrogantiamque nonnunquam præ se fert.

IIX *Sapientia & periti.* Septimò, *sapientes*, † *prudentes, & rerum usu exercitati*, inquirendi, & à Principe judicandi muneri præficiendi: Imperiti enim in rebus, veluti peregrini in viis errare solent. *Stobæ. serm.* 4. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & cognitos per tribus vestras,

ſtras, & ponam vobis eos Principes. *Deut. 1. v. 13.* poſtquam Salomon poſt obitum patris ſui Davidis Rex eſſet conſtitutus, & à Deo poteſtatem liberè petendi quidvis accepiſſet, maximam Regni ſui amplitudinem & innumerabilem populi multitudinem intuitus, non divitias, non dies multos, ſed ſapientiam & cor docile petiit, adjudicandum populum Domini. *1. Reg. 3. v. 9.* intellexit ipſe, imperare omninò artem eſſe omnium maximam, adeoque maximam & poteſtatem & ſummum imperium, ſummam quoque ſapientiam requirere.

Quare & *Apulei. in lib. de Philoſ.* ſapientiam tanquam proprium requiſitum judicis urget, & quâ re magis erit opus ipsâ prudentiâ? unde rectè *Vincent. Caſtellan. de offic. Reg.* vult, ut non tantùm optimi, ſed & prudentiſſimi ad regiam amicitiam adſciſcantur. Nam ſi viro bono, inquit, demandetur cura gubernandæ navis, ſi eidem ſumma imperii in periculis Reipub. deferatur, qui ſit rudis in utroque genere, maximum ſubeſt periculum & naufragii & Reipub. cladis. Verè itaque Virgilius Auguſto quærenti, quâ ratione civitas feliciter gubernaretur: Si, inquit ille, prudentiores clavum teneant, & boni viri malis præponantur. Et viri exercitati judicium† æquipollet judicio eruditorum, *teſte Ariſtot.* imò 113
Herman. Kirchner. in Repub. diſput. 11. th. 1. ad lit. e. ex Vult. diſput. Schol. c. 8. experientiam rerum non modò peritiæ linguarum, & legum confert, ſed etiam præfert idem facit *Johannes ab Affelen in viro Politico fol. 21. & ſeq.* & inter alia probat exemplo Cominæi: Is, inquit, literas Latinas nunquam attigit, majori domi foriſque uſui, Regi ſuo fuit, quàm quarta pars omnium literatorum totius Galliæ, ut qui ex commentariis ejus paginæ unius digreſſiunculam potiorem homini Pragmatico, quàm integrum ex Metaphyſicis librum, ſtatuerit, ſtomacho mihi ſano & latranti edulio opus eſſe non vellicatione, ſtatuiſſe videatur. Et omninò, quia literæ virtutem neque dare, neque auferre poſſunt, (ex Seneca in epiſt.) viros ſæpè doctiſſimos minus commodè, vix literis imbutos præclariſſimè in Repub. verſatos, qui rerum teneat memoriam, parum dubitabit. *Sic ille.*

Conſiliarius ergo notas† habere debet omnes res, quæ à 114

Digitized by Google

rationeque præcipuè solicitus erit, totusque in eo versabitur, ut non solum quid sequendum sit, sed quâ illud viâ sequendum, utque & quid deceat, quid etiam oporteat, & quantum quoque & quousque oporteat, in scapulo ipso probè perpensum habeat.

Decimò, *modestiæ* † *& mansuetudinis jubar* in Consiliario 118
elucere debet. Illi optimi, qui specie obsequii regunt, ad omnia *Modestia*
que, quæ agenda sunt, quietâ industriâ adsunt. *Tacit.* 3. *hist.* Beatos *& placidi.*
esse in terris Reges ajebat Sigismundus Imp. si exclusis superbis, mansuetudinis humanitatisque cultores incuriam susciperent.

Consiliarius ergo sit facilis; † non arrogans, contumax, pu- 119
gnax, cōtumeliosus, obtrectator, osor, invidus, æmulus & *αὐθάδης*: qui consilii, quamvis egregii, quod non ipse attulit, fit inimicus, & qui omnes ex ore suo sapere velit, de quo hominum genere recte *Terent in Adelph. Act.* 1. *Scen.* 2.

Homine imperito nihil quicquā est injustius,
Qui nisi id, quod ipse facit, nihil rectum putat.

Isti † suffeni, scribit *Schönborn. lib.* 3. *cap.* 24. prolabuntur prudentiæ fiduciâ: & quemadmodum Simiæ præ nimia exosculatione suos enecant fœtus, *Pier. lib.* 6. *hierogl. p.* 59. ita hi se ipsos perdunt; quòd nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putant. Recitat etiam & stringit in eos egregium *Emblema* 69. *Alciati*, *sub tit. Cæcus amor sui*, in hunc modum:

Quod nimiū tua forma tibi, Narcisse placebat,
In florem & noti est versa stuporis olus.
Ingenii est marcor, cladesq; φιλαυτία, doctos
Quæ pessum plures datq; deditq; viros:
Qui veterum abjecta methodo nova dogmata
Nil q; suas præter tradere phātasias (quærūt,

120 Præterea *sobrietas*† Consiliarios commendabit, Sobriè enim non gravatis mero viribus consultationes inibunt, ut aciem ingenii extendere possint ad res, quæ in deliberationem cadunt.
121 Et sic non immeritò reprehensionem incurrunt † Persæ, quod inter convivia & benè poti de rebus seriis deliberaverint. *Herodot. lib.* 1.

122 Quem morem etiam tenuerunt antiqui † Germani, ut testatur *Cornelius Tacitus in lib. de moribus Germanor.* hisce verbis: Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis Principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultare, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentiâ loci: Ergo detecta & nuda omnium mens, postremo die retractatur, & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt quidem, dum errare non possunt. *Hæc ille.*

Vidimus hactenus, quales in ipsa consultatione Consiliarios esse deceat: considerandum nunc, quid consultatione habitâ in ipsis requiratur.

123 Peractâ ergo deliberatione erunt *secreti* † *& taciturni*, nec arcana sibi commissa ullo modo divulgabunt. Nam Taciturnitas optimum ac tutissimum administrandarum rerum est vinculum. *Valer. Maxim. lib.* 2. *c.* 2. secretum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, honorificum est. *Tob.* 12. *v.* 7. Neque res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est. *Curt. lib.* 4. Illum,

Secreti & taciturni.

Fingere qui non visa potest, commissa tacere,
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Horat. 1. *epist.* 18.

Abominamur ergo illos loquaculos, plenos rimarum, qui hâc atque illâc perfluunt: & tùm obviis quibusque, tùm præcipuè uxoribus

tibus deliberationes publicè habitas communicant. *Schönborner. lib.* 3. *Polit. c.* 25. Eo consilio Augustum adulteria exercuisse ferunt, ut faciliùs consilia adversariorum per cujusque uxores exquireret. *Sueton. in vit. August. c.* 69.

Sanè si amici † consilium de privata re aperiens, omnium 124
odio meritò dignus habetur, quò odio dicemus illum dignum, qui Principis sui consilium de Reipub. salute, de propria dignitate, de publico officio, contra tam sanctè datam fidem, magno magistratuum contemptu & damno evulgat? *Hippol. de consil. fol.* 271. Leges † civiles consiliorum publicorum enuntiatores, quia nihil a- 125
liud sunt, quàm Regum & Principum proditores, capite plecti volunt. *l. omne* 6. §. 4. *ff. de re milit.* aut ut transfugas vivos exuri, aut furcis suspendi. *l. si quis* 38. §. 1. *ff. de pœn.* Lex Ægyptiorum iisdem linguam jubebat abscindi. *Diodor. Sicul.*

Ultimò erunt *fortes* † *& audaces in facto*, seu *bono negotio*. 126
Tholozan. lib. 24. *cap.* 6. *num.* 5. Sic Bias *apud Laërtium* solitus est dicere:

Fortes & audaces in facto.

Βραδέως ἐγχειρεῖν τοῖς πραττομένοις, ὃ δ' ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηρῶντα διαμένειν. *id est:*

Cunctanter aggrediendum negotium, verùm in suscepto constanter perseverandum.

Erasm. Roterodam. chil. 1. *cent.* 8. *adag.* 44 *& Aristot. lib.* 6. *Ethic. c.* 9. Deliberandum quidem tardè, celeriter autem deliberata peragenda sunt.

Nec non *Salust.* Antequam incipias, consulito: Ubi consulueris, maturè facto opus est. Nec enim minus perniciosa dilatio, quàm deliberatio præceps. *Bodin. de Republ. lib.* 3. *c.* 1. *nu.* 251. Ubi tamen observanda erit temporis opportunitas, an hæc adsit, vel minus. *Lauterbach. in Princ. Christ. c.* 6.

Quando autem constantiam requirimus, removemus primò pertinaciam, † immodestiam & nimiam confidentiam. Perti- 127
nacia enim stultitiæ similis est, & qui in sententia semel concepta pertinax est, & judicio tantùm utitur suo, futurum certò statuat, ut in omnibus, aut certè in plerisque aberret, omnibus namque hominibus commune est delinquere, ut ait *Sophocl. in Antigon.*

Hinc

CAPUT XXXI.

CONSILIARIUS QUIBUS *affectibus in consultatione & causa cognitione vacare debeat?*

Diximus superiùs in judicio maximè necesse esse à judice justitiæ rationem haberi: cùm verò affectus† justitiæ maximè obsistant, omnes oportet affectus in tribunalis vestigio exui. Affectus enim mali sunt consiliarii, inquit *Plato.* Nec animus† deprehendit se, nisi cùm est quietus. *Matthæus de Afflict. in præfat. decis. Neapol. nu.* 3. & *Gregorius*: ut concussa aqua imaginem inspicientis non reddit, sed solùm cùm est quieta: sic anima non deprehendit se, nisi cùm est quieta. Propterea solent judices sedere, *Novell.* 71 *c.* 1. *l. quisquis.* §. *ult. C. de postul.* ut tranquillitatis animi admoneantur *Arnisæ lib.* 1. *doctrin. Polit. cap.* 16. *fol.* 383. 1 2

Hac de causa Areopagitæ† Athenis, ut integritatem & gravitatem conservarent, in Areopago jubebant per præconem oratores tacere, simulatque movere incipiebant affectus, ut ait *Lucianus in Anachars. & Quintil. lib.* 10. *in comparat. Demosthen. & Cicer.* quinimo noctu judicabant, ut procul judicarent ab omni affectu, qui in diversum animos agit. *Alexand. ab Alex. lib.* 3. *genial. dier. c.* 5. vel, ut *idem* loquitur *Quintil.* ne ad dicentes respicerent, sed ad ea, quæ dicerentur. 3

Audiamus ergo *C. Salustium de conjurat. Catilin.* hac de re differentem omnes† homines, inquit ille, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet, haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium libidini simul & usui paruit. ubi intenderis ingenium: valet si libido possidet, dominatur: animus nihil valet, magna mihi copia est memorandi 4

P. C. qui Reges, aut qui populi, irâ aut misericordiâ impulsi, malè consuluerint: sed ea maledicere, quæ majores nostri contra libidinem animi sui, rectè, atque ordine fecere. Parallelus est locus *Ciceronis in orat. pro Cluentio:* consultores & judices odium, invidiam, cupidinem, amicitiam, iram, misericordiam, metum, avaritiam, pernitiosam festinationem ac celeritatem amovere, & maximè æstimare conscientiam mentis suæ debent.

5 Et primò *odium*† quàm procul aberit: Sic Zaleucus magistratibus præcepit, ne sint arrogantes & superbi, neque ad ullius odium aut amicitiam judicia accommodent. *Diod. Sicul.*

Odium.

6 Secundò, *amicitia*† hic valeat. In judicando enim amici persona consideranda non est, ideoque dicitur: Deponat amici personam, qui induit judicis. *Antonin Tessaurus in præfat. decis. Pedemont. num.* 32. *& decis.* 96. *nu.* 13. Popilius facescere voluit privatam amicitiam, cùm mandata patriæ intercederent. *Justinus lib.* 34.

Amicitia.

7 Meritâ ergo laude exornandus † P. Rutilius, qui, cùm amicus quidam, injusta petens, repulsam pateretur, & diceret: Quid ergo amicitia tuâ mihi opus est? respondit: quid mihi tuâ est opus amicitiâ, si pro te aliquid inhonestè facturus sim? *Valer. Max. l.* 6. *de dict. & fact. memorab. c.* 4.

8 Nec minori encomio dignus Pericles, † quem cùm rogaret amicus quispiam, ut in causa quadam sui gratiâ dejeraret: Oportet me, inquit, accommodare amicis, sed usque ad aras.

9 Tertiò, *ira*† in judicando & consultando est fugienda, quæ oritur ex contumelia & contentione vel vera, vel opinione concepta, vel damno dato, vel ἀχαριστία, ingratitudine. *Cicer.* 2. *de orat. & lib.* 1. *offic.* cum ira nihil rectè, nihil consideratè fieri potest. Nec non *Nazianzen. in sentent.* Nemo iratus tutas habet deliberationes. Quæ enim cum ira geruntur, consilio adhuc carent. Consultores sunt pessimi, cupido & ira; ait *Salust. in Jugurth.* Itemque *Seneca lib.* 1. *de ira c.* 16 ira habet comites perniciosos, crudelitatem, furorem & sævitiam. Hinc *Poëta*:

Ira.

Impedit ira animum, ne possit cernere verum:

Et:

Digitized by Google

Et Virgil. 1. Æneid.

------ ------ *Furor iraq; mentem*
Præcipitant.

Nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parvum: Cavendum est igitur, ne major sit pœna, quàm culpa. *Cicer. lib. 1. offic.* Prudenter suasit Augusto † Athenodorus: Cæsar, cum fueris iratus, ne quid dixeris feceris ve, priusquam Græcarum literarum 24 nomina apud te recensueris, eâ enim parvulâ morâ, iræ impetum deferbere ajebat, fierique, ut quicquid posteà vel loqui, vel agere vellet, tranquilliori mente efficeret, unde minus posteà doleret. *Fulgos. lib. 7. de dict. & fact. memorab. c. 2.* 10

Wenceslaus IV. † Bohemorum Rex in puniendis delictis sacro hoc carmine seipsum retinere solebat: Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Dubravius libr. 18. rerum Bohemicarum.* 11

Quartò, *misericordiâ* † vacare debent judices. Disertè enim lex divina præcipit: Non misereberis pauperis in judicio. *Exod. 23. v. 3.* Et nihil est veræ justitiæ tam contrarium, quàm commiseratio: nec judicis officio quicquam magis repugnat, quàm misericordia: cùm divinis æquè ac humanis legibus cujusquam misereri prohibeatur, ut dicit *Bodin. lib. 4. de Republ. c. 6. num. 459.* Mala siquidem causa est, quæ requirit misericordiam, dicente *Mimo Publiano.* Item. Innocentia non eget misericordiâ, sed æquum desiderat judicem. At cùm fiducia rei tota est in misericordia judicis, pessimam habet causam, *teste eodem.* 12 *Misericordia.*

Quantum verò affectus iste: *misericordia* veritati rei judicandæ obstet, loquitur historia Sergii Galbæ summi oratoris. Hic cùm majestatis accusatus & convictus teneretur, oratione & actione ad misericordiam accommodatâ, filiolos amplexus populo commendavit, ac lachrymis effusis facilè pœnas evasit. Itaque Cato Major, qui reum peregerat, dixisse fertur, Galbam nisi pueris & lachrymis abuteretur, vapulaturum fuisse. *Valer. Maxim. lib. 8.* Et sic misericordia illam quæstionem, non æquitas texit.

Digitized by Google

Sed quid, inquies, fiet de sententia Salomonica *Proverb.* 20. Misericordia & veritas custodiunt † Regem, & roboratur clementia thronus ejus. *v.* 28. Quid de dicto *Jacobi in 2. epistol. v.* 13. judicium sine misericordia illi, qui misericordiam non facit. Sic itaque tene. Misericordia & clementia laudatur quidem, sed ita
14 si rationi † serviat: & præbeatur, ut justitia conservetur. *Augustin. lib* 9. *de civit. Dei c.* 5. & semper favendum est pauperi, pupillæ, & viduæ, sed sine alterius injuria. *idem Augustin. quæst.* 88 *in Exod.* Ac plurimum interest, quo animo quisque parcat: siquidem est aliquando misericordia puniens, & crudelitas, & parcens. *epist.* 58. *ad Macedon.* Quemadmodum justitia sine misericordia non est justitia, sed crudelitas: (unde & Imp. Diocletianus justitiam sine misericordia crucem esse asseverabat) ita rursus misericordia sine justitia non est misericordia, sed fatuitas. *Chrysosto. in Matth.* Requiritur ergo, ut judices sint clementes, sed ita, ne modum excedant, & in justitiam delinquant, ex doctrina *Melch. Jun. part.* 3. *Polit. quæst.* 83. Nam clementia definitur habitus, quo ex lenitate animi pœnas legales mitigamus *intra terminos justitiæ. P. Martyr. class.* 4. *loc. comm. cap.* 14. *sect.* 27. vide quæ diximus supr. cap. 18. num. 21. & seq.

15 Quintò loco *celeritas* † *& nimia festinatio* consultationibus
Festinatio & judiciis maximè noxia est: ubi scilicet legitimus cognitionis ordo & processus est prætermissus. Atque hoc morbo & vitio tri-
16 bunalia † illa scabinalia, quæ vocamus, plerumque laborant. *Althus. in Polit. c.* 24. *fol.* 330. *edit. prior.* Hinc festinatio improvi-
17 da † & cœca dicitur *à Livio lib.* 31. & præcipitatio, noverca justitiæ, *in clem. pastoralis,* §. *verùm quia. de sent. & re judicat. ab Althusio in Polit. c.* 22. *fol.* 291. noverca consilii, & prudentiæ pestis, & temeritatis mater, item judiciorum labes. *d. fol.* 330. *à Sophocle in Oedipo,* præpopera sapientia, periculosa vocatur: consilia præcipitata, inauspicata *à Mimo Publiano.* Econtrà virtus lenta, omnium est percunctatrix. *c. non in perpetuum.* 24. *q.* 3. *gloss. fin. ibid. & Nazianzen.* Melior est consulta tarditas celeritate temerariâ. Quia igitur, juxta Poëtam:

Ardua

Ardua res longam quærit habere moram.

Et scelera impetu, bona consilia morâ invalescunt. *Tacit.1.hist.* tutissimum est, esse lentas† consultationes: deliberandumq; est diu, 18
quod statuendum est semel, ut monet *Tragicus*, vel, ut *Mimus Publianus:* Diu apparandum est bellum, ut vincas celeriùs. Menteq; tenendum illud adagium: *Festina† lentè, σπεῦδε βραδέως*, cujus 19
meminit *Erasm. Roterod. chil.2.cent.1.adag.1.* & illud ipsum, si quod aliud, optimo jure, *βασιλικόν*, id est, regium appellari debere dicit, ac dignum, quod omnibus incidatur columnis: quod pro templorum omnium foribus describatur, & quidē aureis notis: quod in principalium aularum valvis depingatur: quod Primatium insculpatur annulis: quod regiis in sceptris exprimatur: deniq; quod omnibus ubique monimentis repræsentetur, propagetur, celebretur: ut quod tantoperè expediat semper cujusq; observari animo, nunquam non occurrat oculis, nulli quidem mortalium, non maximo futurum usui, præcipuè tamen Principibus, & iis, quibus commissi populi, ac tam multa negotia curæ, ut loquitur Homer. Quandoquidem à plebeiæ sortis hominibus, inquit, si quid fortè sit vel prætermissum socordiâ, vel admissum temeritate, quemadmodum jactura levior, ita & commodum, quod acceptum est, faciliore remedio sarcitur. At v. Principis vel unica cessatio, semelve præcipitatum consilium, Deum immortalem, quas tempestates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarum ruinas secum trahit? Rursus, si adsit σπεύδειν βραδέως, hoc est, maturitas quædam ac moderatio simul ex vigilantia, lentitudineque temperata, ut neq; per temeritatem quicquam faciat pœnitendum, neq; per socordiam quicquam prætereat, quod ad Relp. commodum pertinere videatur, quæso te, quid esse possit hoc imperio felicius, firmius, stabiliusque? quanquam hæc felicitas, haud quaquā ipsis imperii terminis circumscribitur, quin undique longè lateque ad finitimos populos dimanat, nec usquā æquè locum habet Hesiodium illud: πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Quanquā, ait, si quidem in alterutrā partem peccandum sit, non paulò præstiterit, Regē impendio lentum esse, quā plus æquo præcipitem?

Cæterùm hoc Proverbio tam impensè delectatus est Octa-
20 vius†Augustus, quemadmodum narrat *A. Gellius in Noct. Attic.* ut non in sermonibus modò quotidianis crebriùs usurparet, verùm etiam epistolis suis frequenter insereret, admonens his duabus vocibus, ut ad rem agendam adhiberetur simul & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Et *Sueton. in ejus vita c.* 25. Nihil minùs in perfecto duce, quàm festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Itaque illa jactabat:

Σπεῦδε βραδέως. ἀσφαλὴς γὰρ ἐσθ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

Et sat celeriter fieri, quicquid fiat satis benè. Sic & Cato ait, sat citò, si sat benè.

21 Hinc *Erasm. d. l.* per paucos†reperias, qui Proverbium hoc secuti, tempestivam celeritatem cum prudenti tarditate rectè miscuerint, nisi quod pro multis unus sufficit: Fabius ille Maximus, cui cognomen etiam additum *Cunctatori*, qui cùm sibi laudem peperit immortalem, tum Romano Imperio cunctando restituit rem, aliorum Ducum inauspicatâ celeritate jam ad extrema redactam.

Refert & aliud Prov. *Chil. 2. cent. 2. adag.* 43. *ἐν νυκτὶ βουλή.*
22 *In†nocte consilium.* Quod ipsum etiam monet, non esse præcipitandum consilium, neque statim ad primos animi impetus quippiam agendum. Nox verò propter solitudinem ac silentium, vel maximè ad considerandum, consultandumque de rebus gravibus est idonea. Propterea sæpenumero fit, ut somnus sedatâ cupiditate pristinam sententiam vertat. Unde etiam vulgò dicitur ab idiotis nostratibus, super hac re in dormiam, ubi significant, se per otium deliberaturos.

23 Sic Lacedæmonii†*apud Thucydidem lib.* 1. gloriantur: Hæc instituta majores nostri tradiderunt, ne in exigua dici particula, de multis, capitibus, pecuniis, urbibus, & de gloria properantes decernamus, sed per otium. Cujus instituti rationem reddebat Anaxandrides, quòd si hîc semel erratum fuerit, non detur consilii corrigendi potestas. *Plutarch. in apophth. Lacon.*

Socra-

Socratis verò dictum fuit: Oriente†Sole consilium, Occidente convivium cogitato, cum quo côcordat illud, quod legatis Agamemnonis respondit Achilles *apud Homer. Iliad.* 1. Autora ubi crastina surget, consultabimus. Nec enim semper sumus eodem animi vigore. Nec quæ fiunt à prandio consultationes, inter decreta referri debent. *Cominæ. lib.* 2. Quamvis secundùm leges XII. Tabb. causæ ante Meridiem proponebantur, à Meridie domum decidebantur. *Gell. lib.* 17. *c.* 2. 24

Ideoque non possum non probare institutum Reipub.†Utopicæ, quod hisce verbis refert *Thomas Morus in Insula Utopia lib.* 2. *C. de Magistratibus sub fin.* Id moris habet Senatus, ut nihil, quo die primùm proponitur, eodem disputetur, sed in sequentem differatur Senatum, ne quis, ubi quod in buccam primò venerit, temerè effutierit, ea posteà excogitet, quibus decreta sua tueatur; malitque salutis publicæ, quàm opinionis de se jacturam facere, perverso quodam ac præpostero pudore, ne initio parum prospexisse videatur: cui prospiciendum initio fuerat, ut consultò potiùs quàm citò loqueretur. 25

Sed & antè Alexander†Severus in re proposita. Consiliariis suis spatium ad disquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus sæpè ingentibus, incogitati sæpè dicere cogerentur, quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quæ tarda, cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. *Lamprid. in vita Alexandr.* 26

Nec non M. Antoninus†Philosophus nihil dicere fuit solitus, nihil scripsit aut fecit negligenter: sed vel in minimis rebus diem sæpenùmero consumpsit, quod existimaret, non debere Imperatorem properè quidquam agere. *Xiphilinus in Epitom. Dion.* 27

Tiberius†tamen repentinis consiliis melior erat, quàm meditatis, *teste Aurelio.* Et *Plut.* scribit, Augustum dicere solitum, se Romani Imperii successorem eum esse relicturum, qui nunquam bis de eadem re consultasset. 28

Simile ferè de Atheniensium†inconsulta temeritate referunt. Nam his id olim tributum est, quòd ipsi quidem socorditer 27

con-

consultarent, parumque prospicerent: verùm Minerva civitatis præses illorum malè instituta, benè vertere consuevit. Hinc in Proverbium abiit: *Atheniensium inconsulta temeritas*. Quod in eos quadrat, quibus malè consulta vertunt benè. *Erasm. chiliad.* 1. *cent.* 8. *adag.* 44. cui respondet quod hodiè vulgòque dicunt: *Est fortunatior, quàm prudentior:* de quopiam non suapte industriâ, sed fortunæ commoditate successu rerum utente.

30 Reperiuntur etiamnum, qui consilia festinata† tardis præferunt, & ejusmodi prudentiam requirunt in eo, qui salutare consilium capere velit, ut quàm citissimè perspiciat id, quod in deliberationem venit, an celeriter, an verò tardè & cunctanter tractare oporteat. Sunt enim, inquiunt, quædam magna cum velocitate decernenda, & rursus 1. quædam cunctanter & sensim perficienda: in quorum alterutro si peccas, totam Rempub. labefactabis.
31 Idem† sibi videntur velle duo illa præclarissima symbola, unum Augusti, modò in medium à nobis adductum, *Festina lentè*: alterum Alexandri M. *Nihil cunctando*, quæ omnia à contrarietatis vitio & crimine sunt liberanda, quod fiet, si dicamus cum *An-*
32 *drea Rey à Naglowice in discurs. de consil. discurs.* 7. priùs† intelligendum de consiliis rerum ad tranquillum Reipub. statum, sive pacem pertinentibus, & specialibus nonnullis rerum Politicarum casibus, quibus illud sapienter aptatur: *Quod ratio nequit, sæ-*
33 *pè sanavit mora*. Posteriùs† verò de rebus turbatis ac bellicis, atque adeò ejusmodi, quæ morâ non sanantur, sed perduntur. His rectè accommodat illud, quod habet *Lenc. observ. Polit.* 213. Nunquam legi, res vel majores esse gestas quàm celeritate, aut neglectas perditasve, quàm cunctatione.

Julius Cæsar sæpè centum passuum millia uno die peregit, adeò ut plerosque nuncios præveniret.

34 2. Si distinguamus etiam, an in statu† tranquillo & pacato actiones sint tales, quæ tempus ad consultandum præbeant, vel minùs, *ex Duce de Pascolo in Aulico suo Politico aphorism.* 47. In his ex arena sæpè consilium est capiendum, ut habet Proverb. vulgatum, hoc est, ex tempore, & pro re nata. Et hoc ipsum est, quod tradit *Fur. Ceriolan. de concil. & consil. c.* 2. *& Hippolyt. à Collib.*

de

de consil. fol. 220. Rebus novis talis esse debet constantia, ut rapienda sint consilia, non quærenda, sicut *Sabinus* dicere solebat:

Nimirum hoc illud factũ sapienter in horas,
Si toties res ipsa ferat, nova sumere semper
Consilia.

Et *Lips. in not. ad lib. 3. Polit. c. 7.* consilia calida, subita & audacia in communi administratione rerum valdè damnanda: at in novo aliquo aut subito discrimine, utiliter & necessariò sæpè adhibenda, pro qua opinione citat duo egregia axiomata *Taciti* 1. *cunctatione non opus, ubi perniciosior sit quies, quàm temeritas.* 2. *inter ancipitia deterrimum est, media sequi.* Ea demum velocitas placet, ait *Seneca 2. de ira c. 35.* quæ ubi jussa est, vestigium sistit: nec ultra destinata procurrit, & quæ flecti, & à cursu ad gradum reduci potest. Nimia verò tarditas & simplicitas negotio veternum addit. *Fur. Ceriolan. d. l.*

Non ergo simpliciter & semper celeritatem † improbamus, sed temeritatem eorum, qui omnia gubernationis politicæ negotia impetuosâ quasi præcipitantiâ tractare potiùs cupiunt, quàm lentè, aut successivis cogitationibus. *Andr. Rey d discurs. 7. fol. 402.* ubi hæc addit: M. Fabii cunctatio vicit Annibalem, & Rempubl. Romanam nutantem conservavit: contrà in discrimen adduxit Minutii fervor, & nimia celeritas, seu potiùs temeritas Annibali gratissima: qui gaudebat vehementer, cùm intellexisset, Romanos adversus se misisse Flaminium & Sempronium calidi ac fervidi ingenii viros: at verò metuebat graviter illum cunctatorem Fabium, existimantem longè tutiora esse ea, quæ ratione ac prudentiâ fiunt, quàm illa, quæ vi & audaciâ. Nam hæc sine consilio semel & iterum fortunata esse potest, demum omnia evertit: at contrà omnia summâ ratione consilióque acta etiam fortuna consequitur. 35

Maturanda † igitur sunt consilia, non festinanda: quæ enim matura sunt, nec excedunt, nec deficiunt, neque 36

Digitized by Google

præcocia sunt, neque decrepita. Ad celeritatem † autem consiliorum maximè confert natura, inditumque ab illa ingenium: ad maturitatem verò perfectionemque usus ipse rerumque multimodarum plurima exercitatio, quæque in ore est hominum experientia. *Boter. d. c. 6. fol. 226.*

Hæc, quæ diximus hactenus, maximoperè observanda sunt:
38 in judicio criminali, † quando de vita hominis agitur, quæ omnibus rebus est præferenda, *text. in l. sancimus. Cod. de sacros. Eccles.* perspicaciùs & diligentiùs agendum est, *per l. addictos, C. de appel. gloss. not. in l. fin. in verbo, indiciis. C. de probat.* nec præcipitanda sententia condemnatoria: propè quippe est, ut libenter damnet, qui citò. *Sen. 1. de clement.* Et ubi majus est periculum, ibi cautiùs agendum, *text. in c. ubi periculum. de electio. lib. 7. & in l. 1. §. sed & si quis. ff. de carbonia. edict.*

Nulla unquam de morte hominis cunctatio sera est.

Juvenal. Satyr. 6. in quam sententiam ita scribit *Antonin. Tessaurus in decisione Pedemontana 12. num. 3.* Si in omnibus causis judex diligenter quid judicandum sibi sit, considerare, & inquirere debet *l. Carbonian. 3. § duæ autem. ff. de Carbon. edict.* multò magis in causa capitali id faciendum est, diligenter in facto, & jure rem considerando & examinando. Cum enim de hominis salute semel erratur, actum de illius capite, sententiaque non reparatur, nec iterum est errori locus.

39 *Utraque pars audienda.* Denique *utraq. pars* † *audienda.* Boni enim Consiliarii sive Judicis officium est, utramque partem benignè audire, quàm judicare & condemnare, non præcipitare judicium, neque ab executione, sed à citatione & causæ cognitione incipere, maximè in famosis & criminalibus causis, ubi de honore & vita agitur: idque exemplo Dei, qui etsi notum haberet lapsum Adæ, tamen eum inauditum condemnare noluit, sed ad se priùs vocavit; Adam, inquiens, ubi es? ut legimus *Gen. c. 3.* Antequam scruteris, ne reprehendas, intellige priùs, & tunc increpa: antequam audieris, ne respondeas. *Eccles. c. 11. v. 7. & 8.* Et Imperator Justinianus *in leg.*

C. ac.

Google

C. de judiciis: Judices, oportet, inprimis rei qualitatem plenâ inquisitione discutere. Notum quoque est juramentum vetus & nobile Heliastarum† judicum apud Athenienses: Audiam accusatorem & reum, æquo animo, sine affectibus, & personarum ratione. 40
Demosthen. contra Timocratem. ut & illud XII. Tabb. Ante† Meridiem causam conicito, cùm perorant ambo præsentes. *Gell. lib. 17.* 41
c. 2. piè dixit *Seneca in Medea*, eum, qui statuit aliquid parte† inauditâ alterâ, æquum licet statuat, haud tamen æquum esse. Veritas 42
siquidem magis perspicitur, quò sæpiùs & utramque in partem audita causa fuerit, *lib. 1. de clement.* Eóque nomine laudibus effertur Alexander M.† qui cùm sederet judex in causis, accusatori 43
alteram aurem occludebat: rogatus cur id faceret, alteram, respondit, integram reservo reo. *Plutarch. in ejus vita.* Unde Poeta:

Cur geminas homini concessit Juppiter aures?
Possit ut hac læsis, illa patere reis.

Et Julianus Imp.† quamvis tyrannus, neminem tamen inauditâ causâ damnare solebat. Cuidam calumniatori dicenti: Quis ergo 44
reus perhiberi queat, si negare & excusare licitum fuerit, respondet: quis ergo innocens esse poterit, si accusasse sufficiat? *Ammianus lib. 18.*

Quæ sententia, dicente *Geil. lib. 1. de pac. publ. c. 5. num. 3.* 45
singulariter memoriæ commendanda est, præsertim istis exulceratissimis temporibus in tanta obtrectatorum & spurcissimorum palpatorum frequentia, qui

---- ----- vanos circum palatia fumos
vendunt,

ut loquitur *Martialis*, & sæpissimè innocentes inauditos apud Principes in summum discrimen vitæ & bonorum adducunt. Nam,

Lingua pars pessima servi.

Juvenal. Satyr. 9.

Et Ovid. epist. 19.

Cur reus infelix absens agor? & mea cùm sit
Optima non ullo causa tuente perit?

47 Neminem † igitur Princeps ex delatione & suspicione condemnet ad mortem. Nam istam præcipitantiam è vestigio sequitur pedisequa pœnitentia. Peccabat hac in re Cæsar Gallus, à quo multi per suspicionum nebulas æstimati noxii damnabantur, quorum pars necati, alii puniti bonorum mulctatione, ac laribus suis extorres, nullo sibi relicto, præter querelas & lachrymas, stipe collaticiâ victitabant. *Ammianus lib.* l. 14. peccabat Theodosius † III.
48 quòd Paulinum virum opt. ex meris suspicionibus morti destinabat: Itemque Claudius, quòd unâ tantùm parte auditâ, sæpè & neutrâ. *Sen. de mor. Claud.* Et de his hactenus.

CAPUT XXXII.

QVID CONSILIARIUS IN consulendo præstare debeat, fidemne an eventum etiam: & proinde an plectendi, quorum consilium malè cessit, & quorum benè, præmiis contrà afficiendi?

1 CONsilium † si malè † cedit, non alium accusat Princeps, quàm Consiliarium: quòd si verò partem Regni, aut Provinciarum aliquam consiliis ejus insistendo amittat, temperare sibi haud potest à nece aut pernicie suaseris. *Machiavell. lib.* 3. *de Repabl. c.* 35.
2 quod Selymi † Imperatoris Turcici exemplo ibidem testatum facit, Barbarus siquidem est aulæ Othomanicæ mos, in quâ erram capite luunt. *Thuan, lib.* 50. Et Persarum fuit institutum, ut Consilia-

ſiliariis ſingulis tegula aurea, cui inſiſterent, ſubjiceretur, quam præmii loco, ſi conſilium Rei probatum dediſſent, ſecum aſportarent, ſi verò ſecùs conſuluiſſent, mulctarentur. *ex Ælian. in var. Kirchner. de Repub. diſp. 9. coronid. 5.* ubi id è curiis & Palatiis explodendum dicit.

Utinam † verò animo ſuo reputarent Principes viri, optimum interdum conſilium parùm proſperum eſſe: nec rarum, ut bonis initiis mali ſuccedant eventus. *Saluſt. in Catilin.* quia, ut *idem orat. 2. ad C. Caſ. de Repub. ord. à pr.* ait, pleraſque res fortuna ex libidine ſua agitat, Imò centum doctûm hominum conſilia ſola hæc devincit Dea. *ex Plaut. Juſt. Lipſ. lib. 3. Polit. cap. 8. num. 13.* Calculum ſuum apponit Artabanus *ap. Herod. lib. 6.* ubi ita Xerxi reſpondet: Rei ex conſilio geſtæ lætus plerumque eſt exitus. Nam etiamſi quid è contrario eventurum eſt, nihilo tamen minùs benè conſultum eſt, ſuperavitque fortuna conſilium. At qui turpiter conſultavit, ſi ei fortuna obſecundavit, ille eſt quidem voti compos, nihil tamen minùs malè conſilium cepit. Quare conſilia † quæ ſiniſtrum eventum fortunamq; ſortita, ſi non doloſo & inſidioſo animo ſuſcepta ſunt, ſuppliciis non vindicanda: cùm eventus in manu conſultori non ſit. Nam ut *Cic. ad Attic.* ait: *Qui conſilium dat, præſtare fidem non eventum debet.* Quæ etiam eſt aurea inſcriptio Curiæ Heidelb. Pro hac ſententiâ elegantes verſus *ex Buchan. in Jephte* recitat *Schönb. c. 25.* nec ferendum ſcribit illorum hominum improbitatem, qui ex eventu de conſiliis cujusq; judiciũ faciunt: & cui benè quid proceſſerit, multũ illũ providiſſe, cui ſecùs nihil ſenſiſſe dicunt, *ex Cic. pro C. Rab.* Imò laudanda † magis ſunt conſilia cauta cum ratione, etiamſi non ſuccedant, quàm fauſta eventu quidem, ſed temeraria & ratione carentia. *Keck. in ſyſt. Pol. lib. 1. c. 7. fol. 153.* Sanè ſi malè † ſuaſiſſe periculum eſt, defuturi ſunt qui ſuadent. *Curt. lib. 3.* Unde *Machiavell. lib. 1. de Repub. c. 13.* Romanorum † commendat conſuetudinem, quòd non animadverterint in illos, qui in rebus gerendis capiendisq; conſiliis erraverint, ne tum quidẽ, quando ex eorum conſiliis malis Reſpub. detrimentum accepiſſet; quia inquit exiſtimarunt eos, qui fortunæ adverſitate rem minùs feliciter geſſiſſent, ipſius rei dedecore atq;

3
4
5
6
7

pudore jam satis esse punitos, nec aliis pœnis esse deterrendos. Hinc exercituum Duces quamvis aliquando in rebus agendis, capiendisque consiliis errarint, eos non modò haud puniebant, sed præmiis potiùs afficiebant, perinde ac si rem benè gessissent. Permultum quidem interesse putabant, ut qui exercitui præficerentur, ab omni metu liberi essent, & rerum gerendarum consilia ex ipsis occasionibus arriperent, nec haberent, quod formidarent. *Dn. Besold. claß. 2. disp. 3. th. 55.*

8 Ut autem † sincerè suadens, culpâ de jure vacat, aliter res licet cadat, ac putabatur: ita consilia prava & dolosa justa pœna manebit. Sic Athenienses mala consilia puniebant, etiamsi benè succedebant. *vid. eund. Besold. th. 56. 57. & 58.*

9 Sed nec bona † consilia præmiis afficienda, ne quis spe adipiscendi à vero deflectatur, & ad gratiam loquatur. *Lipsius l. 3. c. 8. num. 11.* ubi arcanum se dogma suggerere dicit: vel etiam superbiâ incipiat tumere, dum se placere videt. Sed quid *Dio Cassius*? in contrarium sensum ille Augusto Imperatori suadet, ajens: Eos qui rectam sententiam probamque dicent, & lauda & honora; illorum enim inventis benè audies: qui verò aliter, neque ignominiâ affice, neque accusa. Mentem enim illorum considerare oportet, non autem aberrationem castigare.

Et *Althus. c. 21. in Polit.* hunc proponit canonem: Princeps, quò Consiliarios in fide, officio ac diligentiâ retineat, de ipsis honorandis, amplificandis ac locupletandis vicissim curam suscipiat. *Kirchn. loco antea alleg.* ubi explodendum scripsisset institutum Persarum, ita subjicit: Nec v. hæc eo modo accipienda, ac si nolumus fidem & industriam Consiliarii boni honoribus & muneribus dignis affici, (quod prudenti Principi diligentissimè faciendum) sed ne in medium proposito præmio, consiliorum quasi nundinatio & sordida mercatura instituatur. Hinc alii fœdere † di-
10 stinctionis rem dirimunt, & dicunt, quòd communiter Consiliarium prudentem honore & præmio afficere fas & jus sit, at non ob singula suasa & consulta. *Andr. Rey de concil. seu consult. discurs. 6. in curs. Ibil soph. Keckerman. fol. 543. & seq.*

CAPUT

CAPUT XXXIII.

AN EXTERI AD CONSILIUM DANDUM DE REPUBLICA SINT ADHIBENDI?

INter alia † requisita boni consultoris cap. 30. num. 40. retulimus benevolentiam seu fidelitatem, is debeat esse fidus, & amicus Principis, erga ipsum & Rempub. favoris ac amoris auram spirare: qualis cum in peregrinis & aliunde accersitatis vix atque ne vix quidem insit, à Consistorio Principis erunt arcendi, idque propter rationes sequentes. 1

1. Ad Consilium † de Repub. dandum, caput est, nosse Rempub. *Cicer. 2. de orat.* vel, ut *Plato in Phæd.* in omni re consulendi principium: nosse id, de quo consilium institutum, aut tota via aberrare necessum est. *Et in Alcibiade*: Consilium ejus est, qui rei cujusque peritus: Nemo enim sapienter de iis rebus disserere, aut aliis rectum consilium dare potest, quas non novit. Inde *Tacitus*: Morum animorumque Provinciæ nisi sint gnari, qui de ea consultant perdunt se & Rempublicam. Cui verò non constet, advenas rarò morum, ingeniorum, legum & totius Reipubl. esse peritos ac gnaros? 2 *Arg. pro sententia negante.*

2. Quia etiamsi † iis peritia, vix tamen curæ sunt, illis negotia, nullus in eis affectus, nulla fides. Quid? illis ne fidendum, qui nihil aliud cogitant, nihil aliud meditantur, quàm Plautinum illud? mihi istic nec seritur, nec metitur. Itaque ad commodum suum, aut Principis arbitrium pleraque referunt, nec quæ optima & salutaria Reipub. sed quæ Principi jucunda, sibi verò fructuosa, consulunt. Tandem post partas opes desiderio patriæ, munere decedunt, antequam sit opportunum, aut majori stipendio, cùm pinguior côditio se offert, retinend. sunt: quin & rebus dubiis ad deficiendum sunt faciliores. Georg. [illegible] 3

4 3. Miseram illa terra ab omnibus judicatur, quæ nullum suorum, vel paucos in consilio Principis conspicit *Antimachiav. v. l. lib. 1. fol. 185 Richter. axiomat. Polit. 250. Lauterbach. in Principe Christiano c. 6.* Hinc plerunque status perturbatio. Indigenæ enim haud facilè concoquunt, in sua Repub. plus credi aut tribui alienis. Inde livor, questus, animorum à Principe alienatio. *Lips. in not. ad lib. 3. Polit. c. 4.* Hac de causa Albertum Sueonum Regem subditi conjecerunt in carcerem, quòd per exteros omnia ageret. *Joh. Magnus Olai lib. 11. rer. Suecic.*

5 4. Accedit auctoritas † S. Scripturæ. Sic *Psalm. 100. v. 6.* David oculos convertit ad fideles terræ, ut secum sedeant. Et *Syracid. cap. 8. v. 21.* Coram extraneo, ait, ne facias consilium: nescis enim quid pariet. Itemque Salomon *Proverb. 29. v. 9. & 10.* Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles: ne fortè insultet tibi, cùm audierit, & exprobrare non cesset.

6 5. Facit etiam auctoritas juris † Civilis & Canonici, itemque Ordinatio Augustana Imperialis Cameræ. vide supra c. 12. n. 22. & 28.

7 6. Nec desunt aliorum † Regnorum & Populorum Statuta. Apud Genevates Syndicus aut secretioris consilii Senator nemo fit, nisi Genevæ domicilium originis habuerit, *teste Bodino lib. 1. de Repub. cap. 5. num. 48.* Et apud *Antonium Bonfinium decad. 4. lib. 9. rer. Ungar.* jubetur Uladislaus II. ut aulicorum duntaxat Ungarorum officiis semper utatur: nec in Regni administratione, aut curiæ, regiæque muneribus ullum ex peregrinis consiliarium, quæstorem, prætoremve, aut amanuensem, cubicularium, ministrum, structorem & architriclinum admittat. Nec de Ungaricis rebus acturus ullum, præter Ungaros, in consilium venire patiatur. Idem à veteribus Romanis fuit observatum, *teste Livio lib. 23.* dicente: Romani veteres non modò peregrinos, sed ne socios quidem ipsos in Senatum admittebant, ac bellum quàm pacem eam maluêre, in qua peregrinum Senatum & Consules Romæ essent visuri.

8 7. Usu † compertum est, consilia externa esse infausta.

Alexan-

Alexander M. malè audire cœpit, cùm Persas audiisset: Romani labi, cùm Græcos & exteros adhibuerunt. Effatum itaque hoc *Lipsii in notis ad lib.3. Polit.c.4.* considerandum: ut in quam domum vespillones veniunt, signum est funeris: sic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.

Nec est, ut quis dicat, advenas & peregrinos esse in consilium vocandos propter acumen, perspicacitatem & sapientiam majorem. Parem enim, inquit *Hippolyt. à Collib. de consil. fol.* 249. fuerit acutè prospicere, quæ facienda essent, ornateque eloqui posse, si odium Reipub. aut cupiditas nefaria tibi fuerit, quo minùs id quod sentis, exprimas. Erat olim apud Athenienses † lege sancitum, ut quoties advocatâ concione, populus de 9
Repub. consultabat, præco maximâ voce diram cladem & exitium illi & posteritati ejus imprecaretur, qui Reipub. inutile consilium daret, ne ipse in commodum aliquod subiret. Erant autem illæ execrationes, quæ caput civis perfidi devovebant, tam horrendis verbis scriptæ, ut maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuteret. Sapienter etiam intellexit, qui legem illam tulit, nihil esse acuto ingenio sine fide, sine Republic. studio, sine patriæ caritate perniciosius. *Sic ille.*

Hic tamen alii contraveniunt, dicentes hanc sententiam 10
manifestam † inhumanitatem in se continere, ac gentium nationumque diversarum communionem inter se, bonamque, ut loqui solemus, correspondentiam tollere, & rumpere vinculum omnis societatis humanæ, quæ sancita est non tantùm inter hominem & hominem in uno loco, unaque regione viventes, sed etiam inter gentem & gentem diversis regionibus, & sub diverso imperio.

Pro parte affirm.

DEUM quippe & naturam omnes in toto mundo homines, atque adeò gentes ac nationes communi vinculo humanitatis & amoris inter se voluisse conjunctas.

Et qui fieri potest, inquiunt, quin non genti alicui alterius gentis homo inseratur & incorporetur? Et quid facien-

Digitized by Google

dum si satis idonei haberi nequeant? *Lauterbach. d. c. 6.* Sed extranei virtute, doctrinâ & sapientiâ præponderent? cur tunc non melioris aut æqualis cum cæteris conditionis esse debeant? faciunt tradita *per Lamberd. Danæ. lib. 2. Ethic. Christian. cap. 20.*

11 Aliud † ergo dicendum videtur, si domestici & peregrini pari passu ambulent, & utrinque par ratio sit virtutis & doctrinæ.

Quare istâ pro priori sententia in medium allata non

12 ita † absolutè, & sine ulla exceptione dicta volumus quasi nullo planè casu peregrini ad consilium sint admittendi; sed cum quadam determinatione, & cum grano salis, ut vulgò loquuntur. *Determinatio.*

13 Quandoque † enim ob urgentes rationes & causas non tantum indigena & civis, sed & peregrinus, vicinus utiliter eligitur. Et cui ignotum, Josephi Hebræi consilium universæ Ægypto profuisse, ut non sentiret septem annorum sterilitatem, aliosque populos miseræ famis jejunio eo fuisse levatos? ut utar verbis *D. Ambrosii lib. 2. de offic. c. 11.* Sic *Lips. lib. 3. c. 4. Polit.* exteros *non temerè* admittendos ad consilium dandum judicat. Ut ergo in cæteris ita & hic cynosuræ vicem teneat lex illa XII. Tabb. *Salus populi suprema lex esto.*

CAPUT XXXIV.

AN CONSILIARIUS ETIAM non requisitus debeat monere & consulere?

1 NEmini non est nota sententia † *Catonis de præceptis vitæ commun.* quæ teste *Plutarcho lib. 2. συμποσιακῶν.* Proverbialis fuisse videtur: *Sententia negans.*

Ad consilium ne accesseris, antequam voceris.

Curiositas † enim videtur, qui sese consilio dando ingerit non rogatus, & prudentiam suam anteferre prudentiæ Principis, & cæterorum Consiliariorum. Ut igitur non est boni Medici se, cùm vocatus non est, intrudere ad ægrotum: sic nec Consiliarii ad Principem. *Hippolyt. à Collib. de consil. fol.* 266. In quam sententiam descendit *Machiavell. de Princ. c.* 23. qui tamen ipse sibi non constat, dum eodem loco sic scribit: Princeps, si quempiam noverit inter Consiliarios, qui aliquo ad se respectu veritatem reticeat, ea de re maximè succenseat. Dicetne verò irrequisitum silentio suo veritatem non occultare? quod si fecerit, manicâ suâ eum excipiet *D. Augustinus in epist. ad Caselan.* inquiens: uterque reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. 2

Consiliarius ergo postulante † necessitate, in rebus magni momenti ob bonum publicum, etiam non rogatus, de quibusdam monebit & denunciabit, ne in censum adulatorum referatur. *D. Gerhard. cent.* 4. *quæst. Polit.* 4. Sanè Principum † aures multitudine adulatorum, quibus circumsepti sunt, ad simplicis nudæ veritatis sermonem plerumque obstruuntur. *Fur. Ceriolan. de concil. & consil. cap.* 4. Huc refero, quod habet *Antimachiavell. lib.* 1. *theor.* 2. Princeps sæpiùs nihil quicquam novit de negotiis, quæ necessariò expedienda: idcirco prudens & fidelis Consiliarius aperit Principi, quæcunque à magistratibus in Rempublicam, vel à privatis peccantur, ut admonitus iis maturè prospiciat. Exspectare enim, donec Princeps de iis, quæ nescit, nec scire nisi à te potest, sermonem injiciat, vanum est. Qui verò potest, multis ac variis curis distentus, scire omnia? Tantum scit & curat, quantum iis videtur, quorum in potestate sunt aditus Principis. Et quis dominus unquam iratus est famulo, qui eum non rogatus de occulto damno præmonuit. Quare nec is, qui conjurationis adversus Principem suum inita consilia senserit, ea occultabit. Nam ea nisi patefecerit proditor & hostis, reusque majestatis judicabitur. *l. quisquis.* §. *id quod. C. ad L. Jul. majest. & ibi Dd. communiter*, adde *Mynf. cent.* 5. *obs.* 40. 3 *Affirmâs,* 4

Sed & à Romanis † Senatoribus id observatum, ut necessi- 5

tate vigente ultrò postularent, ut sibi de Republ. dicere liceret. Sic enim *Tacit. lib.* 13. *annal.* licebat patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare.

Nec non *Alexander ab Alexand. lib.* 4. *genial. dier. cap.* 11. Senatoribus Romanis nonnunquam licuit, priusquam ordine sententiæ rogarentur postulare, ordinem de Repub. dicere.

6 Exemplum † illustre ejus rei nobis præbet Helvidius Priscus *apud Dionem Cassium*, ad quem cùm Imp. Vespasianus diceret, ne in Senatum veniret ampliùs: penes te, respondit, est, ne me Senatorem patiaris: quamdiu autem me loco non moves, est in curiam mihi veniendum. Age ad ingressus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum, & dicendum mihi, quid rectum putavero. Verùm si dixeris, occidam te: quando ego dixi tibi me immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum: tuum est occidere, meum mori non trementem.

7 Verùm quia non omnes † Principes ita affecti sunt, ut Hiero, qui referente *Plutarcho in apophth.* dicere solitus est: Neminem sibi importunum esse, qui liberè loqueretur: aut ut Theodosius Imp. qui faciliùs ferebat arguentem, quàm adulantem, teste *D. Ambrosio in orat. funeb. Theodos.*

8 Consiliarius priùs diligentissimè † & diu multumque secum rem proponendam examinabit, ne fallatur, quod ridiculum esset: deinde etiam omnes circumstantias, an anteà simili de causa cum Principe loquutus sit, an tempus, locus & rerum status id requirant, an res opportuniùs differri possit, an ipsemet Consiliarius Principi gratus & acceptus sit, an per alium id commodiùs fieri posse existimet: an alii tale quid tentarint, & quo successu. *Hippol. de consil. & Keckerm. lib.* 1. *syst. Polit. c.* 7. *fol.* 162. ita monet: Consiliarius Principi non sit importunus, aut imperiosus, sed talis, qui fluxu obliquo agat, & occasionem attendens, Principem opportunè moneat. Hoc ipsum est quod *idem Hippol.* præcipit, ne Consiliarius reverentiæ Principibus debitæ obliviscatur. Mol-

Cautela.

9 lienda † præcipuè colore aliquo orationis asperitas ex monito. *Quintil. l.* 11. *orat. instit. c.* 1. Nam ut Principem admonitio amica

&c.

Digitized by Google

& lenis plerumque flectit, ita acerba & importuna objurgatio exasperat. *Antimach. lib. 1. th. 2.*

Ad contraria ab initio adducta respondet *Hippol. fol. 268.* dupliciter: 1. non esse curiositatem, sed vigilantiam, si quis debitâ moderatione ea investiget & proponat, quæ sui officii sunt. Quò refero *Georgij Magni* dictum: Curiosus est, non qui sua curat, sed qui consilium sollicitè de alienis capit. Deinde, quamvis Princeps à Consiliario consilium non petat, id tamen Rempub. facere, quæ necessitate urgetur, & eo ipso satis interpellat, subsidiumque Principis loco postulat. *Responsio.*

CAPUT XXXV.

UTRUM CONSILIARIUS IN concilium venire debeat, qãndo scit negotium aliquod tractatum iri, cui salvâ conscientiâ assentiri nequeat?

EX præcedentis quæstionis decisione, dependet præsentis resolutio; *An scil. si Consiliarius in consistorio* † *consilium aliquod tractatum iri sciat, cui salva conscientia assentiri nequeat, ac si eo die domi se contineat, officium suum minùs diligenter & fideliter fecisse dici possit?* Nam si & non vocatus † publici boni causâ consilium dare Principi tenetur: multò minùs salvâ fide effugere poterit occasionem, ne rogetur. Occasio n. rerũ graviorum veros à cæteris distinguit consiliariis illi quò periculosiora instant negotia, eò magis se adjuvandum Remp. accingent: hi urgentib. vel minimis difficultatibus libenter se ab eis subducunt, ut concludit *Hippol. fol. 269.* Accedit *Antimach. in praef.* dicens: Consiliarii virtus maximè cernitur in rebus arduis, nec non *Cic. pro domo*: Boni Senatoris est, semper in Senatum venire, unde Priscus Helvidius quem cap. præced. in medium adduximus, Vespasiano Imp. masculè respondet: In Senatum veniam, quamdiu Senator ero. Nec enim debet esse major metus Principis in justa causa, quàm amor patriæ.

1 2 *Rationes pro opin. affirm.*

Digitized by Google

Ampliùs: Consiliarius officium & vocationem suam pro regula habebit. Cùm verò eum in finem vocatus sit, ut ad consultationes veniat, neutiquam effugia aut diverticula quæret. Verus amor vigilans atque sollicitus est, nunquam quiescit, omnium rerum cura afficitur, omnia quæ necessaria sunt, prævidet, considerat & suscipit. *Fur. Ceriolan. de consil. & consil. c. 2.*

3 Hinc de Catone † prædicat *Plutarch. in ejus vita*, eum in Senatum, quoties haberetur, semper venisse. Verebatur enim, ne quid se absente per gratiam fieret. Et quis militis nomine illum dignum judicaret, qui ob evidens periculum certamen detrectaret, & fugeret. Fugit † ait *D. Gregorius homil. 14. in Evang.* non

4 tantùm qui mutat locum, sed & qui subtrahit solatium, fugit, qui se sub silentio abscondit, fugit qui tacet, cùm resistere deberet. Quare conscientia hic prætendi nequit: si quid enim contra pietatem, contra honestatem proponatur, id fidelis Consiliarius contrariis argumentis refellat, operamque det, ne consilium in eventum perducatur; quod fieret sanè, si bonis & optimis latendi da-

5 retur facultas. Et quoties † quæso factum, ut unus cæteros omnes à se priùs dissentientes argumentorum vi ad se traxerit? sin verò nihil efficiat, & interim concludatur, monet nihilominus Principem, & pro Repub. protestetur.

6 Odium † verò collegarum suorum hac in parte neutiquam pertimescendum: non enim sufficit sapientiâ & fide præditum esse Consiliarium Principis, nisi etiam animo præditus sit, ne in consulendo offensionem ullius pertimescat. *Middendorp. in com. ad quæst. 82.*

7 Dissentiunt † nonnulli *per Ecclesiast. cap. 11. v. 9.* in judicio peccantium ne consistas, *& Psal. 1. v. 1.* Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.

Ratio negantium.

8 Sed illi verum † sensum horum dictorum non percipiunt, quia loquuntur de illis, qui sunt consortes impii & fraudulenti consilii, non qui ex ratione officii consiliis intersunt.

Confutantur.

Ex modò dictis judicium fert *Hippolyt.* de eo: *Si Consilia-*

9 *rius priorem † sententiam non probet, an* (quia offensionem metuit)

tuit) *tacendo & capite annuendo muneri suo satisfaciat?* In negantem verò abit sententiam, & dupliciter eum peccare dicit; assurgendo vel annuendo, & sic consentiendo: & tacendo, quando maxime loquendi tempus fuerat. Huc trahit illud *Jac. 4.* scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.

CAPUT XXXVI.

AN PRINCEPS NOVUS superiorum Principum Consiliarios ac Officiales imitare & dimittere debeat?

PRimo intuitu id videbatur ex eo, quoniam Princeps† novus sibi adsciscere debet eos Consiliarios, quos scit suo ingenio maximè esse accommodatos. Jam verò illi antiqui adsueti sunt moribus Antecessoris; & novus Princeps successionis lege designatus non suo, sed Consiliariorum illorum arbitrio pleraque peragere cogeretur: quod illi perquam dedecorosum, ut loquitur *Schönborn. l. 3. Polit. c. 22. fol. 242.* 1 *Sententia affirm.*

Verùm negativa, ut nimirum Princeps novus sui prædecessoris Consiliarios fidos & probos retineat; ponderibus suis prævalet. *Negans.*

Nam primò præstabilius† est, ut Senatores, & qui circa secreta Principis versantur, sint perpetui, ut demonstravimus supra cap. 15. num. 23. ex hac potissimùm ratione: quia si dimissi fuerint, secretiora Principatus communicant aliis; & ob ipsam illam dimissionem, quæ ruborem iis incutit, vindictam quandoque meditari solent. 2

2. Quia novum † imperium inchoantibus utilis est clementiæ fama, *Tacit. 4. histor.* ... ideoque consultum, ut initio Principatus 3

Principatus nihil Princeps innovet, priusquàm firmatum sit imperium. *Geil. de arrest. imp. c. 8. num. 12. Bodin. lib. 4. de Republ.*
4 *c. 3. num* 428. ubi dicit: Quemadmodum† viventi adhuc Principi Imperium minuere, aut omninò eripere velle, civitatibus perniciosum, ita Principi ipsi periculosum, multis magistratibus, aut iis, qui Reipub. opibus ac potentiâ armati sunt, imperium uno abrogare & eodem momento; vel etiam superiorum Principum domesticos honoribus, simul ac dignitate spoliare. Et quidem hujus imperii fundamentum firmissimum in eo esse arbitror, quòd mortuo Principe Magistratus omnes imperium retineant, qui cives in officio remque publicam tueantur: ac tametsi mortui Principis domesticos ac familiares novo Principi mutare omninò liceat, id tamen periculosum sapientibus visum est, nec nisi cum bona veniâ, & sine contumelia faciendum: aut certè priùs exarmandos, qui opibus & gratiâ statum Reipub. conturba-
5 re posse videbuntur. Et *lib. 3. c. 1.* Si Prædecessoris † Consiliarii mutentur, leges modumque regiminis mutatum iri opinabuntur cives, ac libertatis oppressionem suspicabuntur: at in Repub. gubernanda non minùs atque haud scio, an plus opinio valeat ac simulatio, quàm res ipsæ.

6 3. Consiliarii prædecessoris gnari† sunt morum animorumque Provinciæ: Sciunt vires Principatus, experientiâ ductrice plurima cognoverunt; de quibus & ipsum possunt monere successorem. *Tholozan. l. 24. de Repub. c. 6. n. 15. Hippolyt. de consiliis fol.* 288.

7 Perpendit hoc Marcus Antoninus† Philosophus, quando morti vicinus Commodum filium primum adolescentiæ florem ingredientem Consiliariis suis optimis & sapientissimis commendabat, ac tantisper felix ac commodum erat Commodi imperium, quamdiu ex ipsorum consilio omnia agebat. His neglectis, ubi parasitos, ludiones, comœdos consuluit, eorum impudentiam & temeritatem longè antegressus est. *Lampridius in vita Antonin.*

8 Nec non Ludovicus XI. Rex † Galliæ, qui Carolo VIII. Delphino filio consilium dedit, ne quid mutaret in administratione

rtione Regni, & antiquos amicos; familiares & ministros retineret, se enim re ipsâ expertum, in quot quantaque discrimina, vel unica hac de causa venisset, quòd excellenti probataque virtute viros ab aula pepellisset: exorto Principum bello, & communi conjuratione facta. *Philip. Cominaeus lib. 9. sub fin.* Quin lex secunda† veterum Gallorum de eligendis Consiliariis fuit: ut no- 9
vus Rex veteres amicos demortui Regis, qui benè Rempub. administrasset, in ministerio retineret, eos præsertim, qui probitatis & fidei existimationem consecuti essent. *Antimachiavell. libr. 1. theorem. 3.*

Si tamen† inquit *idem theorem. 3.* post Principem invitum, 10
& cujus imperii pœnitet, principatum acceperit Princeps: aut si veteris aulæ Consiliarii populo invisi admodum, is abjectis illos probos & expertes adsciscat. Idem est judicium *Gregorij* † *Tholo-* 11
zani d. c. 6. quando censet non retinendos eos, qui auctores fuerint idololatriæ, vel aliorum scelerum, quorum usus populo idiosum reddit Principem.

In hujus quæstionis tractatione in hunc modum† conclu- 12
dit *Andr. Rey à Naglowice in discurs. de consiliar. q. 15. in fin. apud Keckerman. in curs. Philosoph. fol. 524.* Non ita alligamus Principem ad antecessoris sui Consiliarios, ut si peculiaria aliqua tempora ingruant, & res ipsa reformationem vel Reipub. ipsius, vel aulæ postulet, aut etiam si magis idoneos consiliarios habeat, quin veteres mutare possit; sed id cautè tamen aget: nec ita repentè. Misceat potiùs novos veteribus, & utrosque retineat.

Illustre exemplum† ejusmodi reformationis in Alex. Seve- 13
ro ponit *Lamprid. in ejus vita.* qui ubi augustum agere cœpit imperium, primùm removit judices omnes à Repub. & à ministeriis atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo provexerat: deinde senatum & equestrem ordinem purgavit: ipsas deinde tribus, & eos, militaribus nituntur prærogativis, purgavit, & palatium suum comitatumq; omnem, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus, nec

 quen-

Digitized by Google

quenquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem; jurejurando deinde constrinxit, ne quem adscriptum, id est, vacantium haberet, ne annonis Rempub. gravaret, dicens: malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec Reipub. utiles pasceret.

Hæc de Consiliariis eorumque requisitis & officio dicta sunto.

CAPUT XXXVII.

DE LEGATIS, EORUMQUE Generibus.

De Legatis & Legationibus sermonem instituturi, investigabimus ea, quæ tùm ad internam, tùm ad externam ejus consti-
1 tutionem requiruntur. Cùm verò definitio † cujusque rei sit principium, accuratiori methodo insistentes, definitionem legati, quam varii variè proponunt, cum *Hermanno Kirchnero lib. 1. de*
2 *legat. c. 1. n. 6.* damus ejusmodi:

Definitio Legati. Legatus † est mandatarius, publico negotio conficiendo solenniter missus, ab eo, qui potestatem legandi habet.

3 *Notatio.* Legati à † legendo dicti, quòd publicè lecti mitterentur, *teste Varrone.*

4 *Appellationes variæ.* Vulgò dicuntur † Nuncii. *Cic. in quæst. Tuscul.* Sed hæc significatio est generalissima, quâ nuncius quilibet insignitur, qui à privato ad res privatas administrandas mittitur. *Oratores. Vergil. Liv. & l. 7. ff. ad L. Jul. de vi public.* Sed hæc quoque acceptio est latissima, & oratoris nomen latiùs patet nomine Legati. Illud enim ejus est, qui de rebus omnibus possit variè, copioseque disserere: hoc verò ad illos tantùm refertur, qui negotia publica tractant. *Alberit. Gentil. lib. 1. de legat. c. 2.* imò arctior jam ex communi usu videri aliquando potest, ut tradit *idem ibid.* cùm Lega-

tos

ctos quosdam deprehendamus, qui penitùs nihil, aut solùm in accessionem operis peragendi aliquid loquatur. *Interpretes.* Itidem in lato sensu & officio. Propriè enim ita dicuntur, qui linguæ interpretandæ gratiâ Legatis & Oratoribus adjunguntur. *Responsales. c. Salonitanæ civitatis 24. dist. 63. Ambassatores seu Ambassiadores. Nicol. Boërius in tractat. de auctorit. magn. consil. Parlament. Regn. Franc. num. 46.* à veteri voce Celtica Ambachte. *Marquard. Freber. in annot. ad Petr. de Andlo lib. 1. c. 13.* videtur autem *Kirchnero d. c. 1. num. 22.* Celtica ista vox ex mutilatione Græci verbi ἀμϐαδίζειν profluxisse: quod Latinis hinc atq; inde vadere, circũambulare, & commeare denotet: idque Legatorum nomini, qui ex natione alia in aliam, & ex Regno uno in aliud ititant, non incongruum. *Francisco v. Le Vayer lib. 1. cap. 1. de legat fol. 19. in fin.* ἀμϐαδίζειν mittere est. *Oculi & Aures Regnorum* vocantur à *Guicciard. lib. 5. histor.* à Poeta his epithetis insignitur & donatur:

------ ---- vox Regum, lingua, salutis.
Fœderis orator, pacis via, terminus
iræ, semen amicitiæ, belli fuga,
litibus hostis.

A Legatis veris & propriè dictis discernendi sunt † Commissarii & Deputati. Nam illi solenniter mittuntur, & à summo Reipub. Magistratu, qui jus mittendi habet: Hi verò à judice tàm inferiori, quàm superiori ad subditos, rei ut plurimùm privatæ causâ, adeoque non solenni modo. Quamvis ab aliquibus Legati Commissariis † æquiparentur, præsertim Imperatorii: & Recessus Imperii nomina Legati & Commissarii confundant, *ex Rutger. Rulando de commiss. & commissar. Bort, apud Dn. Arumæ. volum. 1. jur. publ fol. 371.* 5 6

Eodem modo differentia traditur *à Kirchner. d. c. 1. nu. 19.* inter † Legatos, Gesandten/ & Ablegatos, sive Selectos & Deputatos, Abgesandten. Legandi enim verbum publicâ: ablegandi verò 7

privata negotia respicit. *Christophorus Warsevicius in libro de legato & legatione.*

8 Præterea Legatus olim dicebatur, qui alicujus † potestatis, magistratusque personam, munusve sustinuit: qualis fuit Legatus Cæsaris, seu Præses. *l. 1. ff. de præsid.* quem Princeps in aliquam è suis Provinciis cum Imperio, ejus gubernandæ causâ misit. *Dn. Vult. lib. 1. Jurisp. Rom. c. 13.* Item Legatos Proconsulis, cui Proconsul vices suas in administratione provinciæ mandabat, cùm negotiis ipse non sufficeret. *l. fin. ff. de offic. procons. & legat. Vult. ibid. Cujac. 7. obs. 21.*

9 Genus † in definitione proposita est *Mandatarius*. Habet

10 enim legatus mandatum publici juris, cùm ergo publicum † sit jus & munus, ad id suscipiendum invitus quis cogi potest, ut expressè cautum est *in l. 4. §. 5. ff. de legat.* Nam publica à privato declinari non possunt. *l. si magistratum. 18. C. de decur. l. tutori. 20. C. de negot. gest.* Hinc rectè *Octav. Mag lib. 1. de legat. c. 2. fol. 32. in fin.* Sapientissimi viri sic semper sensêre: civis optimi, patriæque amantissimi officium esse, legationem accipere, quotiescunque tempus, & occasio postulat: nec enim debent domesticæ res, longitudo itineris, asperitas viarum, aut quæ cæteros remorari solent, unquam retardare. Nam si bene de Repub. merendi usus est ad veram gloriam cursus: Si Romani, avidissimi gloriæ homines, rapti ad spem immortalitatis, vitam pro patria toties in discrimen obtulerunt: quid est quod nos habere debeamus antiquius, quàm præstare patriæ, quantum possumus? nihil autem est, in quo ipsa antiquissima, & sanctissima omnium nostrorum parens filiorum suorum operâ utatur magis, quàm in legationibus. *Sic ille.*

Legationis munus publicũ: ideoq; necessariò subeundũ.

11 Excusationes † tamen justæ audiendæ & parcendum iis, qui oneri se impares ostendunt. *idem Mag. eod. cap. fol. 34. in fin. & seqq. Kirchner. lib. 1. cap. 5. num. 13. & seqq. Canonger. lib. 2. discurs.*

12 *in Tacit. fol. 140.*

Mandatarius autem ille, sive legatus erit † mas, non fœmina, quæ aliàs à foribus omnium civilium & publicorum repellitur. *l. fœmina. 2. ff. de reg. jur. l. cùm prætor. 12. §. 2. de judic. l. pen.*

Legatus mas, non fœmina.

de

de edend. l. 1. §. 1 ad Vellejan. Fœminam inter† viros versari, pudor 13
naturalis non patitur. *l. 14. C. de contrah. & commit. stipul.* qui igi-
tur in exteris regionibus, aulis & palatiis versabitur, & virorum
colloquio intererit? latè *Kirchner. l. 1. c. 4. num. 206. cum multis*
seqq. & nu. 216. nec non *c. 6. n. 74. ad fin.* fœminam ne quidem in
comitatu† viri legati esse debere, docet, ut & *Franciscus Le Vayer* 14
in lib. de legat. c. 9. fol. 82. & seqq. qui in utramque partem argu-
menta adducit, uxoriosque tales notat. Inter cætera hoc quoque
teritur: quòd legato ut plurimùm† dissimulandum, summaque 15
taciturnitas sit adhibenda: hanc autem non sperandam à muliere
propter insitam tùm animi levitatem, tùm linguæ volubilitatem
& lubricitatem. Unicum aut fermè alterum muliebris taciturni-
tatis exemplum, tanquam portentum, posteritati commendari.

Forma† consistit in eo, *quòd solenni modo ab eo sit missus, qui* 16
potestatem legandi habet.

Et sic à privatis † nunciis differt, ut paulò ante di- 17
ximus.

Illis a. facultas† legandi competit, qui potestatem summam 18
Reipublicæ habent: ideoque nemini subditorum hoc concessum.
Qua de causa Legatus Regis Hispaniæ petiit, ne Magnæ Britanniæ
Rex Batavorum oratorem, Ambassadoris nomine & honore di-
gnaretur, An. 1604. *Meteran. in hist. Belgico-Bell. lib. 24.*

Quamvis Principes † Germaniæ, jure liberi imperii illud 19
jus obtineant, ut de negotiis sui principatus ad alios, cùm intra,
tùm extra imperium legatos mittere queant. *Kirchner. lib. 1. c. 3.*
n. 13. Paschalius de legat. c. 11. Quod ipsum de civitatibus liberis † 20
Imperialibus rectè asseritur.

A definitione ducimus ad divisiones † & genera legato- 21
rum. Quia enim Legati ad externas Respub. vel Principes mit- *Divisiones legatorum.*
tuntur, vel † ad indicendum bellum, vel ad componendam pa-
cem, ad amicitias, ad fraternitates & fœdera ineunda, ad con-
trahenda matrimonia, ad gratulandum de victoriis, de novis nu-
ptiis, de novis conjugum puerperiis, deque aliis prosperæ fortunæ
eventibus: vel de adversis & luctuosis casibus ad dolorem signifi-

Digitized by Google

privata negotia respicit. *Christophorus Warsevicius in libro de legato & legatione.*

8 Præterea Legatus olim dicebatur, qui alicujus † potestatis, magistratusque personam, munusve sustinuit: qualis fuit Legatus Cæsaris, seu Præses. *l. 1. ff. de præsid.* quem Princeps in aliquam è suis Provinciis cum Imperio, ejus gubernandæ causâ misit. *Dn. Vult. lib. 1. Jurisp. Rom. c. 14.* Item Legatos Proconsulis, cui Proconsul vices suas in administratione provinciæ mandabat, cùm negotiis ipse non sufficeret. *l. fin. ff. de offic. proconf. & legat. Vult. ibid. Cujac. 7. obs. 21.*

9 Genus † in definitione proposita est *Mandatarius*. Habet

10 enim legatus mandatum publici juris, cùm ergo publicum † sit jus & munus, ad id suscipiendum invitus quis cogi potest, ut expressè cautum est *in l. 4. §. 5. ff. de legat.* Nam publica à privato declinari non possunt. *l si magistratum. 18. C. de decur. l. tutori. 20. C. de negot. gest.* Hinc rectè *Octav. Mag. lib. 1. de legat. c. 2. fol. 31. in fin.* Sapientissimi viri sic semper sensêre: civis optimi, patriæque amantissimi officium esse, legationem accipere, quotiescunque tempus, & occasio postulat: nec enim debent domesticæ res, longitudo itineris, asperitas viarum, aut quæ cæteros remorari solent, unquam retardare. Nam si benè de Repub. merendi usus est ad veram gloriam cursus: Si Romani, avidissimi gloriæ homines, rapti ad spem immortalitatis, vitam pro patria toties in discrimen obtulerunt: quid est quod nos habere debeamus antiquius, quàm præstare patriæ, quantum possumus? nihil autem est, in quo ipsa antiquissima, & sanctissima omnium nostrorum parens filiorum suorum operâ utatur magis, quàm in legationibus. *Sic ille.*

Legatio-nis munus publicū: ideoq; necessariò subeundū.

11 Excusationes † tamen justæ audiendæ & parcendum iis, qui oneri se impares ostendunt. *idem Mag. eod. cap. fol. 34. in fin. & seqq. Kirchner. lib. 1. cap. 5. num. 15. & seqq. Canonger. lib. 2. discurs.*

12 *in Tacit. fol. 140.*

Mandatarius autem ille, sive legatus erit † mas, non fœmina, quæ aliàs à foribus omnium civilium & publicorum repellitur. *l. fœmina. 2. ff. de reg. jur. l. cùm prætor. 12. §. 2. de judic. l. pen. de*

Legatus mas, non fœmina.

Digitized by Google

de edend. l. 1. §. 1 *ad Vellejan.* Fœminam inter† viros versari, pudor naturalis non patitur. *l. 14. C. de contrah. & commit. stipul.* quî igitur in exteris regionibus, aulis & palatiis versabitur, & virorum colloquio intererit? latè *Kirchner. l. 1. c. 4. num. 206. cum multis seqq. & nu. 216.* nec non *c. 6. n. 74. ad fin.* fœminam ne quidem in comitatu† viri legati esse debere, docet, ut & *Franciscus Le Vayer in lib. de legat. c. 9. fol. 82. & seqq.* qui in utramque partem argumenta adducit, uxoriosque tales notat. Inter cætera hoc quoque utitur: quòd legato ut plurimùm† dissimulandum, summaque taciturnitas sit adhibenda: hanc autem non sperandam à muliere propter insitam tùm animi levitatem, tùm linguæ volubilitatem & lubricitatem. Unicum aut fermè alterum muliebris taciturnitatis exemplum, tanquam portentum, posteritati commendari. 13 14 15

Forma† consistit in eo, *quòd solenni modo ab eo sit missus, qui potestatem legandi habet.* 16

Et sic à privatis † nunciis differt, ut paulò ante diximus. 17

Illis a. facultas† legandi competit, qui potestatem summam Reipublicæ habent: ideoque nemini subditorum hoc concessum. Qua de causa Legatus Regis Hispaniæ petiit, ne Magnæ Britanniæ Rex Batavorum oratorem, Ambassadoris nomine & honore dignaretur, An. 1604. *Meteran. in hist. Belgico-Bell. lib. 24.* 18

Quamvis Principes † Germaniæ, jure liberi imperii illud jus obtineant, ut de negotiis sui principatus ad alios, cùm intra, tùm extra imperium legatos mittere queant. *Kirchner. lib. 1. c. 3. n. 13. Paschalius de legat. c. 11.* Quod ipsum de civitatibus liberis † Imperialibus rectè asseritur. 19 20

A definitione ducimus ad divisiones † & genera legatorum. Quia enim Legati ad externas Respub. vel Principes mittuntur, vel † ad indicendum bellum, vel ad componendam pacem, ad amicitias, ad fraternitates & fœdera ineunda, ad contrahenda matrimonia, ad gratulandum de victoriis, de novis nuptiis, de novis conjugum puerperiis, deque aliis prosperæ fortunæ eventibus: vel de adversis & luctuosis casibus ad dolorem significandum, 21 *Divisiones legatorum.*

candum, aut ad gratias agendum; hinc variæ legationum emanant species.

23 Summa† verò Legatorum duo sunt genera, ex objecto. Aut enim expediunt negotia ad summam Reipub. pertinentia tempore pacis, aut Martis opus conficiunt, indicendo bello, & ictis
24 fœderibus finiendis: Illi† *Legatorum* nomine & titulo propriè ac
25 in specie ita insigniuntur: Hi† *Fecialium* seu *Heroldorum* nomine veniunt. *Budæ. ad l. 7. ff. de rer. divis.* In bellis quoque, armorum strepitu, & ardore præliorum usus est Legatorum, qui pacem petunt & offerunt, inducias flagitant &c. eosque *Caduceatores* vocat *Festus*. Sic dictos à Caduceo, sive Ceryceo, quod Græcorum Legati ferebant. *l. 8. eod. tit.* Erat verò baculum, habens ab utraque parte insculptos duos serpentes invicem implicatos, & se mutuò respicientes, *teste Suida & Plinio lib. 29. hist. nat.* Illaque anguium invicem se contuentium species castris opposita castra significabat. *Alberic. Gentil. d. l. 1. c. 18.*

26 Tempore pacis† legationes aut negotii aut officii, aut honoris gratia fiunt.

27 Negotii† ut quando matrimonium pro absente contrahitur Principe, quæ species legationis *Pronuba* vocatur *à Budæo lib. 1. de Asse.* cum auxilia petuntur &c.

28 Officii† causâ sunt legationes illæ, quæ ad Imperatorem & Pontificem quotidiè fermè suscipi solent. *Dn. Besold. class. 2. disp. Polit. 8. th. 3.* quos non propriè legatos dicit, quemadmodum nec provinciales, quales legationes expediebantur ad Impp. vel ad gratulandum, vel ad dolendum, de quibus tituli. *Digest. & Cod. de legat.* maxima ex parte loquuntur, & mentionem facit *l. 35. §. 1. ff. ex quib. caus. major.* eosque hodiernis Deputatis æquiparat. Et hæc *officiosa legatio* appellatur, cujus exempla plurima refert *Gentil. lib. 1. cap. 7.* & inter illa Papæ Romani, qui indignatus fuit Regi Hispaniarum, quòd sibi recens creato non pro more legatos misisset, pedis exosculandi gratiâ, *ex Guicciard lib. 7.* Ad hoc enim officium, cùm Pontificis beneficiarius & vasallus sit Rex Hispan. ratione Regni Siciliæ & Neapolis tenetur. Quemadmodum officii

Digitized by Google

cii gratiâ gratulari tenentur suo domino potentes etiam vasalli. *Kirchner. de legat. l. 1. c. 2, n. 10.*

Legatio ergo quæ fit † officii causâ eum in se nexum habet, ut, si omittatur; exigi & flagitari jure possit: & sic voluntatis coactæ est. Ea verò quę † honoris, ut ad gratulandum, condolendum, est spontanea, & meræ voluntatis, nihilque in se habet, quod devincire mittentem aliquo jure possit. *Idem Kirchner. num. præced. 7. & 8.* non tamen † omittenda, ne inter Principes alioquin conjunctos, simultatibus occasio detur, quod de officiosa scripsit *Schönborn. lib. 3. Polit. cap. 37.* Ejusmodi honoraria fuit Hierami Regis Tyri ad Salomonem, Regem jam unctum super Israël. 1. *Reg. 5. v. 1.* Et hodiè etiamnum talis legatio in testimonium mutuæ amicitiæ usitata est ad novos Principes, eos salutando, gratulando de novo Principatu suscepto. 29 30 31

Ex causa † efficiente Legatus alius Principis est, ejusque vel supremi, vel superiorem recognoscentis: vel Reipublicæ liberæ. 32

Ratione personæ † mittentis non solùm humanam, sed & divinam legationem constituit *Gentil. l. 1. c. 3.* hancque vocat, quæ est à Deo, aut ad Deum remve divinam. Verùm Legatos sacros, † Angelos dico, & Apostolos, non propriè & juregentium Legatos esse appellandos, sed potius Interpretes & nuncios (strictè accepto vocabulo) à potentissimo ad infimos & subjectissimos missos, ut voluntatem, gratiam & mandata referrent, rectè monet *Kirchner. l. 1. c. 1. nu. 15. & cap. 2. n. 23.* 33 34

Respectu † mandatorum Legati aut sunt liberi, aut Formularii. 35

Hi † certam formam & instructionem accipiunt, cujus fines ipsis egredi non licet. 36

Illi † dicuntur, qui nullâ certâ præscriptâ formulâ, liberam agendi habent potestatem, quod è re publica esse judicarent. Idque in rebus potissimùm intricatis & ancipitibus, quarum certus modus dari nequit, fieri solet. Athenienses † libertatem agendi absolutam legatis hâc formulâ concedebant: *Legati prætereà, quicquid boni possunt agunto. Bertram. de comit. lib. 54.* 37 38

Est

39 Est & alia † species legationis liberæ, ejus scilicet, qui publico Legati nomine commendatus, ornatusque, reipsâ ob privatam
40 exiit occasionem. Similis † scil. hic est procuratori, quem dicunt *in rem suam* Jurisconsulti. *Gentil. l. 1. c. 8. à pr.* Donabantur enim à Senatu vel Imper. Clarissimi viri honorario titulo liberæ Legationis, etiamsi suorum, non publicorum negotiorum causâ in provinciam aliquam proficiscerentur: quò majori abessent cum dignitate. *Just. Lips. in comm. ad lib. 12. annal. Cornel. Taciti.* Sic Scipioni Nasicæ hæc fuit decreta legatio, ut tutiùs, honorificentiusque in Asia esset, quò proficiscebatur, plebis ob necem Gracchi infensæ furorem, si Romæ substitisset, reformidans. *Plutarch. in vit.*
41 *Gracch.* Ita tribus † ferè de causis hæ legationes liberæ concedebantur, voti solvendi, periculi vitandi, & hereditatis nominumve persequendorum causâ. *Gentil. ibid.*

42 Dicitur † v. libera, ex sententia *Cujac. lib. 9. obs. c. 29.* quod nullo sit finitâ tempore, sed redire & abire, ei, qui eam impetraverit, quandocunque liceat. Virgulâ censoriâ ob id notatus *à Gentile d. c. 8. fol. 23.* sed ab ea liberatus & vindicatus *à Kirchner. d. cap. 2. num. 29.*

43 A tempore † nonnulli Legatos alios faciunt *Temporerios*, alios *Residentes.*

44 Illos † dicunt, qui ad tempus sive certum, sive incertum emittunt, & redire jussi, quando id, quod habent in mandatis, confecerunt.

45 Hos † verò, qui nec ad definitum certumque negotium, nec ad tempus, sed ad voluntatem mittentis, ex anno in annos, ex lustro in lustra, donec non fiat revocatio, resident, ad omnium rerum, quæ in alieno Regno, Principatu, & Repub. accidunt, curiositatem & explorationem, ut nihil prætermittant, quod Principi commodum afferre possit. Tales in Regno suo nunquam fuisse passum ferunt Henricum VII. Regem Angliæ. *Gentil. lib. 2. c. 12. in fin.* Hodiè verò eo genere sunt Residentes Galliæ, & Angliæ Regum ad Portam Ottomannicam.

46 Sed tales † alii non in genuina Legatorum classe, sed speculatorum censu collocant, cùm non tàm negotii, quàm relationis

Z 3 gratiâ

gratiâ sint missi, neque ex Legati jure, sed ex pacto singulari utriusque partis, variis de causis, ut sint nonnunquam aut fœderis inter potentes, tanquam obsides.

CAPUT XXXVIII.
DE REQUISITIS, VIRTUTIbus & scientiis Legatorum.

Legendorum † Legatorum ratio diligentissima habenda est, nec 1
promiscuè sumendi, qui tam arduo & periculoso muneri præficiantur: quod vel ipsa notatio Legati, à legendo dicti, suadet. Nihil † siquidem turpiùs ambitur, nihil inconsideratiùs committi- 2
tur, nihil periculosiùs & invidiosiùs suscipitur, nihil difficiliùs peragitur, quàm legatio. Unus vel minimus commissus aliquando, error inquinat legationis omnia: & propter pauca Legati vitia, sæpè evanuerunt plurima, & maxima, quæ erant vel in primis dilaudanda *Christoph. Warscevic. in lib. de Legat. & in Panegyr. ad Stephan. I. Regem Poloniæ.* Et sic onus † Legationis obeundæ temerè, 3
& nullo consilio suscipere, imprudentis esse scribit *Octavian. Magius lib. 1. de legat. c. 2. fol. 35. in fin. & fol. 36. à pr.* Est igitur † ei, 4
inquit, qui tanto munere præponendus sit, inprimis considerandum, unum onus suscipiat, quod sustinere suis viribus possit: tantum enim est cuique muneris deferendum, quantum sustinere, ac profiteri posse videatur. Quare qui nullam † aliam, præter rei mili- 5
taris aut disciplinæ navalis cogitionem unquam habuerunt: aut qui in aliqua alia hujusmodi re in omni vitâ versati sunt, non debent, meo quidem judicio, ullo modo petere vel obire munus legationis: sed illi bellicæ tantùm gloriæ studio teneantur. Nam illud æquum & utile inprimis hominibus esse semper duxi, ut unusquisque artem, quam noverit, exerceat, prætereà nihil (viros tamen bellicæ scientiæ peritos legatis adjungi posse, paulò infrà referemus.) Hac de causâ Cyrus † Rex Persarum inter primos edu- 6
candum & diligentissimè informandum aulicis & politicis institutis

Ll

tutis dixit, quem præficere huic muneri posset. *Xenophon. lib. 8. Cyropæd.*

7 Requiruntur † autem in Legato dona seu præsidia tam interna, quàm externa.

8 *Interna* † (quæ longè præferenda) sunt ingenii præstantia & dexteritas, judicii acrimonia, prudentia, memoriæ vis & excellentia, fidelitas, doctrina, eloquentia, peritia linguarum, fortitudo, temperantia, de quibus virtutibus & ornamentis legati, prolixè agit *Gentil. de Legat. lib. 3. cap. 5. & multis seqq. Octav. Maginus lib. 2. cap. 2.*

9 *Prudentiam* † quod concernit vel ea ad Legatos maximè pertinet, quorum lumen & oculus illa est, quo si quispiam careat, non secùs ac Homericus ille cyclops, undiquaque in tenebras & erroris caliginem irruet Salomon *Proverb. 26. v. 6*: claudum pedibus facit, qui mittit verba per nuncium imprudentem & stultum, & diximus supra, quòd Legati sint aures & oculi Regnorum.

Prudētia.

10 Sic Ægyptii † per depictam aurem intentum hominem significabant, & per oculum vigilantiam atque prudentiam. *Orus.* Pru-
11 dentis † igitur est hominis acutissimè videre, quid in unaquaque re verum sit, non errare, non decipi, non nescire, sic *Herman. Kirchner. lib. 1. de Legat. c. 4. nu. 116.* oculos suos habeat illustris legatio, ac si fieri possit, Janus mihi biceps legatus sit, qui non solùm antè, sed & retrò videat, ne fortè, ut cum Satyrico loquar, ciconia à tergo pinsatur. Nam ut maximè totus oculeus, ut Plautus ait, instar Argi illius fabulosi fuerit, non satis tamen sibi prævidere ab aularum decipulis ac foveis poterit. *Octav. Maginus d. c. 2. fol. 145.* Legatum facit prudentem, ut idoneam cognoscat opportunitatem rerum agendarum: ut rationem habeat temporum, & naturæ Principis, ad quem missus sit: ut longè inposterum futura prospiciat, ut denique in maximi ponderis actionibus degustare hominum mentes, perspicere voluntates, & ad intimos etiam sensus sciat facilè penetrare.

12 Excellet † itaque prudentiâ legatus, si ingenium ad res subitas non desit, ex doctrina Politicorum. Legatus, præsertim Principis, inquit *Otho Meland. in idea stud. Polit. fol. 72.* celeri ingenii

motu.

motu præditus sit, ut argutè & eleganter proponat, & respondeat, dicat, agatque solerti judicio anteà cognita, & non cogitata. Sunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad consultandum non præbent, ut scribit *Durus de Pascolo in Aulico suo Politico, aphorism.* 47. ubi igitur res moram non fert, ibi ex arena consilium est capiendum. De adhibenda tali celeritate in negotiis, *vid. Octav. Mag. lib.* 1. *c.* 2. *fol.* 63. *& seq.* ubi verò tempus† datur, non properandum erit, sed adhibenda justa diligentia. Nam omnia, ut Fabius dixit *apud Liv. lib.* 22. non properanti clara certaque fiunt: Festinatio verò improvida ac cœca est. *idem Liv. lib.* 31. Rectè igitur *Kirchner. de Repub. disp.* 10. *th.* 2. *lit. c.* in legationibus† potissimùm hominum temperamenta & naturæ considerandæ, ne effervescentioris choleræ qui sunt, mittantur, nec stupidi, & inertes phlegmatici: in illis enim duo adversissima rectæ menti: ira & celeritas. *Thucyd. l.* 3. quæ legationis cursum bonæque suadæ navim evertere solent. *Liv. lib.* 22. In his nimia tarditas & simplicitas negotio veternum addit, *Ceriolan. de consil. lib.* 2.

13

14

15 *Fidelitas*† maximè commendabit Legatum, officium enim ejus est, omnia fideliter & ex animo agere. *Octav. Mag. lib.* 1. *c.* 2. *fol.* 37. Finis verò est, ea facere, & iis rebus consulere, quæ Reipubl. suoque Principi maximè conducere videntur, erga quem summa legato fidelitas nunquam desit. *idem ibid.* sanè Princeps in Legati fidem se totum commisit, unde legatus fidelis dicitur sanitas à Salomone *Prov.* 13. *v.* 17. *& cap.* 25. *v.* 13 sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. Quod si tamen confligetur† hîc fides divina & Regia, in hanc 16 potiùs peccandum, quàm in illam. Major enim & sanctior esse debet divinæ, quàm temperariæ majestatis veneratio. Pessimè† ta- 17 men agit, qui suscipit legationem, cui scit legem Dei & honestatis remoras injicere, quò minùs sit exequenda.

Fidelitas.

18 Doctrinam† in legato non vulgarem vulgò requirunt nostrates, sed ex omni disciplinarũ genere cumulatissimã, *& Mag l.* 2. *c.* 1. omnibus Philosophiæ tam theoreticæ, quàm practicæ partib. instructum vult esse perfectũ legatum. Sed veriùs sentit & scribit

Doctrina.

Digitized by Google

Kirchner. num. 20. *& seqq.* scholasticas disciplinas in legato non esse rejiciendas, nec admodum etiam desiderandas: politicas potiùs & aulicas ei necessarias.

19 *Historiarum* † studium ante omnia commendandum. Est enim historia dux actionum, consiliorum inventrix, comes itineris, & pronuba instituti salutaris: quam quò magis variam quis legerit, & legendò rebus & temporibus adoptaverit, eò & plures legationes obiisse videbitur. *Warsev. de legat. fol.* 248.

Historiar. cognitio.

20 Cognitio item JURIS, † non tàm privati, quàm publici, requirenda. In jure publico ut legatus apprimè sit versatus, exigit quoque *Bertram. de comit. conclus.* 53. Illius quoque scientiam tam necessariam esse legato, quàm Solem mundo, quidam non inelegantèr dicebat, refert *idem.*

Juris.

21 Sanè legationum potissimæ † causæ in publici juris capitibus consistunt, de fœderibus, de jure belli, de Regnorum jure, de dominationibus jure, & similibus, quorum gratiâ legationes frequentantur. *idem Kirchner. ibid* Qualis ergo suasor, in consiliis publicis esse poterit, tot rerum, quibus præcipuè Respublica continetur, ignarus? *Quintil. lib.* 12. *Inst.*

22 Nec solùm literatos & eruditos in schola, sed & illiteratos, quibus *usus* † *& experientia* loco scholæ fuit, tùm politicos, tùm legatos esse posse: eosque sæpè scholasticâ doctrinâ excultos superare, exemplis demonstrat *Kirchner. d. l.* Illiteratos verò iis in negotiis mitti posse docet, quorum exquisitam per experientiam edocti norunt rationem, ut in re militari Hannibales, Sphorciæ, &c.

Experientia.

23 *Eloquentiam* † in legato orabundò requiri, tam est in proclivi, quàm pluvia cùm est imber, sine qua parum prodesse prudentiam, testis est *Canonherius ad Tacit. fol.* 241. Est enim proprium, insigne, ac instrumentum Legati, cujus beneficio omnium sensus & oculos in se convertit, auctoritatem nomenque oratoris sibi conciliat. Nec enim meritò eloquentia à gravissimis auctoribus rerum omnium regina vocatur, *Muret. orat.* 3. & sic expedit, inquit *Christoph. Warsevicius de concil. & consil c.* 2. *& in lib. de Legat.* mittere legatos dicendi gravitate atque copiâ instructos.

Eloquentia.

Quo-

Digitized by Google

Quotidiè enim offeruntur occasiones Principi, Consiliarios suos aut ad exteros, aut verò ad subjectos allegandi, sive illi Regni, sive provinciæ, sive urbis alicujus nomine & ambitu continentur. Hic debebit suadere, aut dissuadere, accusare aut defendere, laudare, aut vituperare, boni aut mali aliquid exaggerare verbis, & his similia.

24 *Linguarũ notitia.* Sed & notitiam *Linguarum† exoticarum*, si ad exteros legatio sit obeunda, necessariam esse multis docet *Gentil. lib. 3. c. 7. & Warsevic. in lib. de Legat.* illius gentis, aut etiam Principis linguam Legato necessariam esse tradit; apud quem legatione functurus sit. Hoc amovet, ait, incommoda Legato gravia & magna, affert verò summa & plurima contraria: nemo enim communicandis alicui secretis, adhibet plures, cùm præstare id possit ipse, aut per pauciores. Non solùm autem plurimum utilitatis, sed & multum decoris linguarum notitia addet Legato. *Schönborn. lib. 3. Polit. cap. 28.*

25 *Fortitudo.* Præterea *Fortem* † se præstet Legatus, geratque pectus adversus omnem vim omnemque eventum obfirmatum & imperterritum: Multa enim secus eveniunt, quàm cogitata sunt. Nec verò est causa, cui intrepidè munus suum non obeat, versam in re laudabili; & tanto jure munitus tutusque. Huic autem juri tantùm confidere, cum periculo est conjunctum, si quid secus contingat, quia turbamur rebus improvisis, & non cogitatis. *Dio lib. 42.* Quare induenda animi magnitudo, quæ sola quemlibet rei eventum improvisum ac insperatum, veluti Sol nubes, deprimit. Et sola confidentia est, quæ animum alacriorem vegetioremque reddit. Quòd si verò Legatus sit timidus, canis muti nomen non effugiet. *c. si Rector. 1. dist. 43.* docet quippe negare, qui timidè rogat. *Seneca in Hipp.* & tum satius esse docet *Warsevic. de Legat.* ut declinentur maturè, quorum nos aliquando pœniteret. Eòque nomine reprehensum à fuisse Demosthenem, quòd in legatione, usque in aliquam vitæ partem progressus, dum subinde impotentiam animi, & iracundiam illius, ad quem mittebatur, secum ipse cogitasset, missam fecerit legationem.

Denique temperantiæ† jubare resplendeat Legatus ad imi- 26

Digitized by Google

Temperantia. tationem Xenocratis, Athenienſium Legati, qui dicitur nec quicquam voluiſſe aut guſtare priùs, quàm legationem ſuam expoſuiſſet. *Gentil. c.* 13. Ea erat ad Antipatrum de redimendis captivis. Igitur ad cœnam à Rege invitatus, talia protulit carmina.

Quis cupiat Circe prudens, vel ſanior unquam
Suſtineat bibere, atq; cibū guſtare, priusquam
Solvantur ſocii, mihi vel reddantur ad unum?

27 *Externa* fortunæ bona potiſſimùm ſunt auctoritas † & gravitas, ſine quibus legationis ſplendor & intuitus vileſcit. *Gentil. lib.* 3. *c.* 4. Ubi ait, tantam eſſe quorundam Principum ſive ſtultitiam, ſive pervicaciam, ut quem omninò mittant, vix cogitent, ſeque unos reſpici debere opinantur: agant, legent, viliſſimos quoſque, ſive hoc viliùs redimant, ſive ſint hac in re gratioſi: ipſi ſæpè ſentiunt, quid hoc ſit, faciem & perſonam ſuam ignobilibus hominibus dare. *Auctoritas & gravitas.*

28 Quid enim? Dignitas Legati † à dignitate non modò mittentis, ſed etiam miſſi coruſcat. Indignitas verò Legati non ſolùm mittentis perſonæ dehoneſtamento eſt, verùm etiam

29 ei, ad quem indignus miſſus eſt, ruborem incutit. Negarunt † Romani quibuſdam pacem, ob hoc, qui parum dignitatis in legatione fuerat. *Liv. lib.* 30. quo loco, ſæpenumero remiſſos eſſe Lega-

30 tos indignos teſtatur, & Auguſtus † legatis eſſe in Orcheſtra locum vetuit, cùm quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſent. *Sueton. in ejus vit. c.* 44.

31 Et quis non mirabitur Ludovicum † XI I. Regem Galliæ? Hic tonſorem ſuum olivarium in Burgundiam petitum uxorem Delphino ſuo, Caroli Ducis unicam filiam, Mariam, ablegavit, quod pro contemptu à domo Burgundica meritò fuit habitum, & tale, quod etiam in jugulum balbi tonſoris meritò deriſi ab omnibus, rediiſſet, niſi maturiore fugâ ſibi conſuluiſſet. *Comin. lib.* 8. *de geſt. Ludovic. fol.* 592. *& ſeq.*

32 Removeantur † ergò à ſplendore legationes fullones, cerdones, inſtitores, negotiatores, turpes, infames, ſervi, Judæi, &c. Præ-

33 ficiantur † verò ei viri genere nobiliſſimi, virtute & eruditione

cla-

Digitized by Google

clarissimi, rerum periti, probi & graves, qui amplissimos in Repub. gradus sunt consecuti, de quo delectu *Octav. Mag. l. 1. c. 1. fol. 16. cum seq. & l. 2, c. 1. per tot.*

In iis quæ legum† decisiones flagitant, non nisi jurisconsulti, ita de rebus Ecclesiasticis missos olim fuisse Patres, Augustinum, Chrysostomum, Gregorium, historiæ Ecclesiasticæ testantur, si necessitas postulat, viros militares legatis adjungendos scribit *Camerar. cent. 3. hor. success. c. 68. fol. 247.* ubi plura lectu digna de qualitatibus legatorum habentur. 34

Auctoritatem quoq; in senectute † & canitie magis, quàm in juventute relucere, tradit *Cicer.* sanè si haberi possunt seniores, graves, prudentes, rerum intelligentes, (non ergo repuerascentes, deliros, mente & consilio vacillantes, acie hebescentes) eligi ac præferri eos majestatem legationis conferret. *Kirchner. lib. 1. de Legat. c. 4. num. 63.* Interim minorem annis† triginta non vult negligi (prout facit *Alberic. l. 3. cap. 14. fol. 207. & seq.*) Si modò cæteri senilis prudentiæ & gravitatis instrumenta non desint. Reperiuntur enim nonnulli, in quibus est prudentiæ & judicii præcox maturitas, consiliique senilis magnitudo: ac ætate quidem juvenes, ingenio verò senili prædiri, juxta illud *Cic. in Cat. Major.* Ac ut senes quidam semper pueri, ita sunt quidam juvenes, in quibus aliquid senile. 35 *Ætatis maturitas.* 36

Unde *idem Kirchner. num. 67.* hoc in eligentis judicio & prudentia rectè positum esse vult. Illud interim per quàm consultum videri scribit, si nonnunquam † cùm senioribus juniores emittantur, ut ætatis utriusque quasi temperamentum quoddam in uno legationis veluti quodam corpore existat. Ita enim ferrum rum prudentia & experientia consilium juvenile concoquet ardoremque nimium præcipitis sententiæ mitigabit: Senis verò frigiditatem juventæ calor, & si fortè nimis trepidus & meticulosus ille, quod senibus affine esse testatur *Aristotel. in problem.* hic exsuscitabit languescentem, & in vires revocabit. *Sic ille.* 37

Pulchritudinē † quod cōcernit, illa ad inflectendos hominū sensus animosq; devinciēdos valida est, *dic. Plat. in Phæd.* eamq; comi- 38 *Forma.*

Digitized by Google

comitatur gratia. *Piccolom. grad. 8 Phil. moral. c. 8.* Hinc *Alberic. Gentil. lib. 3. de Legat. c. 3. & Kirchner. lib. 1. c. 4. num. 5. & seq.* ut à *num. 87. & seqq.* volunt, ut corporis quoque pulchritudine, tanquam ab ipsa natura commendatus, Legatus mittatur.

Pulchritudinem verò cum *Cicer. lib. 1. offic.* requirunt, non muliebrem quæ in venustate consistit; sed virilem; quæ in justa omnium membrorum proportione & totius corporis dignitate posita est. Sanè quanto animus corpore præstabilior: tanto il-
39 lius pulchritudo divinior & amabilior, quàm hujus legẽdum † ergo legatum scribunt talem, qui sit justâ staturâ & proceritate sani corporis, non brevioris staturæ homuncio, nec etiam cyclopicæ proceritatis, cùm hæc legationis gratiam non habeat: Parvitas v. staturæ ludibrio sit: nec etiam stigmate aliquo naturæ notatus, unoculus, multo minùs cœcus, surdus & surdaster, claudus, naribus, auribus aut reliquis membris eminentioribus distortus aut truncatus, tùm quia in Legati persona Regis & Principis mittentis majestas repræsentari peregrinis videtur: tùm quia in despectum sui id fieri arbitrantur exterorum Principes: tùm etiam, quia derisionis & cachinni ansam potiùs præbet. Præsertim cùm plurimi id persuasum habeant, ejusmodi vitia vitiorum etiam animi indicia esse. *Fr. Le Vayer d. l.* Proinde nec sibi, nec Principi suo ullam apud hos conciliabit auctoritatem. *Rutger. Ruland. lib. de commiss. p. 1. c. 11. Fur. Ceriolan. de consiliar. c. 2. Alberic. Gentil. lib. 3. de Legat. cap. 3.* Refertur festivus jocus & scomma Catonis Stoici, quo Legatos vitiosos est prosecutus, cùm enim à Senatu Romano pacis ergo inter Nicomedem & Prusiam faciendæ missi essent, quorum alter lapide quondam petitus cicatricosam frontem ostendebat, alter pedibus laborabat, tertius verò ingenio planè socorde erat. Tum ille Legationem, inquit, populus Romanus mittit, quæ neque caput, neque pedes, neque cor habet.

Et hactenus de requisitis Legatorum.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

DE LEGATORUM SECURITATE & libertate cum Comitatu.

LEgatos publico†jure gentium sanctos esse & inviolabiles, hoc 1
est, ab omni violatione tutos, vox est Pomponii *in l. fin ff. de legat. & Cicer. in orat. de Aruspic. respons.* jus, inquit, legationum humano divinóque vallatum præsidio est.

Sanctum†nomen legatorum apud omnes nationes fuit. 2
Jul. Cæs. l. 3. de bell. Gall. & corpora sancta dixit *Varro. 3. de Ling. Lat.* Hinc in securitatis signum legati Romanorum gestare soliti sunt quasdam herbas quæ saguina (à quibus sanctum dictum est) vocantur, sicut legati Græcorum tulerunt ceriicia. *l. 8. §. 1. ff. de rer. divis.* Et Romani vicissim adhibitâ summâ rrligione viginti fecialium collegium instituerunt, ut si cujuspiam apud se legati violati essent, illi cognoscerent, & nullo dignitatis honorisve intuitu violatores dederent. *Kirchnerus lib. 2. de Legat. cap. 1. num.* 39.

Quare contra†jus gentium peccant, qui legatos hostium 3
pulsaverint. *Pompon. iu d. l. fin.* Et ideo, ait, si cùm legati apud nos essent gentis alicujus, bellum cùm iis indictum sit, responsum est, liberos eos manere. Id enim gentium juri convenit esse. Ergo jus admissæ†legationis est, ut etiam inter hostium tela legatus verse- 4
tur incolumis & tutus. *Cicer. Verr.* 3. Unde si inter duos Principes bellum subitò exardescit, legati eorum retinēt apud utrumq; fartam tectam libertatem omnem suam: quod aliis hominibus non contingit, qui si ita apud hostes Principis sui deprehenduntur, servi eorum fiunt; Legati abire jubentur, si eo tempore eos in regno suo degere Princeps nolit. Cujus rei exempla profert *Guicciard. lib. 1. & 6.* Nec justè arma moventur, dum inter Legatos admissos de componendis dissidiis tractatur. *Gentil. l. 2. de legat. cap.* 13. Exigit autem officium, ut securitas legatis præstetur, quippe nihil aliàs cum hostibus effecturis.

5 Hoc itaque jus gentium violarunt † hostes Henrici Aucupis Imperatoris, qui prope Goslariam legatos illius præcisis crinibus malè mulctarunt. *Philippus Camerarius cent. 2. hor. succisiv. cap.* 40.

6 Nec tantùm in accessu inviolabiles † sunt Legati, sed etiam in discessu & reditu. Securitas enim veniendi includit etiam securitatem recedendi. *l. nullam* 3. *C. de Naviculariis*, *& ibi Bart.* Pessi-
7 mè † itaque Leo X. P. M. Bajonium, salvo conductu liberè accedendi concesso, ad se pellectum, recedendi libertate denegatâ, delusit. *Menoch. de arbitr. jud. quæst.*

8 Nec facilè † invenias, alicubi impunè violatos fuisse Legatos. Ammonitæ miserè à Davide sunt perditi, cùm suos illi Legatos violassent contumelioseque tractassent. 2. *Sam.* 10.

Cùm Athenienses & Lacedæmones Xerxis Legatos terram & aquam Regi postulantes, id est, tanquam Monarchæ summam prædominationem in omnia alia regna vendicarent, projecissent in puteum, terramque superingessissent, ad expiandum facinus miserunt Lacedæmones duos suorum civium, à quibus Rex ob suos Legatos violatos supplicium sumeret: quibus tamen ipse manus injicere noluit, ne ipse faceret, quod aliis exprobraret. Athenienses verò, cùm de expiatione parum essent solliciti, oppressi & urbe exuti sunt. *Herod lib.* 8.

Quid de Corinthis dicam qui Legatos Romanos sibilis & conviciis ejecerunt è theatro, sordibusque perfunderunt? ut testatur *Polyb. & Dio.* Legati, inquit *Cicer. pro Pompejo*, quòd erant appellati superbiùs, Corinthum patres nostri totius Græciæ lumen extinctam esse voluerunt, eóque argumento contendit, Pompejum mittendum contra Mithridatem, qui & ipse Romanorum Legatos violasset. Vos eum Regem (Mithridatem intelligit) inultum esse patiemini, qui Legatum populi Romani consularem, vinclis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit?

Quin & Sejones & Bojos delerunt iidem Romani, quòd M. Curii Legatum ad redimendos captivos missum, interfecerant ut refert *Polyb. lib.* 2.

Alter

Alter Romanorum Rex Tatius, quòd ulcisci illatas à suis injurias Laviniensium Legatis neglexit jure creditur occisus. *Liv. lib. 1.*

Legatis Romanorum à Tolumnio Vejentium Rege interfectis, graviter ipsum insectatur Cornelius hisce verbis: *Hiccine est ruptor fœderis humani, violatorq; gentium juris? jam ego hanc mactatam victimam (si modò sancti quicquam esse in terris dij volunt) legatorum manibus dabo.* occidit, caput abscidit, quod spiculo gerens terrore hoc cæsi Regis hostes reliquos fundit. *Livi. lib. 4.*

Nunquam etiam alibi † tam manifesta Dei ultoris ira illuxit, quàm cùm ob violatas Legatos, urbes & regiones devastatæ funditusque eversæ fuerint, juxta illud *Juvenalis*: 9

Magnaq; debetur violatio pœna caduceo.

Vigilat enim justitiæ oculus sempiternus, ultricesque Legatorum diræ, ut *Marcellinus* loquitur, violationem jurisgentium persequuntur *Kirchn. de Legat. l. 2. c. 1. n. 48. & 52.*

De jure Canonico † violatores Legatorum excommunicantur, exterminantur è Christianâ societate. *c. si quis. distinct. 94.* 10

Jus verò civile † deditionem fieri jubet. *l. ult. ff. de legat.* de qua re cap. seq. dicetur. 11

Salva verò manet Legatorum securitas cum † omni comitatu. Ulpianus enim *in l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* lege Juliâ teneri eos dicit, qui Legatos Oratores, comitesve ipsorum pulsaverint, aut injuriam fecerint. Siquidem vel Studiosorum † famulis eadem privilegia sunt indulta, quibus ipsi Studiosi gaudent. *l. 2. C. de comitibus consistorianis.* Et comites præsidium, & proconsulum, procuratorumve Cæsaris, à muneribus, vel honoribus, & tutelis vacare, non secùs atque hos magistratus, vox est Pauli JC. *in l. 12. §. 1. ff. de vacat. & excus. tutor. l. 32. quibus ex caus. major.* dicitur, quòd Reipub. causâ absint comites Legatorum. Facit etiam *l. 16. de offic. præsid. l. 4. de offic. assessor.* Ratio est, quia connexitas † unitatem operatur, & connexorum idem est judicium: & 12 13 14

Mm 2 exinde

exinde idem judicamus de connexo, quod de principali. *Geil. l. 1. de pac. publ. c. 6. nu. 5.* Hinc privilegium alicui pro se concessum, extenditur etiam ad ejus familiam, sine qua esse non potest, *l. hujus. ff. qui pot. in pign. habeant. ibi: sine quibus navis salva pervenire non poterat. & l. administrantes. §. 1. de excus. tut. l. 1. §. si vir aut uxor. ff. ad SC. Syllania. Hippolyt. Marsil. sing. 180.* Et privilegium Xenodochio concessum, extenditur etiam ad Oeconomos, & administratores Xenodochii, quorum operâ pauperes carere nequeunt. *Oldrad. consil. 11. Geil. 2. observ. 68. num. 5. & 6.*

Pertinet huc etiam vulgaris illa regula, quòd quandoque quis ex persona alterius aliquid consequatur, quod ex sua persona consequi non posset, *per text. in c. auctoritate. §. fin. de concess. prebend. l. 6. & in l. Aristo. in l. fin. ff. quæ res pign. oblig. non poss. gloss. ibid. in verb. potest. in l. si communem. ff. quemadmodum serv. amitt. & in clement. religiosus. de procurat.* ubi monachus potest esse procurator in causa communi.

15 Comites † autem omnes hoc nomine & jure veniunt, qui legatum comitantur, cujusque status sint & officii, honestioris aut vilioris, sive rhedarii, sive stabularii, nautæ, sive remiges; minoris etiam servitii famuli æquè necessarii, atque majoris sive tantùm numeri gratiâ unà erant. Non enim propterea, quòd huic vel illi officio aut servitio præsint, sed quòd in comitatu legati sint, legationis jure potiuntur. *Kirchner. num. 234.* Interim † comites facilius & duriùs ob delicta puniri possunt, quàm ipsi legati. *idem ibidem, & Keckerman. in curs. Philosoph. fol. 678.* cùm discrimen tale sit inter legatum & ejus comitem, quale inter corpus & umbram.

17 Cæterùm hoc jus gentium legatorum non præstabit † securitatem & libertatem iis, qui missi legati non sunt, & legationis tamen nomen præ se ferunt. Nec enim legatus esse potest, qui missus non est.

Mentita legatio nō est libera.

18 Cùm † verò, qui legatus etsi sit, non est tamen ad eum, ad quem se missum affirmat (quales legati Philippi Macedoniæ Regis ad Annibalem missi: qui in manus Romanorum incidentes, legatos

gatos se ad Romanos dixere missos, & felici primum evasere mendacio, mox verò cogniti, capti sunt, Romamque deducti, quia ad Romanos non erant, sed ad hostes. *Liv. lib. 23.*) legationis titulo & privilegio eximit *Alber. Gentil. lib. 2. cap. 2. & 3. Besold. quoq; class. 2. disput. Polit 8. th. 13.* ex naturæ relationis non esse legatos, tradit, nisi respectu eorum, ad quas ablegati sunt. Et hinc infert: Ad hostes missos legatos ex jure defensionis intercipere licere: quod concedit, ut omnes conatus hostis quolibet modo avertamus.

Exemplum ejus rei est in Fregesio & Rincone Legatis Gallicis, quos Carolus V. intercepit, quòd occultè per Italiam & Turcam contenderint. Sed probabilior videtur sententia *Gregorij Schönborneri l. 3. Polit. c. 27. & Hermanni Kirchneri lib. 2. de legat. c. 1. nu. 21 & seqq.* qui legato securitatem ubivis gentium, & per illorum fines, ad quos non est missus, præstandam esse judicant. Quòd legati jura legationis non obtineant, nisi apud eos, ad quos missi sunt: & contra quos non missi: hoc de stricto jure multos existimare verum, refert *Christophor. Warsevic. in lib. de Legatò & Legatione*: Secùs verò expedire rebus & dignitati Regum & Principum maximorum.

Nam & Alexander M. pepercit legatis Charthaginensium, qui ad Tyrios in eum animandos venerant. *Curt. lib.* 4. Macedonum verò legatorum à Romanis captorum diversa observandæ est ratio, inquit *ibid. Kirchneri nu.* 9: Macedones legationem se habere ad Romanos mentiti sunt: idque est, quod histor eus dicit: felici primùm mendacio evasere: fraus autem & mendacium posteà detectum est, unde doli & proditionis suspiciones adversus eos obortæ quæ prehensionis & interceptionis justissimæ causæ: juxta Solonis illam legem: Mentiri noli: *Laërt. in vita Solon.*

Magis verò probamus quòd *idem Gentil. c.* 4 legatos speculatores, † qui speculandi causâ missi sunt, à violatione immunes censet, quamvis hic alii in contrariam abeant sententiam. Atque ut sentiat, cùm legato speculatore non agi durius posse, quàm ut non admittatur, vel expellatur admis- 19 *An legati speculatores sint immunes.*

 sus,

Digitized by Google

ſus, movent ipſum tùm exempla, tùm rationes. Sic enim Antiochus exploratores legationis ſpecie oberrantes regaliter & perhumaniter tractavit. *Polyb.* & Poſthumius dictator Romanos volſcos agnitos & convictos ſpeculatores ſervavit, quia legationis nomini, quòd præ ſe ferebant, plus dandum cenſuerit, quàm facinori certò ſe pendendum. *Dionyſ. Halicarnaß. lib* 6 plura recitat. Gentilis, & hanc ſuam definitionem magis probabilem eſſe dicit eâ ratione; quia improbis alioqui lata panderetur janua in legatos omne deſæviendi, ſi ſit jus, nomine legati quempiam ſpoliare, ſubditumque ſibi reddere: quòd eum ipſe judicet exploratorem, non legatum advenìſſe.

Exitioſum ſanè hoc fuit Ammonitis, qui Legatis Davidis, ceu exploratores, malè exceperunt. 2. *Sam.* 10.

20 Hæc tamen ſubaudienda † ſunt de ſpeculatoribus, qui vel ſolenniter miſſi certum habent legationis nomen, vel quorum prætextus, vanum, inane & ementitum legatorum nomen non poteſt probari. Quod ſi poſſet, & certò conſtaret, exploratorem veniſſe (quæ tamen probatio difficilis, nec eſt alia niſi à confeſſione mittentis, ipſiusque legati) aliter cum illo agendum foret, Aures enim hic accommodamus *Appiano in lib. de bel. Punic.* dicenti: ſpeculatores recidere fas & mos eſt.

Speculator verò legatus (cui certum eſt nomen legationis) probabitur, ſi deprehendatur omnia exploratoris more agere. Nervum adverſus ejuſmodi ſimulatores adhibere firmiorem non poteris, quàm ſi ſimulatoribus ſimilanter reſpondeas, & vulpem contra vulpem, Cretem contra Cretenſem agas, paribusque argumentis contendas. *Kirchner. num.* 27. id quod feciſſe Senatum Romanum, & Antiochi ad ſe miſſos caduceatores, dato breviſſimis verbis reſponſo, incertiores, quàm venerant, remiſiſſe, nullâ explicatione cauſæ adjectâ, *ex Appian.* refert *num. praced.* 26.

21 Idem judicium fert *Gentil. d. c.* 3. de legato miſſo in hoc † ſolùm ut moretur, fruſtretur, ludat eum, cui miſſus eſt, ſcilicet in ipſum non tam eſſe animadvertendum, quàm brevi citiùs & incerto reſponſo remittendum; & ſic dolum dolo compenſandum.

Quid

Digitized by Google

Quid verò de legatis, quibus † interdictum, ne veniren[t]? 22 *Interdicta legatio an sit tuta.*
Etenim hoc frequentissimè fieri, vel veterum Historicorum, Romanorum imprimis, monumenta loquuntur. Quamvis verò *Paschalius in legat. c. 22.* ad securitatem legationis maximè pertinere scribat, nunquam mitti eam, nisi exploratò, priusque impetratâ fide publicâ: Interim tamen hic illi nobis placent, qui fœdere distinctionis rem dirimunt, scilicet, ut aliquâ, † vel nulla ex causâ 23
hæc fiat prohibitio. Quod si igitur causa prohibitionis nulla est, jus gentium violatus, & legatorum jus stabile permanet. Interdum enim ex indignatione nimia & metu, aditu prohibentur legati quomodo Franciscus major Rex Francorum, ne quid à feciali Caroli V. Imperatoris audire cogeretur, quod suo nomini majestatique labem ullam inureret, ut adventare audiit, crucem pro palatio figi mandavit: ac feciali denunciari, certum sibi crucis exitum impendere, si mandata exposuisset. *Bodin. lib. 5. de Repub. c. 6. nu. 620.*

Ita frivolam causam prætexit Annibal, quòd sibi in tanto bellico apparatu degenti otium non esset legationes audire: neque has tutas præstare posse tot inter, barbarasque nationes. Quare Hanno Annibalem, quòd Legatos Romanos non admiserit, rectè apud Carthaginenses suos ita incusat: Legatos à sociis pro sociis venientes bonus Imp. vester in castra non admisit: Jus gentium sustulit, ut est *apud Liv. lib. 21.*

Quòd si verò causa † sit justa, vel probabilis (quæ res non est unius definitionis) ex qua legatus prohibetur accedere, salva 24
legationis jura haud manent. Si tamen accedere prohibiti fiant supplices, eo jure tutos putant, quia supplices Deo sint curæ.

Spectat huc sententia *Platonis lib. 5. de legib.* omnium tùm in cives, tùm peregrinos maximum est peccatum, cùm peccatur in supplices: D E U S enim afflicti supplicis custos eximius.

Postremò qui prior † violavit jura legationis, & læsit, intercepit, excussit, percussit alterius Legatos, suis non speret patere 25 *An illius Legatio.*
liberum & tutum aditum. *Schönborn. lib. 3. Polit, cap. 33. Alberic. Gentil.*

Digitized by Google

qui antè legatos violavit, sit securus?

Gentil. l. 2. de Legat. c. 6. jura etiam violanti, si jus non præstatur, ei non violari, sed jus reddi creditum est, inquit *idem ibid. fol.* 85.

Et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Sic Belisarius Dux exercitus Justiniani Imp. legatos Gothorum detinuit, donec Rex Gothorum legatos Justiniani Domini sui dimitteret. *Procop. lib. 2. bell. Goth.*

Et Franciscus I. Rex Galliæ cùm à Carolo V. Imp. suum legatum detineri audivisset, ipse Cæsaris legatum in Lutetianam arcem, quæ Castellatum vocatur, conjici jussit, & per totam Galliam Mercatores Cæsari subjectos retineri mandavit. *Guicciardin. lib.* 18.

Sed & Maximilianus II. Rom. Imp. Stephanum Transylvaniæ Dynastam ad se Legati nomine missum detinuit, quòd suos itidem Oratores in Polonia periclitari accepisset: & pacificationis loco, cujus tractandæ causâ ille fortè à Principe Transylvaniæ venerat, res ad arma interim recedisset. *Warsevic. in orat. funebr. Steph. & in lib. de Legat.* Idemque Maximilianus Stephani Regis Legatos Ratisbonâ discedentes, jusserat in itinere detineri: qui tamen Cæsare vitâ functo, statim sunt dimissi, ut *in eodem libr.* refert.

26 Quamvis † contrarium sit exemplum Scipionis Africani, qui Carthaginenses ob nefarium facinus in Legatos Romanos intactos dimisit. *Liv. lib.* 18. Rogatus Scipio, ait *Appianus de bel. Punic.* quid fieri illis Legatis deberet: *Nihil tale*, respondit, *quale Carthaginenses.*

Sed hoc non ad communem talionis regulam, nec adstricti juris normam trahendum, sed ex speciali Scipionis gratia, imò verò ex prudentiâ singulari & æquitate æstimandum est. Scipio enim suos compererat Legatos non ab illis læsos, qui Legati mittendi potestatem habebant, à Patribus scilicet & Senatu, sed à promiscuo vulgo, quod furenti belluæ simile, inconsulti, calcris æstu facinus perpetravit. *ex eod. Appian. Kirchner. d. c. 1. num.* 85. Sed & *Dn. Arumæ. discurs. 1. ad Aur. Bull. conclus. 21. fol.* 41. exemplum Scipionis Africani ad magnanimitatem, non jus, pertinere

sci-

scribit, quòd *Polyb. lib. 15. Histor.* disertè innuit, dicens: Non tam spectandum esse, quid meritò patiendum esse Carthaginensibus, scilicet ex jure, quam quid Romanos, magnanimitate scilicet facere quadam decet. *Paschalius* tamen *de Legatione c. 8.* adductus à *Besoldo class. 2. disput. Polit. 8. th. 11.* statuit, quòd violatori legationis talio reddi haud facilè debeat, (nec enim eo defendimus nos, inquit *idem Besold.* nec nostra recuperamus) nisi legati adhuc detineantur: tunc enim obsidum loco, & ut tessera sint legatorum nostrorum salutis, detineri queunt.

CAPUT XL.

AN DELICTA LEGATIS præstent immunitatem, & libertatem?

ANceps † hæc est quæstio, & multis difficultatibus intricata, 1 ob quas labori huic supersedendum fortasse foret, cùm difficile sit, ex Heracliti antro rem adeò obscuram eruere. Verùm si in dubiis sententia libera cujus est, nihil prohibet quin & ipse, quid statuam, intrepidè proferam. Pergendum ergo & argumentis declarandum, quæ sententia mihi ad veritatis scopum videatur collimare.

Sunt † primò, qui ab omni pœnæ metu & supplicio legatos 2 eximunt, nec facilè injuriam illatam teneri volunt, ne ipsorum privilegiis, securitati & juri gentium compedes injiciantur. Sed quid audio? hæccine † vigorem suum extendunt ad licentiam jus 3 gentium violandi? in perniciem tùm civium, tùm ipsius Principis, ad quem fuere missi? Minimè verò gentium. Sed jus † non violan- 4 dorū legatorū tam diu servandū est, quoad jus legationis honestatemq; servaverint. *Kirch. l. 1. de Leg. c. 1. n. 114.* Hoc neglecto, negligi-

tur & illud, & per consequens non minùs ob meritam causam, quam hujus muneris expertes plectendi erunt. Atque ita casum hunc definit Paulus JCtus *in l. non aliàs. 24. §. 1. ff. de judic.* Legati ex delictis in legatione commissis, coguntur judicium Romæ pati, sive ipsi admiserint, sive servi eorum. Ubi non est, ut quis excipiat, textum illum loqui de Legatis provincialibus, seu municipalibus, quin illi, ut subditi, legatos ad Romanos non mittebant. *Alberic. Gentil. lib. 2. de legat. c. 10.*

Eleganter *Fabius in declam. 12.* Sed legatus fuisti? quid tamen ipsum? quid est aliud, quàm rem tractare? Rem autem qui malè agit, ut arbitror, lædit. An existimas hanc legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunque scelera in eo commiserint officio, cùm his omnibus hac una lege decidant? ô nimiam invidendam hujus legationis conditionem, si tibi legem remisit! Quin potiùs
5 reatus † siquidem omnium dignitatem excludit. *l. 1. C. ubi senat. vel clariß.* seu, ut loquitur *Bald. consil. 364. part. 3.* in maleficiis non privilegiatur dignitas.

Eadem est mens & sententia Theodati Regis Gothorum *apud Procop. lib. 1. de bell. Gothor. c. 5* ita oratores ad se missos alloquentis: Magna quidem & inclyta oratorum dignitas est, & apud omnes mortales alioquin honorabilis, sed tam diu id in se muneris retinerent, quoad ipsi suæ legationis officium servent. Nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem & jure pro humanis legibus licet, cùm Regem videbitur contumeliâ affecisse, vel si cùm muliere cubuerit, alteri cuiquam nupta. *Hæc ille.*

6 Accedit huc, quòd longè † aliud sit, legatum violare, aliud punire: hoc juris, illud injuriæ: non hoc, sed illud leges & privi-
7 legia prohibent. *Keckerman. in curs. Philosoph.* Et quæ † non aperiretur fenestra delinquendi? quæ non licentia concederetur liberiùs grassandi, sub prætextu privilegiorum, & spe immunitatis
8 scelerum? Nemo est, qui non ipse videat. Hinc suo † merito Regum oratores, quandoque ultimo supplicio affecti judicantur. Adulterii condemnatum, ductumque ad extremam capitis pœnam in Lusitania legatum quendam, scribit *Warsevic. in orat. fun.*

nebri

neb. Stephan. Reg. Polon. & patrum nostrorum memoriâ Francisci I. Regis Gallorum legatus homicidii pœnam luit, Mediolani capite plexus. *Kirchner. l. 2. de legat. c. 1. n.* 115. Olim Alexander Macedo Legatos Persicos interemit. Nam captis Pœonibus, Megabyzus nuntios in Macedoniam septem Persas, qui post eum erant in exercitu spectatissimi, misit ad Amyntam Regem Macedonum, petituros Regi Dario terram & aquam. Amyntas & ea dedit, & homines in hospitium vocavit: instructáque splendidè cœnâ, percomiter accepit. Persæ postquam à cœna ad potum pervenêre: Hospes, inquiunt Macedo, nobis Persis consuetudinis est, quoties magnam exhibuimus cœnam, tunc etiam concubinas & adolescentulas uxores ad assidendum introducere. Proinde tu nunc, quoniam libenter excepisti nos, & liberali hospitio prosecutus es, Regique Dario & terram das & aquam, sectare consuetudinem nostram. Ad hæc Amyntas: Nobis, respondit, Persæ, ista consuetudo non est, sed viros à fœminis semovendi. Verùm quandoquidem vos exigitis, qui domini estis, hoc quoque vobis præstabitur. Hæc locutus Amyntas fœminas accersit. Illæ, ut jussæ, præstò fuerunt, & è regione Persarum deinde consederunt. Quas Persæ conspicati formosas, Amyntam alloquuntur, negantes omninò id factum esse sapienter: Satius enim futurum fuisse, ab initio non venire fœminas, quàm postquam venerant, non assidere, sed ex adverso sedere in oculorum dolorem. Ita coactus Amyntas, illas assidere jussit; Quæ cùm obtemperassent, ilicò Persæ mamillas earum attrectarunt, utpote plusculo vino temulenti; nonnulli etiam tentarunt suaviari. Hæc Amyntas intuens etsi iniquo ferebat animo, tamen præ metu Persici nominis quievit: Verùm ejus filius Alexander cùm hæc videret, utpote adolescens, & malorum in-expertus, graviter tulit, & ad Amyntham dixit: Tu verò pater cede ætati, abique hinc ad requiescendum, neque indulgeas nimium potationi: ego hîc remanens, omnia hospitibus, quæ oportet, exhibebo. Discedente patre, Alexander ad Persas: vobis, inquit, hospites cum his fœminis, vel omnibus, si libet, facilimè licet, concumbatis: sed cum quis earum concumbere libeat, indicate. Nunc enim ferè tempus cubandi

advenit, & vos benè potos esse temulentesque video. Proinde has fœminas, si vobis cordi est, dimittite lavandi causâ. Hæc locutus Alexander, approbantibus Persis, egressas fœminas in muliebre remittit conclave, ac totidem viros leves malas habentes, muliebribus vestibus exornat: traditisque pugionibus introducit, & assidere jubet singulis Persis. Qui posteaquam à Persis attrectari cœpêre, illos obtruncavêre cum eorum comitatu. (haud tamen justâ libidinis & lasciviæ pœnâ, ut non sine ratione & rerum momentis, exemplo rectè perpenso, liberè contra omnes judicat *Kirchner. num. 116. & seqq.*) Cùm v. legati non redirent, neque qui comitati eos fuerant, Darius cum parte exercitus mittit in Macedoniam Bubarem ad inquirendum de legatis, & ad bellum ibi gerendum; sed Alexander, aliis pecuniâ corruptis astutè Bubarem circumvenit, datâ ei in conjugem sorore suâ Gygæa, ut depositis armis hostilibus jura affinitatis inter ipsos essent, quæ non Darii tantùm temporibus pacem Macedoniæ præstiterunt, sed etiam Xerxem ei postea conciliarunt. *Herod. lib. 5.*

9 Quòd si Legatus in Principem † conjuraverit, apud quem legatus est, quid juris? Respondet hîc *Albericus Gentilis lib. 2. de Legat. cap. 18.* lege Juliâ majestatis ipsum non teneri, ex qua etiam solus conatus puniatur, scilicet propter enormitatem sceleris. *l. 5. C. ad L. Jul. majest.* quia, inquit, jus gentium habet rationes naturales, hujus verò juris civilis ratio est, ut in re tam atroci ipse affectus & nocendi consilium pro eo puniri debeat, ac si eventum fuisset sortitum.

10 Posteà dimittendum † esse contendit Legatum delinquentem hâc invictâ (ut ipse loquitur) ratione: peccatur in jus gentium graviter, si in vi repellenda, supra quàm oportet, enitimur. Sed Legatum hunc interficiendo, longè magis, quam est necesse, sævitur: abire enim illum Princeps jubere potest, igitur non est interficiendus.

11 Rationibus hisce subjungit † exempla primum petitum est ex curiâ Romana, quæ Legatos Tarquiniorum morte affici non oportere judicavit. *Quanquam*, ait, *Liv. lib. 2. visi sunt commisisse, jus tamen gentium valuit*. Illi enim sub specie legationis

clan-

clanculum id, corruptis ex præcipua nobilitate adolescentibus, moliebantur, quò conspiratione contra Rempub. concitatâ Reges iterum clandestinè in urbem intromitterentur. Juvenes conjurati in vincula fuerunt conjecti, virgis ac securi cæsi: Legati contra hujus rigoris immunes, hâc ignominiâ, sunt affecti, quòd re infectâ fuerint ilicò dimissi. *Paulò post:* Justissimè, ait, propterea conquestum censemus Franciscum I. Regem Galliæ, quòd Dux Mediolanensis Legatum ipsius non alio prætextu, quàm quod res moliretur novas, necasset.

Sic justissimè actum his diebus in Anglia cùm Legato Hispanico, qui cùm in Elisabetham Reginam, & Regnum ejus cum Anglis quibusdam conjurasset, detectâ conjuratione dimissus est.

Tandem statuit, quòd Legatus debeat † interfici & dedi, si injuria illa non tantùm sit intentata, sed & consummata, ac in eventum producta. 12

Quam sententiam quoque tuetur *Hermannus* † *Kirchner. d. c.12. num.* 125. *& multis seqq.* scribens, Legatum puniendum ob illa, quæ tùm divinis, tùm naturalibus legibus sanguinis pœnam merentur, ut sunt latrocinia, veneficia, homicidia, adulteria, & similia: attamen in illis, quæ singularibus cujusque civitatis moribus & statutis vetita, duriorem pœnam imponunt, (ut in præsenti casu, quo non ratio naturalis, aut jus gentium, sed jus civile Romanorum non solùm rei tam atrocis actum & effectum, verùm etiam affectum & consilium eâdem severitate persequitur) si fortè Legatus offenderit, secundùm civilis legis rigorem coerceri illum non deberi: cùm afferat secum jurisgentium leges & normas, secundùm quas examinari & puniri delicta ejus oporteat: nec teneatur alterius civitatis moribus. 13

Circa hoc ipsum tamen contrarium † sentit *Dn. Arumæ, discurs.1. ad Aur. Bull. concl.21 fol.37. & seq.* contendens, de Hispanico ex jure supplicium sumi potuisse, per hâc rationem: Jure gentium solo † censetur Legatus. *l. ult. ff. de legat.* verùm legatus ille Hispanicus in Reginam conjurans, contra jus gentium egit, etiamsi sceleris effectu potitus non sit, quia ad jus gentium esse perhibetur, 14 15

quo gentes utuntur. §. *jus autem civile. Institut. de jur. Nat. Gent. & Civ.*

15 Gentium verò instituta † moresque conjurantem, licet effectum non ferat, puniunt. Sic apud Macedones Parmenio Alexandro quamvis gratissimus, & socii, detectâ conjuratione, supplicium subière. *Q. Curt. lib. 6. Hist.*

Apud Persas non solùm conjurantes, sed & uxores, & eorum liberi puniti sunt. *Justin. lib. 10. Plut. in Artaxerx.*

Apud Ægyptios similis pœna fuit, ut exemplo Cleomenis, qui in Ptolomæum conjuravit, demonstrat *Plutarchus in vita Cleomen.*

In Græcia cœtus Pythagoreorum & clandestinam conjurationem concrematus fuit. *Polyb. lib. 2. hist.*

Et cùm Angli ipsi socios conjurationis legati Hispanici ad mortem damnaverint, non putat dubitari, quin id, quod Romanis legibus de conatu & consilio expressum est, *in l. quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest.* etiam gentium aliarum legibus & institutis consentire.

16 Hac igitur in re assumit illud † judicium *Polybii lib.* 5. de legatis Carthaginensium : Non tam spectatum in ea dimissione fuisse, quid meritò patiendum Hispano, quàm quid Anglos facere

17 decuit. Quin lenitas † Anglica, asserit *fol.* 38. legatum alium ad similia invitaret de facili, qui instrueret Anglos, & rationibus, quibus Dominum naturalem interficerent, informaret : si solâ dimissione, quæ etsi labem secum trahat, non tamen condigna est tanti criminis molimine, utpote quæ in patriam ad suos reditum saltem ipsi imponit, se tutum sciret.

18 Nec etiam suspicione † violari legationem docet *fol.* 42. quod arbitratur Gentil. si puniatur Hispanus : quia utique de conjuratione constare vult, & constitit, quia criminis Angli puniti sunt.

19 Deinde ad alteram rationem Gentilis, quâ dicit, sæviri, † si legatus interficiatur, respondet *ibid.* nihil aliud, quàm petitionem Principii illam implicare : id enim in quæstione esse : An legatus interfici possit. Et si staret hæc argumentatio : Potest mi-

tius

ejus puniri legatus: ergo nimium in ipsum sævitur, valeret vel hæc consequentia: Potest objurgari: Ergo dimitti non debet, quia id mitius est, nec famam ejus ut remissio onerat. *l. ob hac verba. ff. de his, qui not. infam.*

Exempla quoque legatorum † Tarquinii sententiæ Gentilis minimè patrocinari, ostendit *fol.* 41. quia, inquit, magnanimitatis Romanorum, non juris sunt; qualia nos in exemplum trahi, qui ex jure disserimus, non admittimus. Nec satis † apta *eidem Arumao* videtur hæc ratio *Livij* in Tarquiniis: *Jus tamen gentium valuit*. imò contra jus gentium illi fecerant: valere itaque & illud contra ipsos debuit. 20 21

Huc usque de injuria legatorum reali, ejusque pœnis: Dispiciamus modò quomodo verbalis † sit vindicanda: Et si enim legatus habeat dicendi libertatem & vocem liberam, nón tamen contumeliosis superbisque sermonibus aget, exponétque legationem. Dicet quidem legatos auctoritatem & majestatem suorum Principum tueri, sed absque arrogantia, immodestia, & Principis, ad quem missi sunt, majestate illæsâ. Ergo in alienis † territoriis modestè sese gerant. 22 23

Admonendi sunt legati, docet *Bodin. lib.* 5. *de Repub. c.* 6. *num.* 619. ne securitate publicâ legationis specie abutantur, nec Principum ac populorum majestatem verborum arrogantiâ violare sibi fas esse putent: sed ea quæ in mandatis acerbiora videbuntur, oratione leniore: quæ verò ad amicos referenda erunt, gratiora reddere oportebit. Nihil quidem quo ad essentiam mandati mutandum, meliori tamen cum gratia, quod duriusculum est, corrigere & prudenti temperamento lenire licet, qua in re Dionem laudat *Æmil. Prob. in Dion.* quòd cum Dionysius omnes illustriores per eum expediret legationes, ipse eas diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen Tyranni suâ humanitate teperit.

Non tamen uno & eodem modo Injuria verbalis vindicari potest. Interim non placet *Herman. Kirchnero num.* 168. *& seqq.* lubricum † linguæ lege civili, nedum naturæ & gentium jure ad pœnam facilè trahi. Prædicandum summopere dicit Romanorum 24

Digitized by Google

rum magnanimitatem, qui liberrimâ non solùm voce, sed etiam facto nonnunquam in legationibus fuere usi, ita vicissim aliorum liberiores orationes & postulata æquo animo excepêre. Venetorum quoque prudentiam singularem prædicat, quòd legati Gallici libertatem, injuste sese accusantis, multaque, quæ tanti Senatus auribus intoleranda esse videbantur, injuriosè exprobrantis, non solùm tulerint, sed etiam muneribus honoratum splendidè dimiserint. *ex Guicciard. lib. 7.*

Horum exemplis rem potiùs esse dijudicandam censet, quàm illorum barbarorum moribus, qui liberioribus verbis verbera ac crudelissimas cœdes reposuerunt, *& nu.* 118. verba verbis, non verbis verbera reponenda.

25 At alii, inter quos *Alberic. Gentil. c.* 20. *fol.* 140. dum ait: qui jure aliquo abutitur, is ejusdem juris patrocinio indignus est: & ipse illo se indignum facit: Itaque sive Princeps jusserit Legatum taliter agere, indignus Princeps est, cujus gentium in legato adsit, quo ad communionem hominum reperto utitur in dissidium, atque discordiam, certè ad eam rem, quæ juris non est. Atque ideo minùs rectè legatum Justiniani loqui existimo, dum ait: Orator qualiacunque à Principe se delegante acceperit, præfert: quæ si minùs proba & rectiora videntur, non ipse propterea jure est incusandus, sed qui miserit, fortè culpandus. *Procop. l.* 1. *de bell. Gothor.* (de quo tamen *vid. Kirchn num.* 192. 198. 199. 200. *&* 201. ubi rectissimè hoc dictum affirmat.) Itane verò? sive etiam ipse per se legatus quid admiserit tale: profectò nec debet fecisse impunè, eâdem ratione, alteràque, quòd mandati fines supergressus, in mandato sperare non potest. (tunc enim non ut legatus, sed ut privatus agit. *Arumæ. d. conclus.* 21. *fol.* 39.) Nec verò injuria Principi qui misit, hac in parte est: qui sibi imputare debet, quòd istiusmodi homini rem per agendum commiserit, & si fallitur, ad se potiùs redundare casum, summæ rationis est. *Item:* ob superba & inhumana responsa legatis data an non bella? & legatus, qui talis in Principem fuerit, non punietur?

Quare etiam *Dn. Arumæ. fol.* 40. *in fin.* vehementer falli scribit *Franciscum de Le Vayer cap.* 6. *de Legat.* dum per fas & ne-

fas

Digitized by Google

ſtas legato, ad mandatorum executionem graſſari licere exiſtimat. Legatus enim, ſcribit, cenſetur jure gentium. *l. ult. ff. de Legation.* Jus gentium verò nihil aliud eſt, teſte *Cicerone de LL.* quàm ratio ſumma inſita à natura, quæ jubeat ea, quæ facienda ſunt; prohibeatque contraria. Turpia itaque ut illo jure non mandantur, ſic mandata exequi licere legato non permittitur. *& fol.* 41. Quod intelligens Caroli V. Imp. legatus, cùm ab ipſo Franciſcus I. Galliæ Rex peteret, ut epiſtolam ſuam ad Cæſarem perferret, atque ejusmodi verba nunciaret, videlicet Cæſarem, in eo quòd Feciali ſuo, ſe ipſi fidem non ſervaſſe, dixiſſet, falſum dixiſſe, quotiesque id diceret, toties ipſum mentiri. *Guicciard. lib.* 8. *Hiſt Ital.* mandatum ut rei turpis recipere recuſavit.

Sed exemplis 7 rem illuſtremus, quomodo tùm verbis tùm etiam verberibus, & extremis quandoque malis, audacia & temeritas legatorum quorundam fuerit vindicata.

Philippus Junior Macedo legatum Rom. liberiùs, quàm decebat, ſe alloquentem, contumelioſè increpuit, dicens: Ætas, & forma, & Romanorum nomen, te ferociorem facit. Et quis Popilii Romani audaciam, vel potiùs temeritatem probaret, quâ uſus eſt adverſus Antiochum Regem Syriæ. Cùm hic Ptolomæum & Cleopatram, Ægypti Reges obſideret; Et miſſis ad eum à Senatu Rom. legatis, qui juberent ab obſidione ſocii regis abſiſtere: editisque mandatis conſideraturum ſe velle, quid faciendum eſſet, reſpondiſſet: Popilius virgâ Regem circumſepſit, juſſitque antequam circulo excederet, reſponſum daret. obſtupefactus eſt Rex tam violento imperio: paruit tamen legato, ne populum Romanum cujus anteà poteſtatem fuerat expertus, offendere videretur. *Livius decad.* 5. *lib.* 5.

Quis Caii Marii factum probaret? qui cùm in Pontum trajeciſſet, ut Regis Mithridatis opes ac potentiam exploraret: auſus eſt Mithridati dicere: Populi Rom. Imperiis obtemperandum, aut potentiorem eſſe oportere. *Plut. in Mario.*

Digitized by Google

Quis Democharis oratoris Atheniensis rusticitatem? Hic cum aliis ad Philippum Regem Maced. ab Atheniensibus missus, expositis mandatis, quærenti Regi, quid gratum Atheniensibus facere posset, si te respondit, suspenderis: indignantibus ob eam rem cæteris, Rex incolumen dimisit, vos, inquiens, cæteris Atheniensibus renunciate, quos nam censeant superiores, utrum qui talia dicunt, an qui audiunt, patienter. *Seneca lib. 3. de ira cap. 23. Plut. in vit. Philip.*

Cùm Augusti legatus ad Antonium cum Cleopatra liberiùs confabulatus esset, loris nudus est cœsus. *Plut. in Anton.* Meritò hoc esse factum scribit *Bodin. d. c. 6. num. 62.*

Contrarium tamen & rectius judicium hac in re est *Kirchneri num. 179.* dicentis: Legatus quidem in eo imprudens, quòd non præviderit, quo cum sibi homine res esset, cum eo nimirum, qui jura divina humanáque, *teste Cicerone in Philip.* susque deque haberet: Antonii autem sævitia diris ultricibus legatorum excepta.

Alexander Severus Imp. Parthorum legatos ingrato à se quędam postulantes, omni cultu adempto in Phrygiam relegavit. *Herodian. lib. 6.*

Cùm Stephanus Valachiæ præfectus Præcopi Tartarorum Principis filium bellò cepisset, pater centum legatos ad filium repetendum misit: qui ut terrorem ac metum omnibus injicerent, etiam Præfecto minas intentarunt, ac in filium Præcopi mox redderet, futurum, ut brevi tota regio ferro ac flammâ vastaretur: quæ cùm indigna per sese & gravia videri debuissent, legati nihilominùs verborum atrocitatem adjecerunt. Itaque Præfectus legatos omnes crudeliter necari jussit, præter unum, quem auribus mutilatum dimisit, ut inauditæ calamitatis & sævitiæ superstes nuncius esset. *Bodin. d. l.*

27 Solent † etiam nonnulli, & quidem prudenter ex mente *Bodini d. n. 620.* acceptarum à legatis injuriarum ultionem à Principibus ipsis reposcere: ut Carolus Burgundus legatis Ludovici XI, Regis Galliæ respondit; se ab Regis Cancellario Morvilerio con-

Digitized by Google

contumeliosè acceptum fuisse; brevi tamen futurum, ut Regem facti pœniteret: nec mora quin eodem anno Regem nihil tale cogitantem gravissimo periculosissimóque bello urgeret, ac penè in rerum omnium desperationem adduceret. *Bodin. d. l.* Refert quoque *Plinius*, immodestiâ legatorum Rom. Gallos evocatos fuisse ad occupandam Romam. Sed & Nicolai Curovii Archiepiscopi Gnes. à Jagellone ad Magistr. Crucifix. Ulricum Juningum missi, inconsiderata temeritas maximi belli causa fuit. His enim verbis legationem peregit: Desinas nos bello tenere: Si tu arma contra Lituanos ceperis: vicissim arma nostra tuæ domui habebis, ut refert *Cromerus lib. 16. rer. Pol.*

CAPUT XLI.

AN LEGATO MANDATI fines egredi liceat?

HÆc quæstio† tot & tantorum virorum ingeniis fuit agitata, ut verè dicere possis, Eridos pomum in vestibulum scholæ Politicorum & Jurisconsultorum esse projectum, aliis affirmanti, aliis neganti opinioni subscribentibus, aliis verò distinctionibus quibusdam rem dirimentibus. 1

Pro negantium agmine tales arietes in aciem possunt adduci.

1. Quòd mandati† fines, præsertim in negotiis principalibus, diligenter sint custodiendi. Nam qui mandatum excessit, aliud qui facere videtur. *l. diligenter. 5. l. potest & ab una. 41. l. si quis. 46. ff. mandati. l. cùm mandati. 22. Cod. & §. is qui. 8. Inst. eod.* Unde etsi mandati actio bonæ fidei sit. § 28. *Inst. de act. & ibi Dd.* ejus tamen fines tam strictè custodiendi sunt, ut mandatarius etjam culpam levissimam præstare teneatur, per *l. in re mandata 21. C. mandati.* 2 *Argum. part. neg.*

Secundò accedit testimonium *Alexandri ab Alexandro lib.* 3 *6. genialium dierum c. 6. fol.* 323. dicentis: Legati † munus est, omnia ad præscriptum imperiumque ejus, qui mandavit agere, & Imperatoris vero summæ rei consulere, & liberum tenere imperium. In eundem sensum sunt verba illa *Hippolyti à Collibus in Palatino sive Aulico fol.* 332. ea quæ nobis à Principe nostro mandantur, non solùm summo studio curari debent omnia, sed neque aliter quàm mandata sunt, adeò verum est, ut etiam eadem verba (quantum fieri potest) servanda sint, ubi verbis opus est. Hæc nimirum causa est, cui Homerus legatos suos uno verborum contextu loquente facit: quod & Virgilius observavit, apud quem Mercurius eosdem versus repetit:

Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tuâ moliris laude laborem,
Quid struis?

4 Ratio † hujus rei est, quòd qui à Principis mandato recedit, etiamsi ex malitiâ & superbiâ id minimè agat, videtur dominum contemnere, vel se saltem suamque prudentiam majoris facere, quod odiosissimum est.

5 Tertiò, si res † ei, cui mandata est ex animi sententia non succedat (quod facilè evenire potest) culpa imparentiæ & pœna 6 indeprecabilis subeunda est, quod si verò melius fortè vertat, fortunæ id beneficium censetur. Sic ille, qui in castris † rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res benè gesserit. *l. 3. §. 15. ff. de re milit.* Hinc *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 10. n.* 156. omnis belli ac pacis potestas penes Regem est: cùm etiam levissima quæque in eo genere injussu Regis fieri propè sit capitale, si Princeps admoneri potuit.

7 Hujus severitatis † militaris apud Romanos extat exemplum in filio Manlii Torquati Consulis, qui à patre securi fuit percussus, quòd contra edictum adversus Latinos, quamvis prosperè pugnasset. Satius siquidem esse judicavit, patrem forti filio,

ſio, quàm patriam militari diſciplina carere. *Valer. Maximi lib. 6. de dict. & fact. memorabil. cap. 9. Plutarch. in vit. Fabij Maximi. Plin. de viris illuſtrib. Liv. decad. 1. lib. 8.* ubi ſubdit: Triſte exemplum, ſed inpoſterum ſalubre juventuti. Simi ſupplicio Poſthumius filium affici voluit, quòd contra paternum imperium aciem inſtruxiſſet, ut *idem Livius* teſtatur.

De Epaminonda Thebano in hunc modum ſcribit *Fulgoſ. lib. 2. de dict. & fact. memorabil. cap. 2.* Is cùm Thebani exercitus adverſus Lacedæmones Dux eſſet, & tempus eligendorum Magiſtratuum appeteret, id quod niſi præſente ipſo (nam prætor erat) fieri non poterat, Thebas profectus eſt, Steſimbroto filiò relictâ exercitus curâ, ſub ea lege, ne cum hoſte manum conſereret. Filius autem plus hoſtium contumeliis motus, (nam præ ignavia eum detrectare certamen increpabant) quam paterni imperii memor, in aciem progreſſus, hoſtes penitus fudit. Itaque reverſo patri cùm ſe tantâ victoriâ lætum obtuliſſet, ab eo primùm, ut victor, coronatus eſt, deinde ſtatim, quia imperium neglexerat, morte mulctatus eſt.

Ita etiam cùm P. Craſſus Mutianus in conſulatu obtineret Aſiam Provinciam, & circumſedere oppugnaréque Leucas oppidum pararet, opusque eſſet firmâ ac procerâ trabe, quâ arietem faceret, quò muros ejus oppidi quateret, ſcripſit ad Magiſtrum ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium ſociorum, amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet, cum mittendum curaret. Tum Magiſter ἀρχιτέκτων comperto, quamobrem malum deſiderat, magis idoneum, aptioremque faciendo arieti, faciliorem que portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit, & cùm interrogaſſet, cur non quem juſſerat, miſiſſet, cauſis rationibusq; ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgiſque multum cecidit. Corrumpi itaq; atque diſſolvi officium imperantis, ratus, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondet, ut hiſce verbis refert *A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. c. 13.*

Oo 3 Huc

Hic refero etiam, quod scribit *Bodin. lib. 3. de Republ. c. 1.*
8 *n. 253.* Nihil laudabile † debet aut præclarè gestum videri, quod ab exitu pendeat: argumentis n. certissimis ac rationibus oportet, quare quicquid agendum sit, non eventis docere: sapientem verò potiùs adversos exitus metuere oportet, quàm sperare secundos. Hinc in simili ferè infert, quòd bonus Senator nunquam in fortunæ illecebris spem consiliorum suorum collocare debeat: tametsi sæpè videat eorum, qui temerè ad res agendas aggrediuntur, exitus esse felices. Nam Theologi veteres, inquit, qui fabulis sapientiam texerunt, Deam illam quam *Fortunam* appellabant, à consilio Deorum arcere non dubitarunt, ne id quod à prudentia quæri debet, à temeritate fortunæ expressum esse videatur. Nihil tamen sæpiùs laudari, nihil sæpiùs, quàm ex eventis consilia metiri videmus. Quod si lege militari capitale est, contra jussum Imperatoris hostem lacessere, etiamsi certam victoriam laturus sis: quantò capitalius est, in incerto casu spem consiliorum, ac Reipublicæ statum collocare?

Quartum fundamentum ponitur in eo, quòd legatus
9 sit † interpres & veluti os Principis mittentis. An verò is interpres est, qui diversa refert ab eo, quod interpretatur? Quamobrem de re alia non agent legati, quàm de ea, quæ una ipsis demandata est. Sic Fabii à Senatu Romano Tarentum ad res repetendas missi, cùm gravissimas ibi injurias accepissent, unus etiam urinâ sparsus esset, in theatrum (ut erat consuetudo Græciæ) introducti, legationem, quibus acceperant verbis, peregerunt: De his, quæ passi erant, conquesti non sunt, ne quid ultra ac mandatum esset, loquerentur. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.* Athenienses v. legatos suos, quoniam aliâ, quàm imperatum erat, profecti essent viâ, morte affecerunt. *Ælianus lib. 6. hist. variar.*

Hæc pro negativa sententia sufficiant.

Affirmativa pro fundamento habet illud: quòd exces-
10 sus † mandati circa utilitatem mandantis non noceat mandatariis, quin dominus obligetur. *l. præterea. 3. in pr. & l. diligenter. 5. §. melior. 5 ff. mandat. & ibi Bart.* vel, ut loquitur *Castrensis consil.*

Rationes partis affirmantis.

fil. 240. *lib.* 2. quòd mandatarius faciendo conditionem mandantis meliorem, licitè transgredi possit mandatum. Prodesse † enim, 11 non autem obesse dicitur id, quod melius sit, quàm oportuit. *Alexand. consil.* 212. *num.* 16. *lib.* 16. *Hieron. Magonius in decis. Florent.* 3. *num.* 14. & 15. His accedit sententia *Nicolai Everhardi in Topic. Legal. in loc. à rat. leg. larg. ad extens. ipsius* : Actus contiguus vel vicinus mandato, non dicitur contra, nec præter mandatum. Verùm hoc fundamentum in arenoso fundo est extructum. Leges enim & auctoritates in medium prolatæ subintelligendæ sunt de negotiis privatis, in quorum cardine non tot & tanta pericula versantur. Secus est in negotiis publicis & principalibus.

Tertiæ opinionis auctores propiùs accedunt, distinguentes inter † legationem liberam adstrictam seu formulariam. In 12 hac † certa formula, & certum datur mandatum, à cujus tenore re- 13 cedere non est integrum. Nam cùm Princeps certam formam le- *Sententia* gationis præscripsetit, certè omnem hujusmodi licentiam legato *media.* ademit. *Alberic. Gentil. lib.* 3. *cap.* 16. Quod si ergo præter mandatum aliquid † de novo emergat, referre alii putant, utrum occa- 14 siò vel tempus ferat, quo legatus Principem utilitatis emergentis certiorem reddere possit, & Principi omninò esse significandum: aut si tempus non suppetat, resque sit parvi momenti, eo casu mandato adhærendum : in re verò magni momenti id consilium, quòd in manifestam Principis utilitatem vergit, capiendum, prolixè *Octav. Magi. lib.* 1. *de Legat. cap.* 2. *fol.* 54. *cum sequentibus.*

Inter cæteros iisdem ferè verbis ita scribit *Hippolyt. à Collib. in Palatin. fol.* 335. Aut tempus suppetit, quo legatus Principem ejus, quod de novo emersit, certiorem reddere, & alterum mandatum exspectare possit : aut res ipsa nullâ ratione differri potest. Illo casu, non dubitarim quin res Principi aperienda sit : periculosum nimis est fines mandati egredi. Quòd si negotium moram istam non ferat, in re quidem parvi momenti, sic ut res cadat, tutius est mandato adhærere : vix dici potest quantopere inobedientia Principibus displiceat.

Si verò

Si verò res gravis sit, damna quæ inde emergere possint, diligentissimè perpendenda, & ne fallatur opinione, opera danda: illudque posteà consilium capiendum, quod in manifestam Principis dignitatem vel utilitatem vergat (ubi perspicaci maximè opus est prudentiâ, longo rerum usu & tractatione comparatâ. *Christophorus Warscvic. in liq. de Legat.*) cujus causæ statim per literas Principi significandæ.

Mahometes equidem visir primus trium Principum Othomanorum, cum quibus pari gratia semper viguit, dicere solebat, *se nunquam etiam de re minima, quamvis sibi id licere scivisset, inscio Principe statuere voluisse.* Quòd si utilitas dubia sit, haud facilè quid extra mandatum tentandum: ne, si quid adversi contingat, fama periclitetur. Solent enim vulgò non facta, sed eventa notare. *Hæc ille.*

15 Verùm enim verò † vult *Kirchnerus lib. 2. de Legat. cap. 6. num. 39. & seq.* ut legatus intra cancellos præscripti mandati se contineat, quia Principes plerunque eo sunt ingenio, ut mutata mandata indigna ferant.

Sic Georgium Ducem Saxoniæ, & Wilhelmum Hassiæ Landgravium mandata sua strictè observari voluisse, neque suo injussu vel minimum illis emendari aut mutari passus fuisse commemorat.

Quare nos circa obortas meliores rerum agendarum occasiones, evidentesque utilitates, *cum Gellio d. c. 13.* dicimus, respi-
16 ciendum † esse ingenium naturamque illius, cujus ea res, præceptumque esset: ne ferox, durus, indomitus, inexorabilisque sit. Et si tali ratio reddenda sit, nihil faciendum aliter, quàm præceptum est.

Idem innuit Poëta, dicens:

Non satis est ars sola coquo, servire palato,
Namque coquus domini debet habere gulam.

In li-

In libera † verò legatione conceditur facultas agendi, quod alicui videtur. Cujus rei extat exemplum *apud Philippum Cominaeum lib. 1. de gest. Ludovici Undecimi Regis Gall.* ubi Procancellarius Regis Britanniæ Orator, chartas aliquot puras sui Principis sigillo consignatas, eo fine acceperat, ut pro ratione temporis & negotiorum scriberet, quicquid visum esset. Hanc qui habent, illis ultra mandati fines transilire fas erit. 17

Nam, ut scribit *Gentil. lib. 3. cap. 17. fol. 117.* postulat ita aliquando res, ne quid certi legato præscribatur: sed ut ei amplissima potestas tribuatur agendi, quod è re esse crediderit. Sic Demosthenes verba dixit, temporáque legatis tradi: hoc est, potestatem rei, quibus vellent verbis, agendæ, & quo tempore vellent: quia scilicet notum hoc fuerit: multa contingere solere, de quibus præstitui nihil in mandato possit. Ita certè, in quibus præsens tractatio rerum certiora subjicere consilia valet, committi legatis prorsus oportet. In his legatis prudentia maxima requiritur.

Et *fol. 121.* videat tamen legatus, ne dum fidem summam, diligentiamque in rebus domini præstare contendit, aut minus commodum aliquid, aut honorificum minus Principi curet. Quamvis verò legatis quandoque pro sua prudentia concedatur licentia agendi quod è re publica esse judicaverint: id tamen non pertinet ad ea, quæ non aliter quàm singulari mandato debent explicari, hoc est, ad fœdera sancienda vel convellenda. *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 7.*

Liberior † etiam agendi facultas indulta est legatis, si mandato vel instructioni generalis illa clausula fuerit inserta: *Reliqua tuæ prudentiæ & discretioni committimus.* Tunc enim Legati, Oratores & Commissarii Principum ex nova causa, quæ committentem latebat, ex tempore, pro re nata, limites mandati pro utilitate & in rem domini excedere possunt. *Andr. Gailius lib. 1. de pace publ. cap. 4. num. 30.* 18

Ubi simul vidisse se asseverat, in gravissimis negotiis clarissimos viros id ipsum esse assecutos. Cum Geilio communis Politicorum & Jurisconsultorum id ipsum sentit & docet Schola, quamvis *Kirchner. d. cap. 10. num. 30. & seqq.* à recepta illa sententia recedat.

CAPUT XLII.

AN LEGATI DEBEANT accipere munera?

n LEgatorum diligentiam † & industriam pro optimè & egregiè confectis legationibus præmiis in benè constituta Repub. prosequendum esse, extra omnem est controversiam. Sic enim in Attica Repub. benè actam legationem remuneratam non uno modo cognoscimus.

Quæ verò illa præmia? præconia publica, honores & insignia, coronæ ex olea contextæ, cœna in curia. Apud Romanos ad summos honores aditus inde patebat. Legatis verò in legatione mortuis statuæ & columnæ erigebantur in publico: ut qui pro patria occubuissent, in perpetuum per gloriam vivere intelligerentur. *in pr. tit. Inst. de excus. tut.* statuas quatuor illorum legatorum, quos Lartes Tolumnius Vejentium Rex interfecerat, in rostris longo post tempore stetisse, testatur *Cicero Philip. 9.* Et legatis à Teuta Illyriorum Regina interfectis, à populo Romano statuæ sunt positæ. *Flor. lib. 2. cap. 5.* obtinuit tam & Cicero, ut Servio statua poneretur, etsi is ferro non periisset.

Quæritur modò: An etiam legati debeant vel possint 2 munera † ab illo capere, ad quem fuere missi? sanè diversorum populorum diversa statuta sese hic offerunt.

Athe-

Digitized by Google

Athenienſibus fuit lex, ne legati xenia & munera acciperent. *Xenophon. lib. 7. rer. Græc.* & multi ſanguinis pœnam ſuſtinuêre, qui acceperant.

Callias, etſi pacem glorioſam probatiſſimamque Athenienſibus omnibus cum Perſarum Rege confeciſſet, & in Legatione munera accepiſſet, talentis quinquaginta mulctatus eſt.

Nec Philocrates, quòd donatus à Philippo Macedonico rediiſſet, impunè tulit. Corinthii eandem contra Legatorum δωροδοκίαν legem ſanxerant. *Plutarchus in apophthegmat.*

†Quin Legati Romanorum Q. Fabius Gurges: C. & N. Fabii pictores, & Q. Ogulnius ad Ptolomæum Regem miſſi, munera quæ ab eo privatim acceperant, & in ærarium, & quidem priùs, quàm ad Senatum legationem referrent, & detulerunt: de publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam, præter laudem adminiſtrati officii, accedere debere judicantes. *Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3.*

Veteris † illius ſanctionis Græcorum ſervantiſſimi ſunt etiam hodiè Veneti, quorum ſcitis capitale eſt legato, munera in legationis functione contrectaſſe. *Hermolaus Barbarus de Republic. Venet.* Cujus legis ſeveritatem ipſe quoque evadere non potuit, quin abſens fuerit condemnatus, quòd contra legem munera Pontificia acceptaſſet. *Jovius in elog. illuſt. viror. c. 36.* Tenax † ejus eſt Dux Moſcovitarum, qui auferre legatis ad ſe redeuntibus munera omnia ſolet. *Jovius in Icon. Sigismund. Baro in Hiſtor. Moſcovit.* 3 4

Eſt ſanè res † periculi & ſuſpicionis plena, quia ſacra vis eſt munerum, & hæc faciunt, ut paucis ſit carior fides, quàm pecunia. *Saluſt. in bell. Jugurth.* 5

Sic Legati Bocchi Regis Mauritianæ corrumpuntur donis à Jugurtha Rege Numidiæ. *idem ibid.*

Et reperire licet, quibus bos in lingua, & qui Demosthenicâ ἀργυράγχῃ laborantes, plus accipiunt, ut taceant, quàm alii, ut loquantur, cujus festivam historiam vide apud *Gelli. lib.* 11. *cap.* 9. nec non subdolis fallaciis insidias struens donator.

Munera magna quidem misit, sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest!

6. Pro munerum acceptione facit: 1. Quòd Romani † Legatis Romam venientibus lautia dare fuerint soliti, aliaque hospitalia comiter præstare. *Liv. lib.* 42. Nec modò obtulerunt exterorum legatis, sed etiam ab aliis oblata dona ipsimet acceperunt, ut *idem Liv. lib.* 39. testatur, licet legati à Ptolomæo Rege lautiis ornati, ea ipsa in publicum ærarium detulerint, ut ex Valerio modò annotavimus.

Pro parte affirm.

7. 2. Quòd navata † opera jure optimo præmiorum magnitudine recompensanda sit. Hinc Germanos accepisse munera, memoriæ tradidère *Tacit. de morib. German. Ammian. Marcellin. lib.* 16. adduntque, ista ostentare fuisse solitos, maximéque indignatos, si quando consecuti non fuerant.

8. 3. Quòd, ut Divorum † munera non sint rejicienda, ita nec Principum spernenda. *Erasmus in Adag.* secundùm illud Homericum:

Splendida cœlituum non sunt spernenda Deorum
Munera, nemo lubens non illa amplexa tenebit.

4. Quòd valdè sit † inhumanum, ac nimium insolens, 9
morosum ac incivile, xenia non accipere. Magis renuentis su-
perbia ac insolentia, contemptusque adversus dantem; quàm
gravitas & constantia inde arguitur. *Kirchner. lib. 2. de Legat. cap. 9. num.* 100.

Controversiam hanc ita dirimimus ut distinguamus: 1. an
munera eâ † mente sint data, ut legati corrumperentur, an verò 10
ad testificandam benevolentiam & humanitatem: utque osten- *Conciliatio utriusq; sententiæ.*
datur, gratum fuisse legatum, atque probatum hominem, qui le-
gationem obierit.

Quod si ergo corruptionis gratiâ dentur, recusanda: si be-
nevolentiæ & honoris, capienda. Si enim nuptias Legatus am-
biat, vel simile propter negotium accesserit, quis muneribus re-
cusandis honestus ac urbanus prætextus? Imò quædam † munera 11
sunt, scribente *Gentile lib. 3. de Legat. cap.* 20. *fol.* 232. quæ velle
legati debent, tantum abest, ut nolle deberent. Ista sunt ordina-
ria quædam.

Sunt, quæ legatis discedentibus dari consuerunt. Non est
hic à corruptione periculum: nam res ferè debita solvitur, ut
præter ipsam nulla legatus obligatione muneratori obstringa-
tur. *Bartholomæ. Keckermannus in curs. Philosophic. disput.* 33. *q.* 14.
fol. 680. munera ordinaria † & publica ea dicit, quæ honoris cau- 12
sâ legatis obveniunt, qualia olim lautia erant & xenia Romano-
rum. *l. 9. §. 3. ff. de offic. procons.* Privata † verò, quæ peculiaris be- 13
nevolentiæ & hospitalitatis gratiâ legatis offeruntur.

Secundò, discrimen constituimus inter † dona amicorum, 14
confœderatorum, & hostium.

Ab inimicorum † munerum contrectatione manus repri- 15
mendæ. Nam, ut in adagio dicitur: ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, ho-
stium dona, dona perniciosa & infelicia habentur. *Erasm. in adag.*
Ideoque maximum prudentiæ † temperamentum in muneribus 16
capiendis adhibendum. Asscribere hic lubet verba Ulpiani JC.
in l. 6. §. 3. ff. de offic. proconf. ad nostrum propositum maximoperè spectantia, quæ ita se habent:

Non verò in totum à xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adjicere: neque morosè in totum abstineat, neque avarè modum xeniorum excedat. Quam rem Divus Severus, & Imperator Antoninus elegantissimè epistolâ sunt moderati; cujus epistolæ verba hæc sunt: Quantum ad xenia pertinet: audi quid sentimus: vetus Proverbium est:

οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

Neq; omnia, neq; quovis tempore, neq; ab omnibus.

Nam valde in humanum est, à nemine accipere: sed passim, vilissimum est: & omnia, avarissimum.

Finis partis secundæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEATRI POLITICI
PARS TERTIA
De
JURE BELLICO.
CAPUT PRIMUM.
BELLUM QVID, ET AN Christianis salvâ conscientiâ gerere bellum liceat.

OMnis † Respublica aut pacis aut belli tempore gubernatur & consideratur, quo respectû *Aristot. lib. 7. polit. c. 14.* scribit, omnem vitam in negotium & otium, pacem & bellum divisam esse: illîc justitiâ & legibus: hic verò armis potissimùm opus est. 1

Cognitâ † ergò doctrinâ de forma regiminis in pace, vel statu tranquillo, consequens est, ut statum bellicum seu turbatum tenui supercilio declinemus, & ex sanguem saltem tentem⁹ conflictum. Uberior omni & specilior de re militari, & instruendâ acie cognitio ex Vegetio & aliis, nec non disciplina polemica, quæ doctrinæ politicæ subordinatur, erit petenda. In illa enim particularia belligerendi media tractantur, nempe ratio metandorum castrorum, item instruendæ aciei, obsidendi & 2

expugnandi arces & urbes. In politica verò sufficit generalia belligerendi præcepta tradidisse *Bartholoma. Keckerman.l.1. syst. polit. c.31. fol. 494.*

3 Nec est, ut Pyrrhus † Salustianus in scenam prodeat, & aures nostras vellicet, ac dicat: Ne mihi de militia judicet, cujus aures tubarum clangor non circumsonuit. Nec Hannibal aliquis, qui thrasonicâ arrogantiâ Phormionem Philosophum de bellicis rebus disserentem, eumque desipere & delirare dixit, quod de re militari, cum aciem nunquam vidisset, coram milite & Imperatore præstantissimo ausus esset disputare, ut est *apud Cicer. l. 2. de orat.* Quem vulgò milites sequuntur, quibus omnia literatorum consilia de rebus bellicis, febricitantium somnia videntur, refutati à *Justo Lipsio l.5. polit. c.5.*

4 Quid enim? ex altissimâ † historiarum specula prospiciens, & Xenophontem, Thucydidem, Appianum, Julium Cæsarem, Vegetium aliosque rei bellicæ scriptores (qui partim interfuerunt, partim etiam præfuerunt bellis: & quod caput est, cum judicio observarunt non solùm eventus, sed ipsas etiam origines & causas rerum: unde saluberrima monita & consilia miscuerunt ad rem militarem) perlustrans non unum aut alterum, sed quàm plurima prælia & acies mentis suæ oculo cernit, atq; exinde non minus rectè de militiæ studiis judicare sæpè potest, quā qui inter medias turmas & globos versatus, spiravit pectore Martem, ut loquitur Poëta.

5 Hujus rei † vivum se nobis offert documentum Georgius Buchananus Poëta, quem Brissacus Regiæ militiæ in Gallia Imperator, consiliis militaribus solitus fuit unà cum exercituum Ducibus adhibere. Cujus rei occasio hæc præbita, quòd cùm Buchananus aliquando à Musæo suo (præceptor liberorum Brissaci tùm temporis) ut famulo quippiam mandaret, in cœnaculum aulæ contiguum, in quo Brissacus cum suis Proceribus consilia bellica tractabat, descendisset, & aliquot murmuratis verbis, quam audiebat omnibus placere sententiam, sibi displicere ostendisset, risu Assessorum oborto, Brissacus intellectâ ejus causâ, Buchananum intrò vocatum liberè sententiam dicere jus-

jussit: Tumverò ille non modò Brissaco, verùm omnibus aliis Ducibus oracula Martis loqui visus est, quæ Imperator amplexus felicissimum eventum eorum habuit. *ex Stephan. nigrat. de bell. Turc. proseq. Herman. Kirchn. in Repub. disp. 21. auct. 8. ad lit. a.* sed & Alexander ille, in re quidem bellica verè Magnus, Homerum sibi militiæ magistrum assumere & asserere nihil verebatur. Historiæ sunt, quæ Scipionem Africanum, Lucullum, Julium Cæsarem, Alphonsum Regem Arragoniæ, & quem non arte militari instruxerant.

Sed remittamus aliquid, & *cum Keck. in syst. l. 1. c. 30. fol. 453.* dicamus, generalem † rerum bellicarum notitiam ex doctrina, 6
lectione & auditione earundem: specialem ex propriis casibus & experientiis in bello haberi. Unde *Lips. d. l. n. 9.* Non usum, ait, aut tractationem armorum mihi vendico: sententiam & judicium tantùm, eaque ipsa astricta sententiæ alienæ. *& nu. 12.* Non ego Dux aut miles, sed qui his in tempore consulere aliquid possim & suadere.

Memorabile quoque est responsum † Michaëlis Hospitalis 7
Cancellarii Galliæ, dissuadentis bellum contra Hugonotas. Cùm enim à Guisianis reprehenderetur, ipsius conditioni togatæ non convenire, de bello gerendo disserere, respondit: Arma quidem se tractare manibus non didicisse, sed ex libris, de causis & rationibus belli gerendi & omittendi, se satis edoctum esse, ut refert *Camerar. cent. 3. hor. succisiv. cap. 72. in fin.*

Sanè qui militiæ † sacramento nunquam fuit adductus, con- 8
silium suppeditare potest de belli susceptione ac ejus præparatione.

Ut enim † Medicus parturienti mulieri consilio adesse po- 9
test, etiamsi ipse non pepererit: ita & Medicus Reipublicæ, qui partus bellicos in sinu suô foverit illi laboranti mederi consiliisque bellicis succurrere quodammodo potest: sed ut † obstetri- 10
ces, quæ & ipsæ partus oneri fuêre implicitæ, meliùs & dexteriùs de partus actu & ejus periculis monere possunt, quàm ullus Hippocrates aut Galenus: haud aliter veteranus miles rectiùs judicat de exercitu, de castris, de Agminibus, de signorum collatio-

nibus seu pugnis, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, & de reliquis actibus bellicis, quàm togatus aliquis consiliarius. Quæ causa est, ut nos susceptionem ac præparationem belli tentemus, non verò aciem instruamus, vel ipsum actum bellicum perstringamus. Propiùs igitur ad rem.

11 *Belli definitio.* Bellum † est actio hostilis ad injuriam propulsandam vel vindicandam, à magistratu vi armisque adversus hostes, pacis retinendæ, vel consequendæ causâ, legitimè suscepta & administrata. *Georgius Obrechtus in disp. de belli principiis, & ejus constitutione, th. 29.*

12 Censuræ logicæ † hanc definitionem subjicit *Barthol. Keck. in syst. Polit. lib. 1. c. 29. à pr.* eamque imperfectionis arguit ex eo, quòd bellum sit genus πρὸς ἕν, sive imperfectum & analogum, cujus non possit dari perfecta definitio.

Præsupposito, quòd bellum sit tale genus, Respondeo: Etiam-
13 si † genus imperfectum & analogum non definiatur perfectè, propriè, & à priori, vel à causis essentialibus, definitur tamen à posteriori, ab effectis & adjunctis. Sic est ens gen' imperfectum, & tamen generaliter & latè à Philosophis definitur. Quidni igitur & bellum in suo genere definietur?

14 *Notatio.* Bellum Festo & aliis dicitur à † beluis, quòd beluarum sit; non hominum, in mutuum sævire exitium. Unde & Poëta canit:

Pax homines, sævas trux decet ira feras.

At *Henricus Bocerus lib. 1. de bell. c. 3. n. 2.* Probabiliùs esse scribit,
15 belli nomen à † Græcis petitum, quibus βέλος telum significat, ἀπὸ τοῦ βάλλειν. *§. item lex Cornelia. vers. etsi hanc significationem. Instit. de public. judic.*

Priscianus & cæteri Grammatici bellum dictum esse putant
16 † κατ' ἀντίφρασιν, quasi minimè bellum quòd nihil belli vel boni habeat. Quæ notatio placet etiam Politicis nostris. *Tholozan. lib. 11. de Repub. c. 12. n. 5.*

17 Alii verò ex eo † appellatum volunt, quòd sit bellum, id est, bonum: siquidem ad habendam pacem comparatum sit.

Quo-

Quorum ſententia certa conſideratione approbatur *à Bocero d.l. & Obrechto th. 9. cum ſeqq.* Ubi bellum diverſo reſpectu & bonum, & bellum, & rurſus, neque bonum, neque bellum rectè nominari ſcribunt. Bonum appellant reſpectu finis: quia pacem & tranquillitatem perſequitur, & vim ac injurias hominum coërcet. Malum verò vocant, propter incommoda & mala, quæ in eo proveniunt. Ubi tamen bellum per ſe non malum dicunt, ſed per accidens: quia per ſe non propter malum, ſed bonum ſuſcipitur & geritur. Per accidens verò fieri, ut multa in eo mala eveniant.

Bella verò à Politicis diſtinguuntur † aut ratione objecti, aut finis, aut ſubjecti, aut adjuncti & loci. 18 *Diviſiones.*

Ratione objecti, † bellum aliud eſt cum vicinis, aliud cum remotioribus. 19

Illud † ſemper eſt periculoſius & funeſtius, quàm cum remotiore gente. *Keckermann. lib. 1. ſyſtem. polit. cap. 31. fol. 509.* 20

De hoc † poſteriori bello hunc tradit Canonem: Quando bellum geritur cum remotioribus, imprimis danda eſt opera, ut vicinos habeas benevolos, quo tutius poſſis per eorum ditionem tranſire, ſi opus ſit, aut ne illi hoſtem per ſuam ditionem patiantur tranſire ad tuam. 21

Ratione finis, † bellum aliud eſt defenſorium, aliud vindicatorium. *Didac. Covarruv. in reg. peccatum. p. 2. §. 10. n. 3.* 22

Defenſorium † eſt, quod defenſionis cauſa ſuſcipitur. 23

Vindicatorium, † quod ad vindicationem injuriæ, vel damni dati reparationem, vel ad recuperationem amiſſorum geritur. 24

Ratione ſubjecti, † bellum dicitur vel in cauſa propria, vel communi. 25

Illud † ex cauſis ad ſolum, & unicum Principem pertinentibus ortum eſt. 26

Hoc † ex cauſis, quæ attingunt plures. Si commune eſt periculum, cum turpitudine conjunctum eſt, deſerere eum, cui ſocietatis jure obſtricti ſumus. 27

Ratione adjuncti, † bellum eſt vel continuatum, vel interruptum. 28

29 Continuatum † dicitur, cujus actus continuantur, usque dum finis bello imponatur.

30 Interruptum, † cujus actus interrumpuntur, quæ interruptio est vel minor vel major.

31 Minor † interruptio belli, sunt induciæ breviores.

32 Majoris † temporis interrupio est, quando induciæ sanciuntur ad plures annos, & tum demum bellum restauratur. *Keckerm. d. c. 31.*

33 Ratione adjuncti bellum etiam constituitur † vel internum sive intestinum, quod & civile dicitur, vel externum. *Plat. 1. de legib. c. 6. Lips. l. 5. polit. c. 3. & l. 6. c. 1. & 2.*

34 Intestinum † est subditorum in Principem, vel Principis in subditos, vel subditorum inter se arma capientium. *Lips. d. l. 6. c. 1. & 2. Bocer. l. 1. de bell. c. 4. n. 13.*

35 Eo casu, quando geritur † contra seditiosos & rebelles subditos, non esse bellum, sed tantùm executionem jurisdictionis, quam manu militari Princeps exequatur, asseverat *idem Obrecht. th. 42. & 43.*

36 Externum † dicitur, quod in Principem, vel populum alienum geritur, *Lips. d. l. 5. c. 3. & l. 6. c. 1.* Ubi miserias belli civilis ob oculos ponit, eoque nihil miserius, nihil fœdius imò mare calamitatum esse dicit. *& sub fin.* ita summatim *ex Cic. Orat. pro Marcell.* concludit: omnia sunt in bellis civilibus misera, sed nihil miserius, quàm ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: Ut etsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur.

37 Malè † tamen ita dividi bellum, asserit *Obrecht. d. disput. 33. & ex eodem Platone lib. 6. de Repub. c. 6.* scribit, bellum propriè esse, quod contra extraneum & peregrinum suscipitur. Quod autem cives ipsi, aut cognati populi contra se mutuo gerunt, seditionem esse & rixam duntaxat, non autem propriè bellum. *Et th. 207. cum seqq. ex l. 118. ff. de verb. signific.*

38 Hostes † ait, hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decrevimus: veluti si Romani Parthis, vel Parthi Romanis bellum indixerunt. Quòd si Romani adversus Romanos pugna-

gnarunt, neutri appellati fuerunt hostes; quia naturâ amici
esse debent: & consequenter non bellum geri: sed orta esse seditio
dicebatur. At si Romani Barbaris & exteris arma intulerunt,
hi dicti fuerunt hostes, quia nulla inter eos societas, nullum
foedus, nulla amicitia intercessit: & consequenter contra eos bellum
geri, & illi bellum gerere dicebantur.

Amplius † infert, cùm ex constitutione Antonini *in l. orb.* 39
ff. de stat. hom. omnes qui in orbe Christiano sunt, cives Romani
sunt effecti, inter Christianos nullum propriè bellum geri:
& arma, quæ inter eos moventur, plùs quàm civilia esse: quin
prædas, latrocinia & seditiones ipsos exercere: nec hostes, sed
latrones, prædones, seditiosos, & rebelles plerumque esse appellandos.

Idem prorsus scripsit *Hottoman. illustr. quæst. 7. à pr.* hostes
malâ consuetudine generali nomine dici omnes, contra quos
arma feruntur, quorum † sex genera refert. Alii, inquit, ve- 40
rè proprieque sunt hostes, qui externi sunt, & pari atque nos
jure ac libertate utuntur: inter quos publico consilio bellum intercessit.
*d. l. hostes. 118. l. quos nos. 234. de V. S. l. hostes. 24. ff.
de captiv. & postlimin. revers.* Alii defectores, qui cùm imperio ac
ditione nostra tenerentur, à nobis defecerunt. *l. 5. ff. de cap. dimin.*
Alii prædones, hoc est, piratæ & latrones. *d. l. hostes, de capt.* Alii
adversarii, inter quos non bellum, sed civilis discordia exerceri
dicitur, *in l. si quis ingenuam. 21. §. 1. ff. eod.* eoque nomine Cæsar
in libris de bello civili frequenter Pompejanos appellat. 5. Alii
sunt proscripti, sive judicio damnati, & hostes à senatu judicati,
de quibus *in d. l. 5. ff. de cap. min. l. sunt quidam. 17. ff. de pœn.*
6. Sunt servi fugitivi, cum arma ferunt. *l. 3. de his, qui ad Eccles. confug.*

Ratione loci, † bellum est terrestre vel navale. 41

Terrestre, † quod terrâ geritur, & plerumque funestius est, 42
& magis sævum, quo ad vastationes, rapinas & incendia: siquidem
in mari vastatio nulla fieri potest, nisi navium, quod tamen
intelligitur de vastatione ea, quæ est connexum belli, non de
ea, quæ bellum sequitur. *Keck. d. l.*

Na-

43 Navale † dicitur, quod in aquis geritur, sive flumine, sive mari.

44 Hoc † insignem apparatum navium instrumentorumque nauticorum requirit: & commeatum terrestri diversum, quoad præparationem & asservationem postulat. *Henricus Ranzovius lib. 5. comment. bell.*

45 Bella tamen majoribus † constant sumptibus terrâ quæ geruntur, quàm quæ mari, ex mente *Boteri lib. 10. politiæ illustr. c. 8.*

46 Quæritur modò: An bellum † sit contra jus naturale & pietatem Christianam, ut Christianis prorsus sit interdicendum? Ita fert sententia nonnullorum, & in Novo præsertim Testamento bella esse prohibita, clamitant Anabaptistæ, infensissimi ordinis politici osores.

An bellum gerere liceat.

47 Verùm pro belli legitimo † usu qui belligerant, gravioris armaturæ sunt milites. Fortitudo, inquit *D. Ambros. de offic. l. 1. c. 27.* quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitiæ est. Virorum modestorum est, quiescere, nisi lacessantur injuriâ, fortium verò, si injuriâ afficiantur, pacem cum bello commutare. *Thucyd. de bell. Peloponnes. l. 1.* Duo sunt, quibus Respublica servatur, in hostes fortitudo, & domi concordia *Lips. 5. polit. 2.* Huc refero illud, quod habet Justinianus *Imp. in proœmio Instit.* Imperatoriam majestatem non solùm armis decoratam, sed etiā legibus oportet esse armatam, ut utrunque tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernari. Aurelianus quoque Principatu Romanorum potitus, Magnates interrogavit, quó pacto imperandum esset? Quorum unus ei respondit: Si Rempub. ritè administrare volueris, auro & ferro te munitum esse oportebit. Ac ferro quidem contra hostes uti, tui verò observantes auro remunerari. *Zonar. tom. 2. annal.*

Rationes sententiæ affirmantis.

48 Quid? quòd Deus † peculiaria mandata dederit Moysi, Josuæ, Gedeoni, Samueli, & Davidi de suscipiendis & gerendis bellis. *Num. 10. & 31. Deut. 20. Jos. 6. 8. 10. 11. Judic. 1. 6. 7. & 11. 1. Samuel. 17. & c. 25. v. 28.* Abigail ad Davidem ait: prælia Domini prælíaris.

In

In Novo † testamento sunt testimonia non obscura, quæ militiæ suæ dignitatem reservant. Cùm enim milites à Joanne Baptista salutis consilium peterent, hoc ab ipso tulere responsum. Neminem concusseritis, nemini calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris. *Luc. c. 3. v. 14.* Audin', hic præcursorem recipere & approbare milites in officio manentes: igitur & militiam: Approbatione enim exempli in subjecto, approbatur res in genere, uti Logicorum docent scholæ. 49

Facit huc auctoritas † *D. Augustini Epist. 5. ad Marcellinum* dicentis: Qui stipendia militibus decernit, ille militiam minimè damnat. Nec non *lib. 22. adverf. Faustum c. 74. & 75.* & transsumptivè *in c. quid culpatur. cauf. 23. q. 1.* Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur. Et *in c. militare* inquit: Militare non est delictum, sed propter prædam militare, peccatum est. Nec Rempublicam gerere criminosum est, sed ideò gerere Rempubl. ut rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. 50

Sed & Salvator † commendat fidem Centurionis Capernaitici, & ait, se tantam non invenisse in Israël. *Matth. 8. v. 10.* Cornelius Centurio etiam tunc, cùm esset in statu militari, audit, preces & eleemosinas suas placuisse DEO. *Actor. 10. v. 9.* 51

Concludimus ergò cum *Augustin. Epist. 207. ad Bonif.* Noli existimare neminem DEO placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus David, cui Dominus tàm magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis justi. In his erat & ille Centurio, qui Domino dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Sed quid furiosi † Anabaptistæ? Et ipsi ad sacrum Codicem provocant. 52

Ex † veteri proferunt dictum *Esaiæ c. 2. v. 4. & Michee c. 4. v. 3.* corripient gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. 53 *Argumenta sententia negantis.*

Respondeo ex vulgari Canone Theologorum. Allegoria

54 ria † Theologica non est argumentativa. Atqui hîc talis esse. Ergò. Nam verba ista: *corripient gladios*, hoc sibi volunt, quòd cessaturum sit illud odium inter gentes & Judæos: adeò, ut jam non odiis, sed officiis inter se sint certaturi, ut explicat *Lucas Osiand. in not. marginal. ad illa loca.*

55 Ex † Novo Testamento adducunt *c. 5. Mattha. v. 39. Luc. c. 6. vers. 2.* Ubi Salvator ait: Non resistite malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & *Matth. c. 26. v. 52.* omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, nec non *c. 12. ad Rom. v. 19.* Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ: scriptum est: Mihi vindicta, ego retribuam, & *Epist. 1. Pet. c. 3. v. 9.* Non reddite malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicite.

Sed & hæc fulgura ex pelvi sunt, dum hæc dicta in sinistrum 56 torquentur sensum. Loquuntur enim de † privata vindicta & injuria, & de illis, quibus à Domino gladius non est traditus, id est, qui nullâ superiori & legitimâ potestate jubente, feriendi causâ gladium usurpant.

57 Quod dicitur, percutienti † maxillam & alteram esse præbendam, non ad literam est intelligendum; siquidem nec Christus Ipse in passione alapam sibi impingenti, alteram præbuit maxillam, sed dixit: si malè locutus sum, testare de malo, si benè, cur me cædis? *Joh. 18. v. 23.* Et Paulus Ananiæ, Principi Sacerdotum, præcipienti astantibus, ut percuteretur os ejus, respondit: percussurus est te Dominus paries dealbate. *Act. 23. v. 2. & 3.* Hunc igitur habet sensum: Adeò te non decet esse studiosum privatæ vindictæ, ut paratus sis potiùs novam injuriam accipere, quàm veterem vindicare *Osiand. super Matth. c. 5. v. 39.*

58 Ergone inquies, injurias † nobis illatas mediis legitimis, imploratione scilicet auxilii magistratus, vel severâ & decente objurgatione propulsare non licebit? Id verò non sequitur. Sed cum prædictis modis injuriam depellere non licet, tùm animum habebimus ad majora perferenda paratum potiùs, quàm ut ad privatam vindictam prosiliamus, aut confessionem deseramus, sicut Dominus cùm objurgatione suâ nihil proficeret, totum cor-

corpus suum indignis modis tractandum permittit: & Paulus similiter intelligens Pontificem esse, à quo percuteretur, injuriam patienter tulit. *Dn. D. Winckelman. in comment. in Luc. c. 6.*

Imò, ut rectè docet *Lamber. Danæus lib. 2. Ethic. Christian. c. 16. fol. 256.* Injuria nobis facta non semper † ferenda est, & 59
mussitanda, tum propter bonum ipsius convitiatoris & contumeliosi, ut corrigatur: tùm ne profectus multorum impediatur. Hi enim ait *Gregor. Homil. 9. in Ezech.* quorum vita in exemplo imitationis posita est, debet detrahentium de se verba compescere, & verum est illud Salomonis: Qui imponit stulto silentium, mitigat iras.

Sed excipiunt Anabaptistæ & Photiniani, Christum † non 60
solùm privatam, sed etiam publicam, quæ exercetur per Magistratum, vindictam prohibuisse. *Matth. c. 5. v. 39.* Cùm enim, inquiunt, dixisset Salvator *v. 38.* Audistis quia dictum est, *oculum pro oculo, & dentem pro dente*, mox subjungit: *malo non esse resistendum*, nempè injuriam per magistratum politicum non esse vindicandam: sed potiùs æquo animo ferendam ac si Christus dixisset: *Moyses vindictam publicam, quæ fit per magistratum, vobis permisit: ego autem vobis non permitto, sed potius dico: malum ne quidem per magistratum esse vindicandum.* Et hanc expositionem urgere videtur oppositio *versiculi 38. & 39.* quæ aliàs subsistere non posset.

Hic verò distinguamus *cum Alberto Gravvero in expositione Mich. a. c. 4. fol. 134.* 1. Inter † malum morum, & malum inju- 61
riarum specialiter sic dictum, dicendo, quòd malum morum propriè hic intelligi non possit: sic enim furto, scortationi, homicidio &c. non esset resistendum, quod absurdum. Deinde, quod malum injuriarum specialiter sic dictum attinet, committitur elenchus ὁμωνυμίας.

Vindicta enim † *publica* bifariam accipitur: quandoque dici- 62
tur *hâc ratione publica*, quod eam subditus, vel homo privatus, vel Christianus per magistratum publicum in adversario suo exerceri cupit. Et hanc Christiano, qui quidem perfectè Christianus esse debet, non permissam esse, libentissimè concedit *Gravve-*

rus. Nam Christianus, inquit, nec privatim se ipsum vindicare, nec vindictam propriè sic dictam, per Magistratum, sed tantùm defensionem, absque vindictæ cupiditate expetere debet. In V. T. vindicta privata erat quidem prohibita: attamen vindictam contra adversarium à Magistratu petere, atque *sic dentem pro dente, oculum pro oculo*. In N. autem T. Christianis perfectis hoc permissum esse non videtur, licet defensionis imploratio, absque tamen *vindictæ cupiditate*, illis non denegetur. Quandoque autem *vindicta publica* magis propriè accipitur, cùm nimirum magistratus *loco DEI ex officio* vindictam exercet: *Vindicta enim non est hominum, sed DEI ipsius. Deut. 32. v. 35. Rom. 12. v. 19.* Hæc autem posterior publica vindicta, quam Magistratus loco DEI ex officio divino exercet, adeò prohibita non est, ut *Paulus Rom. 13. v. 4.* dicat: *Minister DEI est ultor ad iram ei, qui malum facit*. Hactenus Grawerus.

63 Porrò ganniunt fanatici homines: Nullum † in Nov. Test. exemplum, nullum præceptum extat de bello inferendo. Quid audio? Num in Evangelio Christo fuit propositum politiam informare? Minimè gentium, sed spirituale regnum voluit instituere.

Insurgit nobis etiam *Anton. Montecatinus in polit. Aristot.*
64 pronuncians, omne † bellum esse contra naturam.
65 Respondeo: Licet sit contra naturam primariò † & per se, quatenus natura non genuit homines ad sæviendum, tamen secundariò bellum est secundùm naturam, seu à naturali ratione à gentibus constitutum, ut loquuntur Jurisconsulti.

66 Nam natura † docet, vim vi esse repellendam. Et lex est, *scribente Cicerone pro Milon.* non scripta, sed nata: quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, tela aut latronum, aut inimicorum mordisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.

67 Sic ergò bellum ex jure naturali † secundariò, seu jure gentium est ortum. *§. jus autem gentium. Instit. de jur. nat. gent. & civil.*

vil. l. ex hoc jure. 5. ff. de just. & jur. & ibi Dd. Bocer. lib. 1. de bell. c. 3. n. 13. & 14. Nam naturali ratione dictante gentes constituerunt, ut liceret vim vi repellere: & qui non possent aliter injuriam illatam vindicare, possent eo nomine bellum gerere.

Ita etiam servitus † est contra jus naturale primarium: quia naturali ratione omnes homines ab initio liberi nascebantur. *d. §. jus autem gentium.* Sed non est contra jus naturale secundarium, seu jus gentium, quod usu & necessitate ita exigente introductum, ut ibidem inquit Imperator Justinianus. 68

Tradunt & hoc communiter Doctores, justum † bellum esse 69
juris gentium dispositivè: sed bellum † injustum occasionaliter. 70
Post Vasquium Bocer. d. n. 14. Quæ vulgò contra † milites eo- 71
rumque scelera in medium afferuntur, illa non tam usum, quàm abusum belli, & scelera personarum indicant.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONDITIONIBUS belli.

Cùm bello † vigente & virtus & literæ, & mercimonia, & 1
cultus agrorum, & omnis denique felicitas jaceant: *Hippolyt. à Collib. in princ. c. 11.* fundatur humanus sanguis, & sæpè innoxius, orphani plures fiant, & viduæ, ex divitibus pauperes multi, communis omnium sollicitudo, sumptus infiniti, religio vel intercepta vel neglecta, magno civium cruore comparentur victoriæ, *Tholozan. l. 11. de Repub. cap. 1. num. 5.* aliaque mala plurima eveniant; quæ persequitur *Erasm. Roterod. in adag. Dulce bellum inexpertis.* bellorum etiam † eventus maximè sit an- 2
ceps & dubius; multumque in re militari fortuna valeat, *teste Cæsare l. 6. de bell. Gall. & l. 1. bell. civil.* & ea sit varia, *Plut. in vit. Pompeii:* nec non insperata magis accidant, quàm quæ speres: *Plaut. in Mostell.* adeò ut casus sæpè levissimus ex victo victorem, ex victore victum exercitum reddat *Jovius de bello Neapol.*

3 *pol.* Hinc non † temerè & cœco impetu, sed tardè & diligenti præcedente consultatione suscipi debent. Omnia † enim priùs consilio quàm armis experiri sapientem decet, ut monet *Comicus*. Bellis siquidem facilè, quis induere potest, explicare autem ægerrimè. *Philip. Comina. l. 1. com.* ut in puteum deiici facilè, educi difficilè: ita bellum omne sumitur facilè, sed ægerrimè desinit: nec
4 in ejusdem potestate est initium & finis: incipere cuivis ignavo licet, deponere cùm victores volunt. *Saluft. in bell. Jugurth.*

Non temerè, sed tardè & consultè suscipiēda bella.

5 Quare conditiones † belli quales quales etiam tentandæ & ineundæ: pax † iniqua bello etiam justissimo est præferenda; ex mente *Solonis, Geil. l. 1. de pac. pub. cap. 4. num. 43. Marc. Tull. apud Plutarch. in ejus vit.* cujus sententia semper una fuit; omnem pacem, quamvis iniquam, civili bello sibi videri præfe-
6 rendam; Præsertim inter Christianos *Geil. d. l.* Concinit *Augustin. Epist. 105.* dicens: Cogita tecum pugnam necessitatis esse: quare animo semper feraris ad pacem. Bellum gere quod aliter non possis: sed si pax coire possit, ne illam negligas. Et *lib. 19. de civit. D E I.* Bella quantumvis justa, piis attamen hominibus, & molesta & tristia videntur. Videbunt tamen adversariæ partis iniquitatem, propter quam coguntur pugnare: nec de ea poterunt non dolere. Cautè ergò agant Principes in bello faciendo, ne barbaro ritu cædem cæde, & sanguinem sanguine expient. *C. Saluft. ad Cæsar.*

Conditiones belli, quales quales tentanda.

7 Quod si verò pax illa iniqua aliquid † in se habeat turpitudinis, tunc contra Pindarum valeant illæ sententiæ Polybianæ *lib. 3.* Fugienda quidem sunt bella: sed non ita, ut pessima quæq; perpeti velimus, ut fugam, servitutem, ac duriora, quàm sit bellum ipsum. *Item:* Nihil est faciendum injustè, aut patiendum turpiter, ut pace frui valeamus. Quin bellum gloriosum pace turpi est optabilius, *dicente Demosthene*; imò mors ipsa potior est. *Lips. l. 5. polit. cap. 19.*

8 Cùm igitur conditiones etiam iniquæ, haud tamen turpes, etiam justissimo sint præferendæ bello; quanto magis si sit læsus, ac ita justa belligerandi causa videatur, juris † potiùs tentanda erit via, antequam in Martium hunc descendas

Juris via tentanda.

cam-

campum, belliquè ambiguam fortunam subeas, ut si fortè is, cui bellum indicitur, se judicio sistere velit, & tunc arma sistenda sunt. *Lips. l. 5. polit. c. 4.* Et *Bodin. lib. 2. de Repub. c. 2.* Id jure gentium certum est, ubi jure agi potest, ab armis abstinendum: ex quo efficitur, cùm † nullus æquitati, aut legib. locus, armorum vim ad 9
sua vel tuenda vel repetenda tutissimam esse. Justum est bellum, inquit ille ad Samnites, quib. nulla nisi in armis relinquitur spes. Quare & *ab Ennio* reprehenduntur, qui contempto juris & æquitatis ordine, absq; legitima causa ad arma prosiliunt, & fortitudinem in violentia quærunt, quando ait:

Non ex jure manu consertum, sed mage ferro,
Rem repetunt, regnumq; petunt, solidâ vi.

Pacem † esse voluntatis, bellum necessitatis, vox est *Augustini Ep.* 10
207. ad Bonifac.

Rectè itaq; *Cic. 1. offic.* monet: Ita bellum † suscipiatur, ut ni- 11
hil aliud, quàm pax quæsita videatur, & *Salust. ad Cæsar.* sapientes pacis causâ bellum gerunt, & laborem spe otii sustentant. Memorabilis quoq; est sententia Martiani Cæsaris affirmantis, donec in pace vivere liceat, non decere Principem arma sumere, ac Principi esse induenda arma, ut patriam defendat, non ut aliena oppugnatum eat.

Quis igitur † Bellonam, belluam istam abominabilem con- 12
ceperit, nisi solius pacis desiderio? Quam si obtinere citra armorum fragrorem possit, insanus meritò habeatur, si malum non necessarium, ut Cæcias nubes, suismet cervicibus attrahere allaboret.

Quin temerè † in acie versari, & manu cùm hoste confli- 13
gere, immane quiddam & beluarum simile est. *Cic. lib. 1. offic.* Et qui belli semina conquirunt, ut strenui videantur, hi muscas imitari student, quæ non nisi in scabris locis consistere possunt, specula polita oderunt. *Bod. d. l. n. 560.*

Omnibus autem mediis viisque juris frustrà tentatis, & adversario non faciente id, quod juris est, ut si illatam injuriam non resarciat & compenset, præter, quod debet, veluti rem, quam per violentiam detinet, reddat &c.

Bel-

14 Bellum justum antecedet ejusdem † denunciatio, clarigatio (ita dicta aut à clara voce, quâ utebatur Fecialis apud Romanos, aut ἀπὸ κλήρου, hoc est, à sorte, ut notat *Servius lib. 9. & 10. Æneid.*) sive diffidatio, die Absagung/ Feindbrieff. *Aur. Bull. Caroli IV. tit. 17. de diffidat.* ut ille, qui diffidatur, possit se munire contra adversarium *Guido Papa decis. Delphinat. 191. n. 2.* Nullum enim bellum est justum, inquit *Cic. lib. 1. offic.* nisi quod aut rebus repetitis geritur, aut denunciatum antè sit & indictum. Ubi particula aut congregativa est, non disjunctiva, ut *ex Bart. Bald. Zas. Varron. & Liv.* ostendit *Bocer. lib. 1. de bell. c. 3. n. 11. & cap. 7. num. 6.* quâ denunciatione seu diffidatione † omissâ, non bellum, sed latrocinium, prædatio & proditio erit. *l. hostes 118. ff. de verb. signif. & l. 24. de captiv. & postlimin. revers. Bald. in Auth. item nulla n. 2. C. de Episc. & Cleric. & in l. si manumissor. c. de obseq. lib. patron. praestand.*

Denunciatio belli.

15

16 Quare in † captivos, tanquam latrones animadverti potest: *Facius axiom. polit. 35.* Quod jus prætenderunt Genevenses, cùm morti addicerent aliquot Sabaudos: qui cùm scalis in urbem subrepsissent, capti erant. *Besold. class. 2. disp. polit. 7. lit. 21.*

17 Sic & olim † bellum gesturi, renunciabant amicitiam. *Bod. l. 5. de Repub. c. 6.* & etiamnum Principes & Equites, quibus dignitas & existimatio curæ est, bellum illaturi; equestris ordinis ornamenta reddere solent iis, quos contra bellum gesturi sunt, à quibus eâ fuerint honoris & amicitiæ prærogativâ cumulati. *Kirchner. in disp. de Repub. 10. th. 1. ad lit. b.*

18 Quæ sint requisita † literarum belli denunciatoriarum, seu diffidatoriarum, manifestum redditur ex iis, quas protestantes miserunt ad Carolum V. Imp. Anno 1546. *apud Sleid. l. 17.* & quas Ferdinandus Rex Rom. & Mauritius Elector Sax. ad Albertum Marchionem Brandeburgensem, Ann. 1553. *apud eund. l. 25.*

19 Ritum † indicendi bellum apud Romanos his verbis describit *Livius lib. 1. decad. 1.* Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato, (filum lanæ velamen est) audi Jupiter, inquit, audite fines, (cujuscunque gentis sunt, nominat) audiat fas. Ego sum publicus nuncius populi Romani, justè

juste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit. Pergit deinde postulata. Inde Jovem testem facit: ego injustè impieq; illos homines, illasq; res dedier nuncio populi Romani mihi exposco, tunc patriæ compotem me nunquam sinas esse. Hæc cùm fines suprà scandit, hæc quicunque ei primus vir obvius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingressus paucis verbis carminis concipiendique jurisjurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solennes sunt) peractis bellum ita indicit: Audi Jupiter, & tu Juno: Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite: Ego vos testor, populum illum (quicunque est, nominat) injustum esse, neque jus persolvere, sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur. Cùm his nuncius Romam ad consulendum venit. Confestim Rex ex his ferè verbis patres consulebat. Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis latinis: quas res non dederunt, nec solverunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solvi oportuit. Dic, inquit ei, quem primum sententiam rogabat, quid censes? tùm ille: Puro pioque duello quærendas censeo, itaque consentio consciscoque. Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum: ut fecialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret: Quod populi priscorum Latinorum, hominesque prisci latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt. Quod populus Romanus Quiritium bellum cum priscis latinis jussit esse, Senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis latinis fieret: ob eam rem ego, populusque Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis latinis bellum indico, facioque. Id ubi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tummodo ab latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt. *Sic ille.*

C Ho-

20 Hodiè qui gratiâ indicendi bellum mittuntur, Heroldi † à nobis nominantur, quos *Æneas Sylvius Epist. 126.* in Fecialium locum successisse putat: quamvis inter eos maximam differentiam agnoscat *Joach. Cluten. in fascic. paradox. thes. 19. ad lit. B.* Ubi Feciales judices fœderum, legationis, pacis, belli, induciarum fuisse, *ex Cic. lib. 2. de legib. Marcell. lib. 2. & 3. Varrone de vit. Pop. Rom.* docet.

21 Heroldus verò, quando † officio suo fungi debet, amiculo serico, vel bombycino induitur, in quo & à fronte & à tergo insignia domini belli depicta sunt: in manu candidum gerit bacillum: præcedit eum equestris Tubicen: qui tubæ sonitu silentium imperat, quo facto id quod jussus erat, clarâ & distinctâ voce effatur. *Obrecht. in disput. de constit. bell. th. 214.*

22 Denunciatio verò necessaria est † in bello vindicatorio seu illativo, non item in bello defensivo, in quo hostis primò nos lacessivit. Tale enim bellum ipsâ natura dictante, sine ulla clarigatione geri potest, ut *ex Platone Ælianus* scribit.

23 Diffidatione quoque non † est opus, si quis ipso facto cum bonis suis omnibus toti Christiano populo offendendus impunè expositus sit, & diffidatus. *Bocer. d. c. 7. nu. 10.* Ubi *num. seq.* illam diffidationem ad omnes diffidati subditos extendit *cum Claudio à Seysello in l. ex hoc jure. ff. de just. & jur. & Friderico Schenck. in c. unic. in pr. tit. Hic finitur lex, de usib. feud.*

24 Quarta conditio justi belli posita est in † auctoritate & jussu Principis summi. Qui etenim sine Imperatoris scientia & licentiâ in Imperio bellum movet, in crimen læsæ majestatis incidit, quia usurpat sibi ea, quæ solius sunt Principis. *l. 3. ff. ad L. Jul. majest. l. neminem. C. de re milit. & l. unic. Cod. ut armor. usus insc. Princ. interd. sit. Afflictus in c. 1. §. bona committentium, n. 40. tit. quæ sint regalia Jacobinus de sancto Georgio in tract. de feud. in verb. & promiserunt. num. 9. & 10. Gigas in tract. de crim. læs. majest. lib. 1. tit. 1. quæst. 31. & quæst. 53. Bartol. in l. hostes. num. 14. ff. de captiv. & post lim. reverf. Geil. de pac. publ. l. 1. c. 4. num. 5. Bocer. l. de bell. cap. 5. num. 2. Dn. Arnisæ. lib. 2. de jur. majest. cap. 5. n. 11. & seqq.* Pœnâ factæ pacis publicæ coërcetur.

Auctoritas Principis.

Geil.

Geil. d. l. n. 4. illudque bellum quod ab † inferiore magistratu
est indictum impropriè dici bellum, *ex c. sicut. de jurejur.* notat
Obrecht: in disp. de constit. bell. th. 133. & in dubio præsumi inju-
stum, *ex l. un. C. de gladiat. & c. 1. de purg. cano.*

Atq; ut ab omni armorum metu libera sit Resp. neq; exteri
† Principes sine licentia Cæsaris copias in Imperio conscribere 25
possunt. *in ordinat. Camer. part. 2. tit. 15. ibi:* Auß der Keyserli-
chen Majestet/ oder unserm zugeben/ und Erlaubniß. *& in Recess.*
August. de Anno 55. §. Wo sich aber. *Recess. Wormat. de Anno 64.*
§. Wiewol auch. *cum seqq.* Ubi consensus & licentia præfecti il-
lius circuli, in quo exercitus colligitur, requiritur. *Recess. Spirens.*
de Anno 70. §. Und was vor etlichen Jahren *cum seqq. Recess.*
Ratisbon. de Anno 76. §. Zum andern haben wir. *cum seqq. &*
§. Demnach setzen/ ordnen/ und wollen wir. *& seqq. cum aliis con-*
stitutionibus.

Formam tamen in prædictis Imperii Decretis expressam,
si observaverint Principes † Germaniæ, ex antiquissimo liberta- 26
tis Germanicæ prætenso jure, iis concessum esse tradunt, conscri-
bere milites in propriam & aliorum salutem, imprimis contra
hostem Imperii. *Waremundus de Erenb. lib. 1. meditat. pro fæde-*
rib. cap. 2. num. 56. Præsertim ob † subitum ac præsens pericu- 27
lum si sunt arma capienda: & ita accipit Recessus Imperii, re-
fertque *Ailam l. 1. de jure belli, cap. 2. num. 9.* pro Imperii Princi-
pibus concludentem, quòd injuriam sociis, hoc est, Imperii sub-
ditis, illatam, liceat repellere, & non repellentes, tam esse in
vitio, quàm qui inferunt, *c. ex inferenda. 23. qu. 3. Extr. qui sint*
rebelles.

Civitas † quoque superiorem non recognoscens, indicen- 28
di belli auctoritatem habet, ut rectè scribit *Bartol.* cujus con-
trarium statuit *Angel.* quod & jure & ratione caret. De civita-
te enim superiorem non agnoscente judicandum est, sicut de
Principe summo. *De consil. 352. num. 1. Jason. in l. Barbarius n. 17.*
cum seqq.

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS BELLI GERENDI.

1 A Conditionibus belli ad causas pervenimus, quae legitimum illud constituunt. Imperatoriam † enim aciem non in armis, sed justis causis constare, Valentiniano Theodosius dicere solebat, ut refert *Suidas*, & piè Sampaulinus Comes *apud Comina.* ita consuluit: Qui in bello vincere cupit, videat ut DEUM aequitate causae & belli à se suscepti à suis partibus habeat. Nam ut Poeta canit:

Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.

2 Causae † verò bellorum licet pro varietate casuum infinitae constitui possint, quarum sex recenset *Althus. c.7. fol. 71. & seq. edit. prior.* ad duo tamen capita omnes sine magno negotio revocari possunt, ut scilicet causa legitimi belli alia sit defensoria, alia vindicatoria.

3 *Causa belli defensoria.* Defensoria † causa est, cùm bellum suscipitur pro Reipublicae utilitate, pace & tranquillitate, pro defensione fidei, sui suorumque, nec non sociorum, vel etiam oppressorum, omnia bella, inquit *Christophorus Warsevicius in panegyr. ad Stephanum Regem Polonorum,* quae pro aris & focis, pro patria, pro tuendis finibus, pro conservandis libertatibus suscipiuntur & geruntur, justa sunt, & *Cic. in lib. de Repub.* nullum bellum ab optima civitate suscipi debet, nisi aut pro fide, aut subditorum salute.

4 Defensio sui † ipsius est juris naturalis. *Cic. pro Milon. & 1. offic. l. ut vim. 3. ff. de just. & jur. l. 45. §. qui cùm ad L. Aquil.* quae etiam omni generi animantium à natura tributa est. *l. 1. §. cùm arietes ff. si quadrup. pauper. feciss. dicat.* Unde *Propert. l. 2. eleg. ad Cynthicam canit:*

Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verùm etiam instanti laesa repugnat ovis.

5 Quare hoc † bellum pro defensione sui, legis & gregis, non solùm

ssum justum, sed etiam necessarium est. Hinc Mathatias cum suis maluit suscipere bellum, quàm amittere vitam, & abolere legem divinam. *1. Maccab. 2.* & Constantinus Imperator gravissimum bellum contra Maxentium & Licinium pro Christiana religione defendenda suscepit. *Euseb. Histor. Ecclesiast. 9.* Ita bellum, quod geritur contra infideles Turcas, perpetuos Christianæ fidei hostes, omnium maximè justum & licitum est. *Geil. lib. 1. de pac. public. c. 4. n. 94.*

Sociis † ut auxiliatrices manus feramus, ipsa societas, fides data & pacta à nobis requirunt. Unde *Aristot. in Rhetor.* bellum in eos suscipiendum affirmat, qui Rempublicam, aut ejus sive amicos, sive socios violare moliuntur, sic Abrahamus armavit vernaculos suos trecentos decem & octo, & alios nonnullos socios sibi adjunxit pro liberatione fratris sui Lothi. *Gen. 14.* 6

Oppressis † ut opitulemur, charitas Christiana & commune naturæ vinculum, quod homines ad mutuam sui defensionem, aliaque officia præstanda copulavit; seu, ut loquitur *Florentinus JC. in d. l. 3. ff. de just. & jur.* quod cognationem quandam inter homines constituit, efflagitat Hinc *Senec. de virtut.* si justus es, inquit, non solùm nocebis, sed & nocentes prohibebis. 7

Injustitiæ † enim, ut scribit *Cicer. 1. offic.* duo sunt genera: unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. *Rursus:* Qui non defendit nec obsistit, si potest injuriæ tàm est in vitio, quàm si parentes, aut patriam, aut socios deserat. Et *Ambros. lib. 1. de offic. c. 37.* Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit. Nec non *D. Augustinus in Psal. 81.* qui definit obviare, cùm potest, consentit. 8

Vindicatoria † causa est, cùm injuriæ, DEO & Reipubl. illatæ, vindicandæ, vel nostrarum rerum vi ab aliis detentarum & ablatarum, recuperatarum gratiâ, nec non ob justitiæ denegationem, alterius ditionem invadimus. *c. quod militare 23. qu. 1. Althus. in polit. c. 7. & 29. Bocer. l. 1. de bell. c. 6. n. 10.* Ubi refert *Didac. Covarr. Oldrad. Bart. Innocent. Nicol. Boër. Frid. Schenck.* *Vindicatoria.*

ſcribentes, quod Imperator † poſſit Saracenis, Turcis, & aliis infidelibus bellum indicere pro recuperatione terræ ſanctæ, & provinciarum amiſſarum.

10 Circa hoc tamen extat graviſſimum † judicium Caroli IV. Imp. *apud Dubravium lib. 22. & Theodorum Zwingerum in theatro vitæ humanæ vol. 7. lib. 4.* quem cùm Rudolphus Saxoniæ Dux ad Hieroſolymam recipiendam hortabatur, maximè cùm peſtilentiæ vi orientem propè hominib. exhauſtum eſſe conſtaret: Occidentis verò vires illum unum concordibus animis ſecuturæ viderentur. Tunc Carolus: præclarum quidem inſtitutum hoc fore, ſed à multis ante ſe Principibus infeliciter tentatum, ab aliis feliciter quidem, cęterùm propter ſucceſſorum ignaviam magno ſudore parta, brevi ab impiis denuò recepta fuiſſe. Neq; ullam vel recuperandæ vel retinendæ terræ ſanctæ rationem fore, niſi priùs id agatur, ut Imperium Orientale à perfido Græculo poſſeſſum, Occidentali jungatur. Sed hæc obiter.

11 Propoſito accedit *Auguſtinus in cap. Dominus noſter 23. q. 2. dicens:* Juſta bella ſunt, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit id, quod à ſuis improbè factum eſt. Sic Dominus jubet ultionem expeti de Midianitis, quòd proſtitutione ſuarum puellarum Iſraëlitas in itinere circumveniſſent. *Num. 31.* & ob publicum ſtuprum à Gebaonitis concubinæ Levitæ illatum, adeoq; ſcelus in Iſraël perpetratum, reliquæ tribus Iſraël bellum moverunt contra Gaboa Benjamin, & totam ferè tribum Benjamin deleverunt. *Judic. c. 19. & 20.*

12 Circa † recuperationem noſtrarum rerum hic notandum, vetuſtas cauſas malè excitari. *Judic. c. 11. v. 28. Albertc. Gentil. lib. 1. de jure belli, c. 22. conf. Beſium de tract. famil. fol. 654.*

13 Inter cauſas denegatæ juſtitiæ, adeoq; belli gerendi, & hanc vulgò ponunt, ſi peregrinus populus tranſitum † innoxium per provinciam ſuam petentibus deneget. *Bart. in l. Chriſtianis n. 4. C. de pagan. Didac. Covarruv. in c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. relect. §. 9. num. 4. Althuſ. d. c. 7. fol. 72. Boccr. dict. cap. 6. num. 15.* Quam belli cauſam hiſtoria etiam ſacra narrat *Numer. c. 21. & ſeqq.*

seqq. Deut. cap. 2. vers. 22. & 23. Judic. cap. 11. vers. 19. & 20. quibus in locis filii Israel leguntur pugnâsse contra Sehon Regem Amorrhæorum, quòd transitum innoxium in terram sibi à Deo promissam, absque ulla causa probabili permittere noluissent. Justum fuisse illud bellum, tradit *D. Augustinus lib. quæst. 4. super. Numer. quæst. 44.* Sed tamen *Hermannus Kirchner. in tract. de legat. lib. 2. cap. 1. num. 7.* sententiam Augustini de transitu innoxio concedendo, de profectionibus ac itineribus legatorum potiùs, qui armorum periculum & terrorem nullum sagminibus suis circumferunt, quàm vel de amicorum etiam expeditionibus, concedere mavult: qui, ut maximè de damno & maleficio caveant, vix tamen & ne vix quidem innoxium & metus vacuum transitum præstare possint.

Legatorum † violationem multoq; magis internecionem, 14 esse legitimam belli movendi causam, multis deducit *Polyb. libr. 1. & 2.* sunt etiam illi sancti, omniqùe jure tàm divino, quàm humano securi & inviolabiles, quod *libr. 2.* manifestum fecimus. Hinc Romani Corinthum urbem opulentissimam deleverunt, quod legatos suos parum honorificè tractâssent. Sed & grave bellum ob legatos interemptos contra Fidenatos susceperunt, *Liv. l. 4.* Crotoniatæ contra Sibaritas, *Athenæ. lib. 12. cap. 6.* Herodes contra Arabes, *Egesipp. l. 1. c. 32.* David propter violationem suorum legatorum contra Ammonitas, *2. Sam. 10. 1. Paralip. 19.* Tigurini ob nuncium interceptum, Galliæ bellum intulerunt. *Guicciardin. lib. 10.*

Cæterùm vindictam † injuriæ Alexand. M. justam prætexit 15 bellandi causam contra Persas, quòd gravissimas ab illis Græciæ illatas injurias ulcisci vellet, ita concludens: Repello igitur bellum, non infero *Curt. l. 4.*

Ob privatam † tamen injuriam, aut damnum Principi 16 vel alii illatum; nón esse universæ cuidam genti aut provinciæ bellum inferendum, *ex Recess. Deputationis Wormatiensis de Anno 1564. §. Dann erstlich / so begebe sich /* &c. inculcat. *Bocer. d. cap. 6. num. 11. Conf. Obrechtum de constit. bell. thes. 302. & seqq.*

De-

17 Denique invasio † quædam legitima hic videtur *Lipsio. lib. 5. polit. c. 4.* etiam sine injuria, ut in Barbaros, & moribus aut religione prorsus à nobis abhorrentes: quò ad humanitatem, civilitatem & pietatem deducantur: maximè si potentes ii, & aliena ipsi invaserunt, aut invadunt. Causa enim, inquit, hic est coërctio, & in malo repressio. Quò trahit illud *Augustin. Ep. 5.* Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur, & quod habet *l. 1. de verb. Domin in.* Apud veros DEI cultores, etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur. Et *Gregorius lib. 1. Epist. 73.* mirè laudat bella, quæ Gennadius gesserat adversus infideles, dilatandæ Reipub. causâ. *c. si non ex fidei 23. q. 4.*

18 Solam † populi alicujus, nobis non subjecti, infidelitatem, hoc est, contemptum & abnegationem fidei Christianæ, justam belligerandi causam esse, Jureconsulti quoque non infimæ classis sensêre & scripsêre. *Hostiens. Panormitan. Alvar. Pelag. Oldrad.* & alii, quos refert *Didac. Covarr. in d. c. peccatum. de reg. jur. in 6. 2. part. relect. §. 9. n. 2.*

19 Quibus † resistunt *Philip. Dec. in c. quæ in Ecclesiarum n. 110. extr. de consuet. & in c. consuluit. 29. n. 10. & 11. ff. de appellat. Raynold. Cors. in addit. ad Oldrad. consil. 72. & consil. 246. Covarruv. n. 2. Waremundus de Ereuberg. lib. 1. meditat. pro fœder. c. 2. nu. 16.* ubi præter alios errasse adstruit Aristotelem & Antonium Vaccam; affirmantes ratione propagandæ religionis licere contra Ethnicos & Paganos assumere arma. Concessum verò Regi contra Regem, ratione religionis bellum inferentem, vel etiam subditis non omnimodò subditis, pugnare, ejusque injustam vim repellere. Et huic sententiæ tanquam veriori calculum suum apponunt *Georg. Obrecht. disp. 1. de bell. thes. 234. & seqq. Henric. Bocer. lib. 1. de bell. cap. 6. n 18. per l. Christianis 6. C. de paganis. c. dispar. 23. quæst. 8. c. Judæi. Extr. de Judæis. c. qui sincera. 45. distinct.* quibus locis dicitur, quod infideles, hoc est Judæi ac Pagani, qui Christiani non sunt, nec in personis, nec in rebus, quamdiu quietè vivunt, à Christianis molestari aut offendi debeant. Quod si ergò non vivant quietè & pacatè infideles, sed

sed Christianos offendant, eosque persequantur, bellum ipsis inferri potest.

Quare infidelitas sola† Turcas & Saracenos rerum dominio non privat: quia fides† non tollit jus naturale aut humanum, ex quo rerum dominia sunt profecta, ut ait *Thom. de Aquin.* & quia S. Scriptura etiam infideles aliquot Reges appellat, ut Sennacherib. Pharaonem, Nabuchodonosorem: cui *Daniel* ait: Tu Rex Regum es, & DEUS cœli regnum & fortitudinem, & imperium & gloriam dedit tibi, *Dan. 2. v. 37.* Et Josephus totam terram Ægypti Pharaoni infideli tributariam fecit. *Gen. 47.* 20 21

Pro ratione etiam nostræ sententiæ cape: quia ut fides non † hominis, sed tantùm DEI donum est: ita quoque non humanis armis, sed tantùm DEI gratiâ propagari potest. 22

Adhæc, nunquam gens † Judaica aliarum gentium terras invasit, iisque bellum intulit ob idololatriam & idolomaniam; nisi ex speciali DEI mandato, vel quia injuriam fecerant. *Obrecht. thes. 245. & seq.* etiamsi aliàs peccassent contra naturæ leges, vel constitutiones Mosaicas. *Antimachiavellus lib. 3. theorem. 3.* 23

Ergò nec infidelibus hodiè † justè bellum inferri ex eo, quòd plura committant crimina adversus legem naturæ: ut quòd comedant carnes humanas, indifferenter concubitu utantur cum matre, sororibus & masculis, contra nonnullos scribit *Covarr. num. 4.* & sequitur *Waremundus de Erenberg. in dict. tract. de fœderib. l. 2. c. 1. n. 63. & 77.* Ubi contra Turcam non esse gerendum bellum asseverat propter solam infidelitatem & impietatem, sed ob recuperationē ablatorum *n. 83. & n. 79.* errare dicit *Panormitanum in c. quod. n. 14. de voto. & vot. redim.* & hunc nimis fidenter, ac non justâ lance secutum *Lancellotum de offic. prætoris, in tit. de Sodomia, pag. 644.* qui volunt, Imperatorem propter Sodomiæ crimen infidelibus bellum inferre posse, & eos privare bonis. 24

Alias autem causas, præter dictas, spernit *Lips. quæ à Gregorio Schönbornero l. 6 polit. c. 3.* dicuntur † manifestæ; quæ in oculos considerationemque hominum incurrunt, & plerumque justiori nituntur titulo. 25

26 Occultæ † verò vocantur, quæ latent in intimis animorum recessibus, nec sese exserunt, nisi quibusdam signis, de quibus *c.4.* differit. Sunt illæ ipsæ: Ambitio & gloria, libido dominandi, seu cupido Imperii & divitiarum, odium privatum, nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacata atq; implacabilis mens, feritas rebellandi, vel etiam stultitia, luxus & nimia felicitas, de
27 quibus *in caus. 23. q. 1. c. quid culpatur. 4.* Bellum è † stultitia & malitia natum, fuit Trojanum illud, quod nihil aliud, quàm sicut eleganter scripsit *Horat. l. 1. Epist.*

Stultorum Regum, & populorum continet æstus.

Unde mox subjicit:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi:
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & irâ,
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

28 Summatim ergò concludimus, quòd bella bono † fine & intentione debeant geri: valdeque probamus *Lipsium d.l.* asserentem,
29 quòd bellum hæc † tria debeat habere justa: *Auctorem, Causam, Finem.*

CAPUT QVARTUM.

AN DITIONES BELLO ampliandæ?

LEgitimas belli gerendi causas calamo nostro modò perstrin-
1 ximus, simulque illegitimas, quas inter libidinem † dominandi seu amplificandi imperii esse diximus, retulimus & rejecimus.

2 Scribere tamen nonnulli sunt ausi, Principem † Christianum rectè posse ejus rei causâ arma movere, & illud imperium esse legitimum, ac fundamentum regiminis habere, quod ejusmodi invasione, ac bello acquiratur.

Vexillifer hujus agminis est *Nicol. Machiavell. de princ. cap. 3.*
3 dicens: Cùm natura † regnandi cupiditate nunquam satiatur, nul-

nulli vitio, sed potiùs laudi dandum est, quovis modo, sive per pellem leoninam, sive vulpinam ditiones amplificare. In eo saltem dicit vitium esse, si quis ea affectat, quæ consequi suis viribus non possit. In cujus castris militat *Hippolyt. à Collib. in princ. c.34.* qui se duo media propagandi reperire scribit: nostra augendo, & aliena attrahendo.

Quin olim † Lacedæmonii, Cretenses, Scythæ, Persæ, Thraces, aliæque nationes ad bellum suos cives ideò instruxerunt, ut finitimos invaderent, suaque confinia aliarum gentium damnis spoliisq; augerent & onerarent. *Boter. lib.1. de politia illustr. cap.6.* 4

Verùm hujus sententiæ † patroni & assertores utilitatem ab honestate neutiquam separare debebant, sed audienda ipsis erat gravis illa vox Papiniani *in l.15. ff. de condit. instit.* & *Proculi in l. 125. de verb. signif.* posse † id demum quemque dicimus, quod jure, quod honestate & dignitate salvâ potest. 5 6

Et hoc ipsum est, quod docent sapientes: utilitatem † ab honestate sejungi non debere. 7

Audiant vocem † ipsius DEI, per os Habacuc Prophetæ *c. 2.* adversus eos, qui aliorum bona detinent, ita dicentis: Veh qui multiplicant non sua, veh qui spoliant gentes multas, veh qui congregant avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, veh qui ædificant civitatem in sanguinibus, & præparant urbem in iniquitate: venient enim dies, quib. afflictionem sustinebunt, & manus Domini super eos erit, nisi ad dominum convertantur, & aliena restituant. 8

Cognoscant ex Doctore Ethnico *Aristotele lib.7. polit. cap.2.* in † amplificandis imperiis, & necandis finitimis, beatitudinem civitatis nequaquam consistere. Unde rectè *Joan. Casus in hunc locum*: Quævis civitas in se satis beata esse debet: ergò sine justa causa alienum non invadet imperium. Nam eo animo invadere, ut solùm auctior fiat dominatio, est publicum quasi latrocinium & homicidium profiteri: non est ergò justum, non est legitimum, vi & armis susceptum imperium. Addit argumentum ab eventis: Periculosum est, magnam multitudinem ad furorem 9

& invidiam irritare: quod sanè faciunt illi. Nam etsi homines forsan subactos suo jure teneant, angues tamen dentatos & caudatos in sinu se tenere putent: verùm si non vincant, sed superati sunt, quod fieri quidem potest, actum est de illis ilicò, & suis ipsorum gladiis transfossi & jugulati pereunt. Considerare hi meritò deberent: Nihil violentum posse esse diuturnum, & si non adsit justitia custos acquisitorum, ea fluxa & momentanea esse, & sicuti flosculos præcoces evanescere *Cam. cent. 2. hor. succ. c. 50.*

Audin' ergò sine justa † causa bellum non tàm bellum, quàm
10 latrocinium appellandum? unde *Lucanus & Seneca l. 1. de benefic.*
Alexandrum Magn. orbis † terrarum prædonem vocant. Idque
11 probrum ei objecit Demetrius pirata, cùm diceret: se nihil præter piraticam didicisse, nec aliud quicquam de paterna hereditate crevisse, præter duos myoparones. Alexandrum verò, qui piraticam in Demetrio improbaret, cum exercitu potentissimo terrâ marique impunè latrocinari, tametsi à patre regnum Macedoniæ florentissimum accepisset. Quæ certè oratio Alexandrum non ad ultionem acceptæ contumeliæ, sed ad commiserationem adeò permovit, ut Demetrium legioni præficeret. *Bodin. l. 1. de Repub. c. 1. n. 2.* Sed & Augustus Cæsar, cùm Alexandri Magni res in Oriente gestas legeret, admiratus fuit, Alexandrum non magis cogitasse, quâ ratione parta regna conservaret & administraret, quàm quâ viâ partis alia adjiceret. *Sueton. & Dio in vit. August. Ludovic. Vives de concord. & discord. lib. 4.* Difficilius † sanè est tue-
12 ri parta, quàm quærere, vel ut Poëta canit:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Et Claudian:

—— Plus est servasse repertum,
Quàm quæsisse novum.

13 Pulchrum † est regnum sibi justitiâ comparasse: pulchrum est etiam justitiam regno prætulisse, ut ait *Plutarch. in vita Nu-*
14 *mæ Pompilii.* Et hoc est, quod olim consultus respondit † Agesilaus: Reipublicæ benè constitutæ fines non gladiis, sed justitiâ terminantur, ut refert *Plut. in ejus vit.*

15 Rectè ergò Hannibal † rogatus ad Scipionem dixit: Opti-

mum

mum fuerat, eam patribus nostris mentem datam à Diis esse, ut vos Italiæ, nos Africæ imperio contenti essemus. *Patrit. lib. 9. de instit. Reipub. c. 1.*

Itemque Pompeius † Magnus, qui Phraati Parthorum Regi per legatos postulanti, ut Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet: imò respondit: illud magis postulandum est, ut Romanorum fines à Parthorum regno justitia discernat. 16

Imò nihil † angustum, quod sorte suâ contentum est. Et potentia † tuta est, quæ viribus imponit modum, *Valer. Max. lib. 4. c. 1.* Nimia † magnitudo suis ipsa viribus fatiscit: quarundam etiam Rerumpub. conditio non fert, ut ea extendatur. *vid. Amirat. 1. discurs. 6.* 17 18 19

Quin sæpiùs Principes inhiantes † alienis, amittunt propria. *Cromer. lib. 6. hist. Polon.* Et Saxo *Grammat. lib. 5. hist. Danic.* sæpè amborum captator, utriusque perditor fuit. Prævalidum enim oportet alitem esse, qui prædam aliis unguibus extrahere cupiat. Refertur de Principe quodam Tartarorum, quòd captum Moscum non necessarium bellum moventem interfecerit, & ex calvaria ipsius poculum inauratum fieri curaverit, cui hæc verba inscripserit: *Hic appetendo aliena amisit propria.* Post obitum Constantini Magni Imperii corpus divisum fuit inter filios ejus: & Constantinus occidentalium partium: Constantius Orientalium: Constans interjectarum Princeps constitutus. *Euse. lib. 4. in vita Constant. Nicephor. lib. 8. c. 58. Zosimus libr. 2.* Constantius divisione non contentâ, bellum intulit fratri Constanti, ut eum de imperio dejiceret: jamque pervenerat Aquileïam: ibi congressus cum copiis Constantis, amisso exercitu, confoditur. *Eutrop. lib. 10. Aurel. Victor. Oros. lib. 7. c. 29. Socrat. lib. 2. c. 5. Zosim. d. l. Pompon. Lætus. Sleidan. lib. 2. de quat. Monarch. fol. 211.* & sic pœnas suæ ambitionis dedit, cùm annos vix tres imperasset. *Matth. Dress. in millenario quinto Isag. Histor. fol. 320.* Cùm ergò injustum sit imperiũ, si barbaræ nationes invadantur studio avaritiæ, libidine dominandi & amplificandi ditiones, ex eo de Imper. Hispanico in † Indos judicium facit. *Keck. l. 1. system polit. cap. 4. fol. 124.* quòd vix legitima sit ista barbarorum invasio, cùm 20 21

pro scopo fuerit proposita à plerisque eò missis præfectis & legatis inexplebilis avaritia, & non emendatio aut conversio, sed eversio & vastatio istorum amplissimorum regnorum, idq; non tam suo sensu dicit, quàm testimonio hominis Hispani, *Barthol. Casai Episcopi*, qui in narratione sua de regionum Indicarum per Hispanos devastatione sub finem lib. hæc verba habet. *Rubore suffundi deberemus, quod omni timore Dei remoto, tam execrandis facinoribus colorem addere, & ea excusare tentemus: cùm præcipuè cernamus nos* (Hispanos nempè) *quadraginta octo annorum spatio regiones majoris longitudinis, quàm sit tota Europa, & pars Asiæ, ob hanc causam, ut divitias consequeremur, destruxisse, eas terras deprædantes, & omni crudelitate, injustitiâ & tyrannide occupantes & usurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum milliones periisse certò scimus.* Hæc ille. Nos *cum Antonio Guevara in Horolog. Princ. l.1.c.16.* con-
22 cludimus, satius† esse Principem ditiones suas per justitiam defendere, quàm alienas per vim occupare.

CAPUT QVINTUM.

DE APPARATU BELLICO, militibus & horum conscriptione, delectu, lustratione, auctoratione, præstatione juramenti: deque consiliis militaribus.

1 Bellica † prudentia cernitur ante bellum, in bello, & post
2 bellum. Ante † bellum in necessariis ad illud gerendum. Nam si semel hostis præveneri t occupatos, metu universa turbantur: & quæ ex aliis locis petenda sunt, interclusis itineribus
3 denegantur. *Veget. lib. 3. c. 3.* Duo † verò *juxta Dion. lib. 42.* Principi ad belli molem sustinendam sunt necessaria: Milites & pecunia.

Requisita belli.

Digitized by Google

cunia. Illudque est, quod Julius Cæsar dixit, potentiam duab. rebus comparari, conservari, aut augeri, pecuniâ scilicet, & militibus, eaq; se mutuò consequi. *Secund. Just. Lips. l.5. polit. cap. 6.*
tria † requiruntur: Apparatus, milites & consilia. Caroli V. apoph- 4
thegma fuit: Nervos † belli esse pecuniam, commeatum, & mi- 5
lites: verùm si ex iis aliquo carendum esset, militem veteranum se electurum esse, cujus industriâ & fortitudine reliqua duo se comparaturum confideret. *Chytræus in Chron. Saxon. Münster. lib.3. Cosmograph. in ejus vit.*

Apparatus † in scholis Politicorum pecuniam, commea- 6
tum, & arma complectitur.

Pecunia † tàm necessaria est, ut nervus belli rectè dicatur, & 7
spiritus vitalis. Quemadmodum igitur homines † sine ner- *Pecunia.*
vis ambulare nequeunt. *Petron. in Satyr.* ita nec bellum usquam 8
sine re monetaria progredi potest. *Lips.* & maximus in Republica nodus, adque res præclaras gerendas impedimentum, inopia rei pecuniariæ, ut ait *Cicer. Ep.18. ad M. Brutum.* Nec † fidelem 9
obsequentem & strenuum militem habebit, cui deest pecunia. Miles enim in officio contineri non potest, qui necessaria non subministrat: quin potiùs à Ducibus animorum fit alienatio, contumacia oritur, magnaque clades ipsis Ducibus & Reipublicæ infertur. *Thucyd. l.5. de bell. Peloponnes.* Unde *Augustinus tr. 19. de verb. Domin.* & transsumptivè *in c. militare, 23. q.1.* militantibus stipendia constituta esse dicit, ne, dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Atque ita tuendæ rei militaris latrociniorumque coërcendorum unica ratio est, si milites sua certa stipendia habeant *Hippol. d. c. 12.* Taceo jam, quantas in exercitu seditiones sæpè denegata, aut delata stipendia excitarint. Ut itaque lucernâ qui opus habent, oleum eidem infundunt: ita stipendiis opimis, præmiis amplissimis, ingenia erecta, excelsa, heroica, ad res magnas in bello gerendas excitantur. *Boc. de bell. l.1. c.15. n.6.*

Cùm itaque rerum præclarè gerendarum fundamentum deficiat, ubi ærarium publicum omninò desit, vel sit tenue ac invalidum: Princeps in id eniti debet, ut duplex † sit ærarium: ordi- 10
narium & extraordinarium.

Or-

Digitized by Google

pro scopo fuerit proposita à plerisque eò missis præfectis & legatis inexplebilis avaritia, & non emendatio aut conversio, sed eversio & vastatio istorum amplissimorum regnorum, idq; non tam suo sensu dicit, quàm testimonio hominis Hispani, *Barthol. Casai Episcopi*, qui in narratione sua de regionum Indicarum per Hispanos devastatione sub finem lib. hæc verba habet. *Rubore suffundi deberemus, quod omni timore Dei remoto, tam execrandis facinoribus colorem addere, & ea excusare tentemus: cùm præcipuè cernamus nos* (Hispanos nempè) *quadraginta octo annorum spatio regiones majoris longitudinis, quàm sit tota Europa, & pars Asiæ, ob hanc causam, ut divitias consequeremur, destruxisse, eas terras deprædantes, & omni crudelitate, injustitiâ & tyrannide occupantes & usurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum milliones periisse certò scimus.* Hæc ille. Nos *cum Antonio Guevara in Horolog. Princ. l.1.c.16.* con-
22 cludimus, satius† esse Principem ditiones suas per justitiam defendere, quàm alienas per vim occupare.

CAPUT QVINTUM.

DE APPARATU BELLICO, militibus & horum conscriptione, delectu, lustratione, auctoratione, præstatione juramenti: deque consiliis militaribus.

1 BEllica † prudentia cernitur ante bellum, in bello, & post
2 bellum. Ante † bellum in necessariis ad illud gerendum. Nam si semel hostis præveneris occupatos, metu universa turbantur: & quæ ex aliis locis petenda sunt, interclusis itineribus
3 denegantur. *Veget. lib. 3. c. 3.* Duo † verò *juxta Dion. lib. 42.* Prin-
Requisita belli. cipi ad belli molem sustinendam sunt necessaria: Milites & pecunia.

Digitized by Google

cunia. Illudque est, quod Julius Cæsar dixit, potentiam duab. rebus comparari, conservari, aut augeri, pecuniâ scilicet, & militibus, eaq; se mutuò consequi. *Secund. Just. Lips. l. 5. polit. cap. 6.* tria† requiruntur: Apparatus, milites & consilia. Caroli V. apophthegma fuit: Nervos † belli esse pecuniam, commeatum, & milites: verùm si ex iis aliquo carendum esset, militem veteranum se electurum esse, cujus industriâ & fortitudine reliqua duo se comparaturum confideret. *Chytræus in Chron. Saxon. Münster. lib. 3. Cosmograph. in ejus vit.* 4 5

Apparatus † in scholis Politicorum pecuniam, commeatum, & arma complectitur. 6

Pecunia † tàm necessaria est, ut nervus belli rectè dicatur, & spiritus vitalis. Quemadmodum igitur homines † sine nervis ambulare nequeunt. *Petron. in Satyr.* ita nec bellum usquam sine re monetaria progredi potest. *Lips.* & maximus in Republica nodus, adque res præclaras gerendas impedimentum, inopia rei pecuniariæ, ut ait *Cicer. Ep. 18. ad M. Brutum.* Nec † fidelem obsequentem & strenuum militem habebit, cui deest pecunia. Miles enim in officio contineri non potest, qui necessaria non subministrat: quin potiùs à Ducibus animorum fit alienatio, contumacia oritur, magnaque clades ipsis Ducibus & Reipublicæ infertur. *Thucyd. l. 5. de bell. Peloponnes.* Unde *Augustinus tr. 19. de verb. Domin.* & transsumptivè *in c. militare, 23. q. 1.* militantibus stipendia constituta esse dicit, ne, dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Atque ita tuendæ rei militaris latrociniorumque coercendorum unica ratio est, si milites sua certa stipendia habeant *Hippol. d. c. 12.* Taceo jam, quantas in exercitu seditiones sæpè denegata, aut delata stipendia excitarint. Ut itaque lucernâ qui opus habent, oleum eidem infundunt: ita stipendiis opimis, præmiis amplissimis, ingenia erecta, excelsa, heroica, ad res magnas in bello gerendas excitantur. *Boc. de bell. l. 1. c. 15. n. 6.* 7 *Pecunia.* 8 9

Cùm itaque rerum præclarè gerendarum fundamentum deficiat, ubi ærarium publicum omninò desit, vel sit tenue ac invalidum: Princeps in id eniti debet, ut duplex † sit ærarium: ordinarium & extraordinarium. 10

Or-

Digitized by Google

11 Ordinarium † destinatum esse debet ordinariis publicis sumptibus.

12 Extraordinarium † ad extraordinarias clades ac calamitates sublevandas seorsim sanctéque reservari debet. *Obrecht disp. 1. de bell. th. 495. & seqq.* Idem monet *Hippolyt. d. c. 12. fol. 64.* ne, dum pecunia quæritur, & hinc inde colligitur, belli occasiones negligantur, & hostium celeritas nocere possit. Ita Utopien-
13 ses † ad bellum gerendum thesaurum inæstimabilem servant, uti in extremis periculis, aut in subditis præsidio sit. Potissimùm quo milites externos (quos libentiùs quàm suos cives objiciunt discrimini) immodico stipendio conducant, gnari multitudine pecuniæ hostes ipsos plerumque mercabiles, & vel proditione, vel infestis etiam signis inter se committi, ut scribit *Thomas Morus in Utopia lib. 2. tit. de peregrinatione Utopiensium.* Refert
14 *Thucyd.* Athenienses † mille talenta in casus extraordinarios seposuisse.

15 Quod veterum † institutum, si hodiè revocaretur, alendis contra Turcam expeditionibus paratius ærarium, minusque onerum in contributionibus esse posset. *Sturm. de administr. bell. Turc.*

16 Discrepat institutum † Lycurgi, qui suos ærarium habere noluit: quin argenti & auri usum omninò ademerat, ac numismata ferrea signari jusserat, ne peregrinos imperii Lacedæmoniorum, & Lacedæmonios imperii peregrinorum ulla cupiditas invaderet: ita futurum existimabat, ut sui cives non modò ab injuriis, sed etiam à vitiis peregrinorum liberi essent. Verùm Lacones tandem bello implicati & nervo belli destituti, pecuniã mutuo accipere cogebantur, inque extrema discrimina pervenerunt. *Aristot. lib. 2. polit. c. 7. Bod. l. 6. de Repub. c. 2. n. 638.*

17 E modernis contra omnes etiam dissentit † *Machiav. lib 2. disc. de Rep. c. 10.* & negare audet id, quod non tantùm tot sapientum dictis est frequentatum, sed ab ipsa magistra suprema experientia locupletissimè comprobatum.

18 Summa disputationis hæc est. Non † in pecunia, sed militum Ducumque virtute belli nervum consistere. Illa ubi adsit,

auri

auri parandi causam deesse non posse: Ubi absit, pecuniam nihil esse aliud, quàm hostium irritamentum, domini proditorem: Ferro bella geri non auro: Aurum ferro eripi: Neque pecuniâ milites parari: sed militibus pecuniam. Si thesauri bella conficerent, potuisse à Dario Alexandrum: à Græcis Romanos: suaque memoriâ Helvetios à Carolo Burgundico superari. Titum Livium censuisse, si Alexandro Magno cum Romanis bellum fuisset, non auri argentique copiâ certamen illud dirimi potuisse, sed militum virtute: ingenio Imperatorum: vi fortunæ, per omnia humana, & maximè in res bellicas potentis. Quin Henricum IV. Galliæ Regem sine pecunia bellum gessisse, alii referunt.

Verùm quando contra communem vulgi opinionem se pronunciare scribit *Machiavel.* pecuniam non esse nervum belli, sed strenuorum militum virtutem, committit fallaciam oppositorum. Nam virtus † militum & pecunia non sunt opposita, sed 19
subordinata.

Quare distinguimus inter † causam belli victoriæque prin- 20
cipalem, quæ sanè est virtus, & instrumentum, quæ præcipuè est pecunia: ita ut nervus belli ea dici possit quoad causam instrumentalem, in cujus ordine præcipuas partes sibi vendicat. Quod ipsum largitur nobis homo, quando concludit: requiri quidem ad bellum pecunias, sed non ut primum instrumentum. Quod nemo, quantum ego scio, dicendum sibi putavit. Et sic cum larvis luctatur.

Quod secundo loco asserit: pecuniam ex hostico esse parandam. Verùm quidem illud: stultitia † verò foret, si inops qui 21
esset, militem spe futuri conduceret. *Keckerman. in curs. Philosoph. fol. 792.*

Ad Alexandri & Romanorum rationem quod attinet, alia
† illa est, nepote quorum milites aliquandiu sine stipendiis mi- 22
litarunt. *supplement. Curt. Dionys. l. 4. & Liv. lib. 4.* auctor est, apud Romanos, antequam Galli occuparent urbem, privato sumptu se aluisse milites. Ac ne sic quidem pecuniis carere potuerunt. Nam temporibus Augusti, ut perpetuò ac sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosque suppeterent, ærarium

E mili-

Digitized by Google

militare institutum est. *Sueton. in vit. August. c. 49.* Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam, deprecante populo edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti. *Tiber. 1. annal.* Et quanta Romanorum erat anxietas bello secundo Punico, exhausto ærario, quantum periculum, nisi privatorum liberalitas publicam egestatem sublevasset?

23 Sine † commeatu miles intractabilis. Vix enim disciplinam

Commeatus

militarem servare jejunus exercit^9 potest: sed potiùs inobediens, & seditionem movere solet. *Hippolyt. fol. 66.* Alexander Severus militem bene vestitum, caligatumque ac saturum ajebat, si quid præterea nummorum in baltheo secum gestaret, semper dicto audientem fore dixit: quia inopiæ plerumquè desperatio conjuncta esset. *Fulgos. lib. 2. de dict. & fact. memorabil. c. 2.* exercitus pecunia potius, quam pugnâ consumeretur.

24 Qui enim frumentum † necessariumque commeatum non præparat, sine ferro vincitur. *Veget. lib. 3. c. 26.* omniumque difficilimum est, cum natura & hoste simul certare. Unde *Xenophon. lib. 1. Cyroped.* ejus Ducis imperium brevi periturum esse dicit, cujus culpâ, exercitus caret rebus necessariis & commeatu.

25 At qui rem † ita instituit, ut sibi victus sufficiat, & hostes inopiâ frangat, jam quasi victor existit. *Obrecht th. 534.* qui *in seqq.*

26 colligendam † reponendam monet annonam, tum ad homines, tùm ad jumenta, seu equos pertinentem, in duplicem usum. 1. in militum, ne dum in agmine & castris sunt, egeant. 2. in præsidiorum ut scilicet adversus moras obsidionis annuis copiis firmentur, & quidem amplior modus, quàm sufficit, aggregandus, quia necessitas geminatur: & sæpè bellum longiùs protrahitur, ac initio quis existimavit. Ita Romani commeatum sæpè totius anni habebant repositum in usum belli, nempe acetum, frumentum, laridum, paleas ad usum equorum. *Tholozan. lib. 11. de Repub. c. 3. Lips. lib. 5. polit. c. 6.* De exercitu Persarum scribit Xenophon: ante omnia commeatus parabatur, comparatis undique iis omnibus, quæ rei militaris apparatus exigebant, & rei frumentariæ & pecuariæ. Et filii Israël. *Judic. cap. 20. v. 10.* ita inquiunt: Decem viri eligantur è centum, ex omnibus tri-

bubus

bubus Israël, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, & possim⁹ pugnare contra Gabaa Benjamin. *1. Reg. 20. v. 27.* recensiti sunt, & acceptis cibariis, profecti contra Syros. Nec non Roboam Rex Judæ cùm clausisset civitates muris, posuit in eis Principes, ciborumque horrea, hoc est, olei & vini. *2. Paralip. c. 11. v. 11. & Judith. c. 4. v. 4.* Israëlitæ congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ contra Holofernem. Facit huc *tit. de erogat. militar. annon. in Cod.* Sed etiam quicquid in pecore, vel quacunque fruge vinoque hostis ad suum victum occupare posset, maturè ad loca tuta est transferendum. *Obrecht. th. 537.*

Arma † esse necessaria, tàm est in proclivi, quàm pluvia, cùm est imber. 27 *Arma.*

Consultum † igitur, ut armamentarium habeat Princeps, in quo omnis generis arma & tela, cassides, thoraces seu loricæ, clypei, gladii, hastæ &c. reserventur. Addo naves & instrumentum omne bellicum, si regio ejus maritima ac portuosa. Talia arma semper parata & expedita habebit Princeps, ut si quæ, vel repentina necessitas, vel improvisa vis hostium ingruat, Rempub. & Regnum suum à ruina & exitio defendere possit. *Althus. in polit. c. 28.* Nam subitò ista ægrè parantur, & semel parata non solùm in bellum valent, sed ne sit bellum. *Lips. 5. polit. 6. in fin.* Sic Roboam in singulis urbibus munitis fecit armamentaria scutorum & hastarum. *2. Paralip. 11. v. 12.* 28

Arma verò sunt vel † majora, seu vectilia, ut tormenta, quorum octo recenset genera: *Fronsperg. part. 1. l. 4. fol. 59. col. 1. de re milit. & part. 2. lib. 1. fol 2. cum multis seqq.* & nomina ab Italis originem trahunt. Priora quatuor vocat machinas murales & fulminales grandiores, Maurbrecherin. Primum genus vocatur ein Masicana / German. ein Scharffmetzen. 2. ein Rana / German. ein Basiliscus. 3. ein Duplicaua / German: ein Nachtigal oder ein Singerin. Inter quæ hanc tantùm differentiam esse dicit, quòd illud duorum fortassè pedum longitudine hoc excedat. 4. ein Quartam / quod genus germanico idiomate vocari potest ein Viertheil Büchs. Posteriora quatuor genera 29

vocat Feldgeschütz/ quorum primum & præcipuum est, ein Trachana/ Germ. ein Nortschlangen/ quod tormentum, præter modò dictas machinas, etiam mur.s, præsertim tenuioribus, diruendis adhibetur 2. ein Schlauchana/ Germ. ein Schlangen. 3 Falchana/ oder ein halbe Schlange. 4. Falcha/ Germ. Falckanet. His *part. 2. l. 1. fol 6. & 7.* addit alia genera, Scharfftetinie/ Groß-Mortier/ Morsser oder Böller/ Halb Mortier oder Böller/ ein viertheil oder kleiner Mortier/ gar klein Böller/ Fewerbüchsen oder kurtze Stück/ Orgel oder Hagelgeschütz. Alii alia referunt, Petarden &c. vid. si placet, *Veget. l 4. de re milit. cap. 13. usque ad 18. Dillich. part. 2. de re milit. Speckle libr. 3: Architecturæ cap. 5. fol. 102. Lips in libris qu nque Poliorceticῶν, seu de machinis & tormentis.*

30 Arma † minora seu portalitia, quæ & ductilia vocantur, sunt bombardæ minores & sclopeta, quæ ipsa quoq; nominibus variant, ut sunt Hacken/ Doppelhacke/ Halbehacke/ Mußqueten/ Kurtze Rhor &c gladius, rhompæa, acinaces, hasta simplex sive bipennis, & oblonga, sagittæ &c. omnium armorum genera & requisita, quibus armamentarium debet nitere & abundare, plenius tradunt rei militaris scriptores modò citati. Hæc de apparatu, deveniamus ad duo reliqua requisita bellica, milites scilicet & consilia.

31 Milites † nonnulli definiunt, seu potius describunt homi-

Milites. nes à magistratu ad bellum tractandum electos & ordinatos.

32 Miles † autem, inquit *Ulpian. in l. 1. ff. de testament. milit.* appellatur vel à militia, (pro militia, *Bocer. l. 1. de bell.* mollitiem, κατ' ἀντίφρασιν, legendum existimat; atque ita etiam legit *Obrecht. d. ß. prior. de bell. th. 649.*) id est, duritia, quam pro nobis sustinent: aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites solent: aut à numero mille hominum, ut sit miles quasi millesimus quisque: Unde ipsum Ducem χιλίαρχον appellant. Hanc posteriorem notationem probat etiam *Laurent. Valla. lib. ii. eleg. c. 14.* Ubi militem dicit, quasi unum ex mille lectum.

33 Milites non sunt unius generis: alii † enim primarii & majores; alii gregarii & minores sunt.

Pri-

Primarii † sunt, qui honoratiores partes in bello habent, ut sunt Magistri & præpositi militum cæterorum. 34

Gregarii, † qui partes communes tenent, & communi Censu æstimantur. 35

Secundò, alii † sunt tyrones, alii veteres, alii veterani. 36

Tyrones, † sunt novitii milites, qui bello nunquam interfuerunt, & quibus tanquam inexpertis dulce bellum esse solet. 37

Veteres, † sunt exercitati, qui præliis aliquoties interfuerunt. 38

Veterani, † qui sæpissimè, & honorificam dimissionem meriti sunt: unde & emeriti dicuntur. *tot. tit. de privileg. veteran.* 39

Tertiò, dispescuntur in † ordinarios & subsidiarios, de quâ destinatione. *Lips. 5. polit. c. 11. per tot.* 40

Ordinarii in † omnem eventum belli sunt conducti, & toto quasi vitæ genere milites sunt, vocanturque alicubi Außschüß. *Besold. class. 2 diss. polit. 7. th. 8.* quibus accedunt Vasalli. *Tholoz. l. 11. de Repub. c. 3.* 41

Ordinarii itidem vel † sunt limitanei, vel stationarii. 42

Limitanei † dicuntur, qui in hostium finitimis locis, ad repentinas ipsorum incursiones intenti sunt, so auff den Gränghäusern liegen. 43

Stationarii, † seu præsidiarii milites sunt, qui ad provinciæ quietem aluntur: vel, qui in propugnaculis Principum, & Dominorum stipendia merent, so auff der Fürsten vnd anderer Herren Vestungen in der Besatzung liegen. 44

His annumerantur Prætoriani, † quos Princeps semper circa se habet paratos, ut si quid sibi, vel Regno ingruat, semper sint expediti. Vocantur satellites illius, perpetuò ipsum comitantes, & contra vim atque insidias defendentes. Tales apud Turcas sunt Janizari. 45

Subsidiarii † ordinariis tempore majoris necessitatis adduntur & succurrunt, iique tàm domestici, quàm externi sunt. 46

Quartò, milites vel † sunt pedites, vel equites. 47

Deniq; tàm pedites, quàm equites vel † gravis, vel levis sunt armaturæ. 48

49 Gravis † armaturæ milites vocantur, qui gravia arma gerunt, ut sunt inter equites cataphracti, Kürißer: inter pedites sclopetarii majores, vel etiam hastarii, qui oblongas hastas gerunt.

50 Levis † armaturæ milites sunt, qui levia arma ferunt.

51 Circa milites consideranda † veniunt 1 Horum conscriptio. 2. delectus 3. Lustratio, sive probatoria. 4. Receptio & auctoratio. 5. Præstatio juramenti.

52 *Conscriptio* Modus † conscribendi militem fit vel ex improviso, vel deliberatò.

53 Apud † Romanos quando tumultus, vel subitum ingruebat bellum, evocabantur milites per Ducem exercitus duobus vexillis, roseo & cæruleo ad Capitolium fixis: illo pedites, hoc equites. Et quidem his verbis Dux eos vocabat: *Qui vult salvam Rempublicam, me sequatur. Serv. lib. 7. & 8. Æneid.* Quod si vero res moram patiebatur, consules pro tribunali sedentes, vel sellis in foro positis, singulorum civium nomina citari jubebant, ita ut citati ad nomina responderent, & ad militiam, nisi justam excusationis causam haberent, cogerentur. *Liv. lib. 11.* Quod si verò aliqui ad delectum non respondissent, ut proditores libertatis in servitutem redigebantur. *l. 4. §. gravius. ff. de re milit.*

54 Hodie † pro locorum & temporum diversitate modi convocandi milites etiam variant. Ubi enim est repentina necessitas, tumultus, vel subitum bellum ingruit, nec res moram patitur, plerumque campanæ pulsu, vel fulminalis machinæ sonitu, vel tubâ, vel tympano, ad certum locum subditi armati vocantur. Quod si verò convocatio est deliberata, magistratus ad certum diem & locum subditos adesse jubet, & ex iis certum numerum reliquis dimissis, retinet.

55 Tertius † modus usu magis observatur, quando conquisitores emittuntur, qui publico signo dato, ad expeditionem milites alliciunt: allecti nomina sua profitentur, & partem stipendii capiunt. *Schönb. lib. 6. c. 12.*

56 *Delectus.* Non tamen † erunt milites sine ullo discrimine ex omni hominum fece, numeri duntaxat augendi gratiâ conscribendi.

Nam

Digitized by Google

Nam sine † discrimine facta militum conquisitio, multarum calamitatum sæpiùs causa extitit, & hinc vel ad solum hostium adventantium strepitum & clamorem castra deserta, & pugnæ infeliciter commissæ fuêre. *Reusner. in art. stratagemat. lib. 1. c. 24. quæst. 7.* 57

De † erronibus & tyronibus idem est judicium Ferdinandi Regis Hispaniæ & Arragoniæ. Is enim longâ experientiâ bellorum edoctus, dicere solitus fuit, ut est *apud Gomezium lib. 6. in 3. part. histor. Hispanic. de reb. gest. Ximenii.* Delectus, qui ex ignotis, & vagis hominibus habentur, pernitiem potiùs, quàm utilitatem in Rempubl. inducere. Nam obscuri illi & immodesti, atque impuri homines, pessimisque exemplis famosi, quocunque accedunt, ex rapto vivunt, vicos & agros miserè vastant, infimam plebem, & rusticos homines affligunt, milleque alia scelera patrant. Unde sapientissimus Rex sæpenumero expeditiones aliquas, non alia de causa, parandas esse ajebat, quàm ut furibus, sicariis, ganeonibus, & perditis hominibus, juventus Hispanica expurgaretur, quæ malorum consortio inutilis, & vitiosa paulatim reddebatur. Hoc quoque consilio olim in Atheniensium Republica Pericles Imp. usus est, qui singulis annis classem ornare solitus erat, ut ignavâ, turbulentâ, & seditiosâ plebe civitatem suam levaret, ac velut sentinam improborum è navi Reipub. exhauriret. 58

Exercitum itaque conscripturus, ad † has boni & fortis militis notas ac certa indicia respiciat: Patriam, ætatem, corpus, animum, vitam. *Lips. lib. 5. Polit. c. 12.* 59

Nam ad † patriam quod attinet, ea natum commendare vel reprobare solet. *l. 31. §. 21. ff. ad ædil. edict.* Et Doctor ille militaris, ut à *Lips.* vocatur *Flav. Vegetius l. 1. de re milit. c. 2.* Gens gentem in bello præcedit, plaga cœli non ad robur tantùm corporum, sed & animorum plurimum valet. 60 *Patria.*

Locorum † asperitatem hominum quoque ingenia indurare asserit. *Curt. libr. 7. de gest. Alex. Magn.* Sic Septentrionales populi inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bellum aptissimi. *Veget. l. 1. cap. 2.* ipso terræ suæ 61

so-

Digitized by Google

solo & cœlo acriùs animantur. *Tacit. de morib. German.* Quantò enim cœlum asperius, tantò & corpora, & ingenia duriora. *Justin lib. 2.*

61 Ætas † sit juvenilis ac vegeta, nec pueri, nec senes eligantur.

Ætas. Sic juventus olim simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat. *Salust. in Catilin.*

63 Pueros † autem in bello Servius Tullius Rex Roman. esse existimavit, qui minores essent annis septendecim. Atque inde ab omni 17. quos idoneos jam esse Reipub. arbitraretur, milites scripsit: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellavit, *referente A. Gellio libr. 10. Noct. Attic. c. 28.* Hinc *Seneca de brevit. vit. c. 7.*

64 A' † quinquagesimo anno lex militem non cogit, à sexagesimo senatorem non citat. Sic & *Lips. d. c. 12.* in delectu non tàm veteranos intuendos arbitratur, quàm qui possint aliquando esse boni veterani. Facilius enim est *auctore Vegetio l. 3. c. 10.* ad virtutem instituere novos milites, quàm revocare præteritos, nec annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio. *l. 1. c. 23.*

65 Spectanda est etiam habitudo † corporis, quod grande & prælongum probavit. C. Marius. *Veget. l. 1. c. 5.* Ut & Pyrrhus. *Frontin. 4. stratagem. c. 1.*

Habitudo corporis.

66 Verùm non tàm † staturæ, quàm virium rationem habere convenit: utiliusque est fortes milites esse, quàm grandes. Sic Cæsar, *teste Suetonio in ejus vit. c. 65.* militem neque a moribus, neque à fortuna probabat, sed tantùm à viribus. Ventriosus Gastrodes abesto. Tydeus, etsi staturâ parvâ, inter grandes esto. *Kirchner. in Repub. d. disp. 21. th. 3. ad lit. B.*

67 Placeat mihi illa † media militaris statura, inquit *Lips.* sic tamen ut ex vultu, ex oculis, ex omni confirmatione membrorum eos eligas. Nempe quibus sunt dura corpora, stricti artus, minax vultus, major animi vigor.

68 Tyro, † *secundùm Vegetium*, debet esse vigilantibus oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, su-

suris & pedibus non superfluâ carne distentis, sed nervorum duritie collectis.

Præterea, miles non debet esse † mutus, aut surdus: talis enim non potest examinari, solenne juramentum præstare, Ducis imperium audire, & tubæ, vel Classici signum intelligere. *Bocer. l. 1. de bell. c. 8 n. 26.* Proinde si in bello in hujusmodi vitium incidat, mitti solet. *l. 4. ff. de testament. milit. c. un. §. mutus. tit. Episcopum vel Abbatem. Vigliue in §. quin imò. Instit. de test. milit.* 69

Utroque † etiam testiculo qui caret, miles idoneus esse non potest. *Bald. in l. milites omnes ff ex quib. caus. major.* 70

Qui verò uno † testiculo natus est, quive amisit, jure militabit, secundùm Divi Trajani rescriptum. *l. 4. ff. de re milit.* 71

Nec tantùm corpore milites, sed & † animis præstantissimi legendi sunt, qui legum metuentissimi, iidem in hostes audacissimi, & pati quidvis minimè verentur, sed malè audire maximè. *Plutarch. in Agid.* vel, ut loquitur *Salust. in Jugurth.* qui nihil metuunt, nisi turpem famam. 72

Ultima nota boni militis posita est in † genere vitæ. Nam ad mollitiem aut duritiem, ignaviam aut ferociam, haud leviter hoc facit. *Lips. d. l.* Ubi piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesque qui aliquid tractâsse videbuntur ad gynæcea pertinens, longe arbitratur repellendos à castris, ut & opificum vulgus & sellularios. Namque degenerat à robore ac virtute miles adsuetudine voluptatum. *Tacit. 2. hist.* 73 *Genus vitæ.*

Fortior † miles è confragoso venit: segnior est urbanus & verna, inquit *Senec. in Epist.* Ergo ex sententia *Veget. l. 1. cap. 3.* aptior armis rustica plebs, quæ sub dio in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. Assuevit hyemem & æstatem juxta pati, humi quiescere, eodem tempore & laborem & inopiam tolerare. *Salust. in Jugurth.* Nec non *Cato l. de re rust. c. 1.* ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur. His de causis ex agris supplendum robur exercitus præcipuè videtur 74

Digitized by Google

detur *Vegetio*, *Junio part. 2. quæst. polit. quæst. 61.* Nos cum *Hermann. Kirchnero in Republ. disput. 21. thes. 3. lit. B.* Utrumque, & agrestem & urbanum exercitio strenuum posse fieri judicamus, & urbanum quidem citiùs, nisi sedentariis opificiis, & umbratili quæstu enervatus. Sed nihil periculosius est, *dicente Bodino l. 5. de Republ. cap. 5. num. 578.* quàm ex agricolis tyronibus exercitum conscribere, qui hostium conspectu vel classico perterriti, signa deserere consueverunt. Agricolas & colonos *Georgius Obrechtus thes. 752. & seqq.* à cultura agrorum non facilè abstrahendos scribit, quia in optima Republica non minùs conservationi civitatis, quàm dominiorum & fundorum utilitati consuli debet: tùm demùm verò vel præcipuè legendos putat, si sine jactura agriculturæ militare possint.

75 Fabros † quoque ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumque venatores convenit associare militiæ. *Veget. cap. 3.*

76 Amplius: Laicus, † non Clericus in militiam vocari debet. Ecclesiastici enim & in ordinibus constituti, ratione officii inhabiles sunt ad officia militaria exequenda. *lib. 2. feud. tit. 21. c. si quis Vult. distinct. 36. c. 1. c. non pila. c. clerici. c. convenior. c. si quis Episcopus. c. si vobis. caus. 23. quæst. 8. c. ex multa. §. fin. extr. de voto & voti redempt. Bocer. d. c. 8. n. 20.* Hinc *Georg. Obrecht. de constit. bell. th. 84. & seqq.* asserit, magistratum Ecclesiasticum nullum bellum indicere, nec gerere posse: quia totus Ecclesiæ & sacris inservire, nec se negotiis secularibus immiscere debeat. Et *Cluten. in syllog. rer. quotid. th. 8. ad lit. B.* Proceres Ecclesiastici, ait, si nomine & re Episcopi esse volunt, populum docere debent, non verò sese occupare secularium negotiorum expeditionibus, iisque per Legatos defungi. Quò facit sententia *D. Ambrosii in d. c. pila.* Christi milites non pila tractant ferrea: sed dolor, fletus, orationes & lachrymæ sunt arma & munimenta eorum. Lachrymæ igitur sint illorum arma, non tela, ne ipsis eveniat, quod Gerholdo Episcopo Mogunt. XV. Is anno 772. in gratiam Regum Galliæ suâ sponte, contra Saxones Thuringis ar-

armatâ manu occupantes, cum copiis suis profectus est, immemor officii & ovilis sibi commissi, miserè à Saxone quodam ense perfossus est. Hinc posteà Saxones tales fecerunt versus Germanicos.

Bischoff Gerholt focht mit dem Schwerdt/
Durchs Schwerdt kam er auch ab der Erdt/
Drumb jhm viel nützer gewesen wer/
Er wer gen Chor gang'n / dann ins Heer.

Johan. Wolffius in lect. memorabil. cent. 16. fol. 578.

77 Quod si tamen Ecclesiasticæ personæ † Maccabæi fuerint, admitti omninò possent, ut armati hostes DEI oppugnarent, ut sentit & scribit idem *Obrecht. th.107. & Bocer. d. l.*

78 Quin etiam, si hostes † repentinus obsideat civitatem, & jam subierit in mœnia, minister Ecclesiæ rectè potest sumere arma, & vim vi repellere, ut docet *Althus. in polit. c. 29. fol. 413. edit. prior.*

79 Sed nec † infames, relegati, adulteri, rei capitalis criminis, vel publicis judiciis damnati, in militum numerum recipiendi. *l. 2. §. miles. 3. ff. de his qui not. infam. l. 4. §. 7. ff. de re milit.* Tàm † 80 nobilis enim & sancta olim militia fuit, ut non criminosos tantùm, sed & criminis reos à se repulerit, ut apparet *ex cod. tit.* Sic Cimonem, dum exul erat, vetuit Pericles pugnare cum Atheniensibus. At necessitate exigente post Cannensem cladem, M. Junius Dictator desperatâ propè Republicâ, ex iis, qui capitalem fraudem moliti, quique pecuniæ judicati in vinculis essent, noxâ pecuniâque exolutis, sex millia conscripsit.

81 Servi † quoque & abjecti ingenii homines ad militiam non fuere admissi. *l. 11. eod. tit. & in lib. 7. Cod. Theodos. tit. 13.* ita Gratianus, Valentinianus, & Theodosius edicunt: Inter optimas lectissimorum militum turmas, neminem è numero servorum dandum esse decernimus, neve ex caupona ductum, vel ex famosarum ministris tabernarum, aut ex coquorum aut pistorum numero, vel etiam eo, quem obsequii deformitas militiâ secernit, nec tracta de ergastulis nomina.

Unde ab Antonio Octavio, Lepido Triumviris, de servo inter numeros deprehenso, ita supplicium exactum est, ut de rupe Capitolina dejiceretur. *Dio lib. 48.*

82 Necessitate † tamen, quæ lege caret, flagitante, etiam servi interdum lecti sunt. Nam Lacedæmonii ad Messeniam octo millia servorum conscripsêre. Et Athenienses adversus Æginetas servo milite usi sunt. Romanis, ait *Liv.* bello punico II. aliam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit. Octo millia juvenum validorum, ex servitiis prius sciscitantes singulos, vellent ne militare, (unde Velones appellati: quia singuli *volo* respondissent) empta publicè armaverunt. Nec servi modò ordinariè rejiciuntur, sed & ii, qui status controversiam patiuntur, licet reverâ liberi sint. *l. qui status, eod. tit.*

83 Hodiè in orbe † Christiano nulli propriè sunt servi, quâ de re diximus *sup. lib. 1. c. 1.* de dominica potestate.

84 Honestatis † itaque & virtutis inprimis habenda est ratio, ne infames & sordidi castra dehonestent. *Veget. l. 7. Kirchnhr. d. l.*

Castra enim adeò non sunt casta, ut quicquid usquam corrumpi & corrumpere queat, in illis visatur. *Tacit. l. 15. annal.*

85 Antisthenes † dicere solitus est: Melius est pugnare cum bonis paucis, adversus multos malos, quàm cum multis malis, adversus paucos bonos. Quo dicto indicare voluit vir sapiens, victoriam nequaquam ex magna impiorum militum colluvie exspectandam esse, sed multò magis ex virtute talium virorum, qui numinis sunt timentes, quamvis eorum sint perpauci. Cujus rei veritatem exempla plurima sacræ scripturæ declarant. Huc etiam quadrat illud *Erasmi*: In bello plus habet momenti, quales ducas milites, quâm quâm multos. Et *Tacit. 14. annal.* in omni conflictu non tàm prodest multitudo, quàm virtus.

86 Denique nec † fœminæ ad usum militiæ adhibendæ, quia sunt infirmæ & imbecilles corpore, animo instabiles, ingenio pavidæ, ancipites consilio, & rei militaris imperitæ: contrà quàm sentit *Plato lib. 5. de Repub.* Ubi mulieribus, ut alia omnia exercitia & officia virilia: ita bella quoque voluit cum iis esse communia. At potiùs audiendus nobis est *Aristot. lib. 2. pol. c. 4.*

Fœminæ à militia arcentur.

quà

qui non ad eadem, sed ad propria & distincta officia puellas dirigendas censet, ut etiam per naturam distincta quâdam conditione sunt præditæ.

Mulierum † proprium officium est domestica curare, & domi telam ex penso trahere: at viri est publica administrare, & in bello tela tractare. Et talia arma in manus ipsis tradit *Proverb. 31. v. 10. & seqq.* Ubi præfatus: Mulierem fortem quis inveniet? posteà subjicit: manum suam misit ad colum (*non hastam*) & digiti ejus apprehenderunt fusum: quæsivit lanam ac telam, (*non telum*) & operata est consilio manuum suarum. 87

Idem monet. *Ovid. libr. 12. Metamorph.* ita canens:

——— ——— columque
I cape cum calathis: & stamina pollice torque:
Bella relinque viris.

Item *Virgil. lib. 7. Æneid.*

Cura tibi Divûm effigies, & templa tueri,
Bella viri pacemq; gerant.

Accedit *P. Martyr. class. 4. loc. com. c. 16. sect. 15.* oportet fœminas familiam colere, & inprimis ratione habere pudicitiæ. (Nam lis est cum bello magna pudicitiæ.) Tamen si id adeò magna necessitas Reipub. exigat, juvare possunt milites, vel colligendis lapidibus, vel humo ad ageres comportandâ. Ordinariæ autem militiæ studere non debent. Ita & *Lamb. Dana. in aphorismo 1. de muliebri imperio, libri 6. polit. Christ.* tradit, militare in exercitu mulieris imperium esse rerum & extraordinarium. *Judic. c. 4. v. 4. 6. 10.*

Cùm igitur lex † naturæ & honestas mulieres finibus quibusdam & cancellis verecundiæ circumscripserit, hos ipsos non transiliant, sed pudor nativus eas inhibeat, consortiis virorum interesse, maximè juvenum, quorum efferata mens & libidini nimis addicta, ad audendum licentiam promovet. *Cas. l. 2. sphær. civit. cap. 4.* 88

Nec Amazonum, † & aliarum quarundam fœminarum res præclarè gestæ (quales *sup. l. 1. c. 13.* retulimus) mulieribus patrocinantur: quia ut una aut altera hirundo non facit ver: ita 89

nec unum aut alterum exemplum, & quidem heroicum, legem non constituit.

90 *Lustratio & probatoria.* Cæterùm lecti † milites convocari solent ad certum diem & locum, eumque amplum & patentem: quo ipsorum mores & arma explorantur. *Veget. l. 1. c. 8.* qualis, & quàm idoneus quisque ad militiam sit: probati recipiuntur, & de novo inscribuntur in peculiarem catalogum à Duce belli, vel consiliariis militaribus. *l. 1. C. qui milit. poss.* inepti, & ii, quibus Dominus & Dux exercitus non omnibus indiget, rejiciuntur: nec enim quicunque se modò offerant, recipiendi: nec plures, quàm ærarium fert, & necessitas postulat. Quales enim sunt milites, talis & militiæ solet esse fortuna. *Obrecht. thes. 805. & 806.*

91 Quandoque & timidi † deprehensi, non viros, sed mulieres se ostendentes, vel qui naturali aliquo affectu domi detinentur, à reliquis separantur. Sic Agamemnon urbanè Echepoli meticulosi excusationem admisit, si loco suo equum strenuum præberet: quo declaravit, tali homini etiam brutum animal præstare, & in hoc reperiri, quod ille in se desiderari fatetur. Et quòd pusillanimes debeant segregari à ceteris, vel sacra pagina docet. *Deut. 20. v. 8.* Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Et *Judic. 7. vers. 3.* Dominus ad Gideonem dixit. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus & timidus est, revertatur. Nec non *1. Maccab. 3. vers. 56.* Judas ait his, qui ædificabant domos, & sponsabant uxores, & plantabant vineas, & formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundùm legem. Iphicrates cùm in hostes militum agmen produceret, quosdam trepidos, timidos, pallidosque sequi conspiciens, progressus aliquantulum, cùm mox esset ineundum prælium, clamare præconem jussit: *Si quis aliquid reliquit, revertatur, & rectè instructus redeat.* Hoc audito, timidiores lætati, continuò reverti cœperunt. At Iphicrates nullâ morâ factâ: *Nunc*, inquit, *viri sine mancipiis: nos-*

cum

cum hostibus pedem conferemus, ut soli fructus fortitudinis & virtutis capiamus. Hâc re multò confidentiores facti milites, sine timidis pugnarunt, victoriamque obtinuerunt. *Polyæn. libr. 3. stratagemat.*

Judicat autem *Bocer. lib 9. politia illustrium, cap. 9.* multò animosiores † fieri milites à patria longiùs abductos. Sic enim spem fugæ præcidi, quam non raro patriæ vicinitas suadet. Amor, inquit, erga parentes, uxores, liberos & familiares longè est remissior in loco procul ab illis distante. 92

Præterea suspecti † perfidi & rebelles sunt segregandi. *Theodor. Zvvinger. in theat. vit. hum vol. 7 lib.3.* 93

Actus † ille, quo inepti, pusillanimes, aliique ejus farinæ homines è societate militum exterminantur, probatoria militum dicitur. *Bocer. l.1. de jur. bell. c.9. à Cicerone lib. 5. Epist. 4.* Lustratio, nostris die Musterung. 94

Ad lustrationem etiam hoc pertinet, ut singulis † annis, imò singulis mensibus, in decedentium locum juniorum turba succedat: quod nisi fiet, quamvis copiosus exhaurietur exercitus, *Veget. l.3. c.3.* 95

Receptis † & in numerum relatis datur approbationis aliquod symbolum, videlicet vel pecunia, vel aliquod armorum genus. 96 *Auctoratio.*

Olim cingebantur † Zonâ appenso ense. *l. 25. l. 38. §. 1. l. 43. ff. de milit. testam.* tàm equites, quàm pedites. *Bocer. l.1. cap. 11. n. 4. & 5.* 97

Ubi obiter notamus *ex eod. c. 11. num. 9.* quòd ex prisco illo cingendorum militum ritu, consuetudo † fluxerit, quâ Imperator in equestrem orodinem aliquem recipiens, humeros ejus stricto gladio leviter ferit: quâ itidem hodiè Principes & Equites ministris suis perfectam ætatem adeptis, jura gestandi gladium, solenniter concedunt, inflicto colapho, quo colophonem imponunt nugis & ineptiis primæ ætatis: & simul eùm ex potestate sua dimissum declarant. *Bald. in l. 1. §. miles. ff. de testam. milit.* Conf. *Camerar. cent. 1. hor. succisiv c. 76. fol. 347. in med. Dn. Matthiam Berneggerum dodecad. 3. in Tacit, q. 11.* 98

So-

99 Solebant olim & stigmata, † id est, notæ publicæ manibus ipsorum imprimi, ut latitantes hoc modo cognosci possent. *l.3. C. de Fabricens. ubi Cujac. Geil. 2. observat. 118. n.3. & lib. 1. de pac. public. c.4. n.23.* Unde *D. Chrysostomus Homil. 3. in Ep. 2. ad Corinth.*
100 Sicut † militibus signaculum: ita fidelibus spiritus imponitur, & si ordinem ordinem deserueris, notus omnibus fies.

101 Atque hinc de jure civili sex † sunt in milite necessaria adhoc, quòd habeat privilegia militibus concessa. 1. quòd ense cingatur. 2. quod in numero aliorum ponatur, & in matricula scribatur. 3. quòd præstet sacramentum, quòd mortem non evitabit pro Repub. neque à signis recedet. 4. quòd stigma, seu nota publica brachiis suis inscribatur. 5. quòd examinetur. 6. quòd non sit negotiator. *gloss. ad Rubric. tit. de testament. milit. in Instit.*

102 *Præstatio juramenti.* Insuper juramentum † milites recepti hodiè præstant, si non sigillatim, saltem simul. *Bocer. l.1. c.10. n.4.* se scilicet Ducis imperio morem gesturos, nec fugam capturos, nec mortem detrectaturos: articulosque militares, ut vocant, strenuè observaturos. *Veget. l.2. c.5.*

103 Primum † enim militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & delerendi nefas. *Senec. Epist. 96.*

104 Illis † verò, qui aliis præsunt, peculiares articuli, ex ipsorum officiis desumpti, proponuntur: ad quorum observationem fidem suam astringunt. *Obrecht. th. 889.*

105 Juramentum militum † Atheniensium hic ex re nata addere Iubet, cujus hæc est formula: Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meum astitem, quocum vinctus fuero: dimicabo pro sacris & profanis, sive solus, sive cum multis: Patriam non relinquam in deteriori statu, sed ampliori melioríque, quàm acceperim: semper magistratui præfecto prudenter obediam; & legibus constitutis parebo, & aliis quibuscunque plebis consensu decretis. Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed ulciscar tàm solus, quàm cum pluribus, sacra quoque patria colam. Horum dii mihi testes & conscii sunto.

106 *Consilia.* Consiliis † bellicis nihil magis necessarium. Periculo atque ne-

negotiis compertum est, ingenium in bello plurimum posse. *Salust. in Catilin. & Euripid.* Unicum rectum consilium magnam militum vincit manum. Imò parva sunt foris arma, nisi est consilium domi. *Cic. lib.1.offic.* quò spectat illud *Lipsii lib.5.polit.c.16.* quid sine consiliis apparatus omnes sunt? fumus. quid viri? funus. itemque *Horatii:*

Vis consilii expers mole ruit suâ:
Vim temperatam Dii quoque provehunt.
In majus: iidem odere viros
Omne nefas animo moventes.

Est verò consilium vel † directum, vel indirectum. 107

Directum † est, quod directè & apertè sine dolo suscipitur, ut 108
nimirùm possis occasionem in bello observare, eaque uti: & hosti oblatam adimere.

Indirectum, † obliquum seu occultum, quod viâ indirectâ & 109
dolo, sed bono suscipitur, de quo infr. latiùs sumus acturi.

CAPUT SEXTUM.

UTRUM SUBDITI ARMORUM exercitationibus pacis tempore præparandi ad bellum.

HÆc quæstio resultat ex distributione militum in ordinarios & extraordinarios, vel subsidiarios, de qua supr.

In dubium itaque vocantur: An Consultum sit præsertque, bellicis † artibus indigenos & cives exerceri, quàm imbelles 1
esse.

Reperiuntur, qui judicant, pacis † tempore subditis armo- 2
rum usum non esse concedendum, his moti argumentis.

1. Quod illa Respublica beata † sit dicenda in qua omnia, 3
secundùm naturæ ordinem ita instituta sint, ut cives mutuâ benevolentiâ inter se, & cum Repub. conjungantur, suavissimâ pace perfruantur: civitas pietate, justitiâ, religione, integritate, libe- *Argumenta sententiæ negantis.*

Digitized by Google

liberalibus disciplinis, agriculturâ, pecuariâ, opificiorum varietate floreat.

4 At quid armorum † usus. Hic, inquiunt, felicitatem & tranquillitatem illam perturbat & pervertit.

5 Deinde asserunt, facilè † fieri posse, ut subditi armis assuefacti, seditionem moveant adversus Principem, & in officio ac fide retineri non possint. Exempla hujus rei in medium profert *Tholozan. lib. 23. de Repub. c. 9.* quibus ostenditur, multis Principib' periculum creatum fuisse ex eo, quòd subditis arma fuerint permissa.

6 Et cui ignotum, multos † hodiè reperiri Principes & Civitates, tùm in Germania, tùm aliis in regnis, à quibus militaria ista exercitia subditis non permittuntur? Ideircò cives ad hoc crudelissimnm vitæ genus, ut ajunt, non instituendos esse putant.

Hisce tamen non obstantibus, quàm plurimi cives peritiâ armorum pollere non solùm utile, sed etiam necesse scribunt, nec sine rationibus.

7 *Affirmantis* Nunquam enim non † hostes ac latrones inveniuntur, qui nefariâ conspiratione, conscriptis legionibus vagantur, alienis imperiis ac civitatibus insidiantur, nullâ injuriâ lacessiti, pacatis populis bellum inferunt.

8 Jam verò faciliori † negotio cives exercitati & armis præparati, exercitum armatum & bellicosissimum hostem ferient ac repellent, quàm imbelles, qui nulla tela, nullos clypeos, gladios & hastas ad improborum offensionem atque exitium sibi compararunt. Facilè, ait *Plato*, eæ civitates ab exteris vincuntur, quæ prorsus arma deseruerunt, seque totas paci & otio tradiderunt: abjecto omni rei bellicæ exercitio, rerumque militarium studio.

9 Eleganter. *Cas. lib. 2. sphær. civit. c. 5.* Pax † quidem magnum Dei beneficium est, quo civitas beata floret, quo destituta languet: tamen ut Athenienses suam Palladem armatam pinxerunt: ita nos pacem, non ut nudam Dianam, sed ut bellicosam Deam munire & tueri oportet. Improvidi est, solùm in diem vi-

vivere, eaque tantùm videre, quæ ante pedem jacent. Cùm valeas, cavendum est ne in morbum, cùm in pace vivas, prævidendum est ne in hostem incidas: quippe tùm maximè insidiatur hostis, cùm supinus in otio dormis, & securus in pace vivis. Sic ille.

Sanè jura, † judicia, leges, religio, omniumque Rerump. opes & potentia sub militaris disciplinæ clypeo continentur. *Bod. l. 5. de Repub. c. 5. n. 364.* 10

Ad regni † majestatem conservandam non tàm diadema aut sceptrum prodest, quàm ferrum. *Auger. Busbequius in consil. de re milit. contra Turcas instit. fol. 183.* 11

Proindè Respublica † firmanda est, & armis adversus hostes, & pacis artibus, *monente Salustio.* 12

Sic scribit Demosthenes † se populo suasisse, quatuor perpetuò legiones alendas esse, & belli & pacis tempore, ne ex improviso opprimeretur. 13

Juvatur hæc sententia exemplo Reipublicæ † Judaicæ, in qua David constituit, qui docerent Judæos arcum. *2. Sam. 1. v. 18.* Et de Benjamin erant septingenti viri fortissimi, ita sinistrâ ut dextrâ præliantes: & sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. *Judic. 20. v. 13.* 14

Romana † item Respublica nullâ re magis floruit, quàm arte militari: Pacis tempore alebat armatas militias. *l. 5. §. 1. ff. de re milit.* quæ armorum quotidiano exercitio ad bella se præparabant. *l. 15. Cod. eod.* ut bellorum necessitate ingruente, ab ea Rempublicam defendere possent. *l. 31. C. de locat. & conduct.* 15

Romanorum industriam in servis † domesticis instituendis, & laudem disciplinæ militaris hisce verbis perstringit *Josephus lib. 3. de bell. Judaic. cap. 3.* Nimis admirandam quis existimaverit Romanorum providentiam, ita servos instituentium, ut non solùm vitæ ministerio, sed belli etiam necessitatibus utiles sint. Quod si quis eorum aliam quoque respexerit militiæ disciplinam, profectò cognoscet tantum eos imperium non fortunæ 16

munere, sed propria virtute quæsiisse. Armis enim uti non in bello incipiunt, neque solùm si necesse sit, manus movent, cùm in pacis otio cessaverint: sed armis veluti naturâ cohærentes, nullas capiunt exercitationis inducias, nec tempora præstolantur. Meditationes autem eorum nihil à vera contentione discrepant: sed in dies singulos militum quisque omnibus armis, tanquam in procinctu positus, exercetur: quo etiam facillimè prælia tolerant. Neque enim ordo neglectus eos à consueta dispositione dispergit, neque metus stupefacit, neque lassitudo exhaurit. Unde sequitur, ut semper superent, quos non itidem confirmatos invenerint. Nec erraverit, quis eorum meditationes conflictus esse dixerit sine sanguine, contraque prælia meditationes cum sanguine.

17 Hanc † exactam & accuratam disciplinam Romanorum militarem, sacrarum literarum interpretes prædictam esse existimant *apud Esai. cap. 5. v. 26. & seqq.* Ecce festinus velociter veniet (videlicet exercitus Romanus) non est deficiens, neque laborans in eos: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus. Sagittæ ejus acutæ, & omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, & rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum. Et frendet, & tenebit prædam & amplexabitur, non erit qui eruat. Et sonabit super eum in die illa, sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine ejus.

Accedit *Bodin. l. 5. de Repub. c. 5. n. 566.* inquiens: Militaris
18 † Romanorum disciplina, quæ omnium communis esse debet, ex ignavo cive fortem, ex intemperanti moderatum, è desidioso strenuum, è luxurioso, frugalem: è libidinoso continentem efficiebat. Neque enim solùm bellandi virtus in Imperatore ac milite quæritur: sed multæ sunt artes eximiæ hujus administræ comitesque virtutis: scilicet labor in negotiis, fortitudo in periculis, temperantia in cupiditatibus, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. Unde *num. seq.* sub-

Digitized by Google

ſubditos ad militares artes exerceri oportere concludit: & multò magis, ſi populi naturâ ipsâ bellicoſi ſint ac feroces, ut Scythæ ac Montani.

Similiter ſuadet *Keckerman. l.1. ſyſt. polit. c. 10. fol. 210. in fin.* Ut Princeps ad † tolerantiam & fortitudinem ſubditos ſuos à primâ ætate publicis quibuſdam exercitiis aſſuefaciat. 19

Ut ad † labores & frigus, monet *Ariſtot. l.7 pol. c. 17.* Quo loco apud plerosque morem eſſe dicit, recens procreata ingelidum flumen immergere, vel, ut apud Gallos, brevi ac tenui veſte induere. 20

Sed & *Plato de legib.* inter † pueros exercendam militiam ſuadet. 21

Nihil † neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt Republ. in qua abundant milites eruditi, inquit *Veget. l. 1. c. 14 & ejuſd. l. 1. c. 1.* 22

Exercitatio † illa dimicandi nutrit audaciam. *Rurſus.* in iſto bellorum certamine exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt, quàm rudis & indocta multitudo, expoſita ſemper ad cædem. 23

Et vix credibile, quantum † exercitium in milite poſſit. Nam non ſolùm corpus ad omnia aſſuefacit & firmat, ſed etiam animum. 24

Ex uſu † ſiquidem, vel ex animi præparatione providentiaque unuſquiſque præſtantior fit, & prælium cupit. 25

Econtrà certum eſt, milites † inexercitatos otio torpeſcere, bellum ſummoperè reformidare, & ſtrepitu, tumultu, fragore, inſtrumentorum bellicorum ictibus, & præcipuè eorum, quæ fulminum, tonitruumque inſtar, poſteriora ſecula invenerunt, ſummè turbari, ut loquitur *Hippolytus à Collibus in princ. c. 25. fol. 79.* Ubi illud Poëtæ citat: 26

Major eſt bello timor ipſe belli.

Quare militum † dilectus tempore pacis erit, quo ex ſubditis in toto regno & idonei viri ad bellum eligantur, qui incidente neceſſitate manu expediti ac prompti, & ſemper parati ſint ad vim quamvis illatam, armis propulſandam & avertendam, 27

G 3 dam,

inter hostes inertia, & ignava, nullo Dei metu, nullâ hominum fide tenentur: tandiu ruina profertur, dum impressio prorogatur. Pacis quidem tempore illi ipsi, belli verò hostes tui te despoliant. Hujus rei rei causa est, quòd neque benevolentiâ, neque ullâ causâ in castris retinentur, quàm stipendiolo quodam, in quod satis non est ad eos impellendos, ut tuâ causâ mortem sibi appetendam putent. Cupiunt sanè, in exercitum allegi: at ubi est cum hostibus congrediendum, tunc aut fugâ, aut discessu (te deserto) sibi consulunt.

10 Nec non exemplo nobis esse possunt Carthaginenses, † qui statim à primo contra Romanos confecto bello, parum abfuit, quin à militibus, quos mercede conduxerant, fuerint oppressi,
11 licet suos cives copiarum haberent præfectos. Et Sfortia, † Francisci Sfortiæ pater, cùm Joannæ Neapolitanorum Reginæ stipendia mereret, repentè illam inermem deseruit, sic ut ne regnum amitteret, in Arragoniorum Regis sinum coacta fuerit sese conjicere.

Deinde exteri & naturâ bellicosi, præmiis ac pollicitationi-
12 bus allecti, portus † ac aditus omnes illorum, qui eos vocant, usu cognoscunt, & quantæ illorum opes ac facultates sint, perspiciunt: iisque rebus non tàm ad eos defendendos, quàm oppugnandos incitantur. *Obrecht. de Constit. bell. th. 432.*

13 Unde *Herodotus lib. 7.* soli † fertilitatem peregrinis nimium prædicatam vel ostensam, ad illud occupandum invitare scribit. Sicut hac de causa Romani stationarii expellere voluerunt Campanos. *Liv. lib. 7.*

14 Et cui quæso ignota clades † Britannorum? qui cùm è Germania Anglo-Saxones mercede conductos adversus Pictos & Scotos in auxilium evocassent, partâ victoriâ, & hostibus pulsis, Anglo-Saxones Britanniæ amœnitate & fertilitate illecti, eam vi occuparunt, igne devastarunt, & Regem cum omnibus præfectis & officialibus vitâ spoliarunt, & postmodum Insulam, quæ Britannia dicebatur, de suo nomine Angliam vocarunt. *Polydor. Vergil. lib. 3. hist. Anglic. Münster. lib. 1. Cosmograph. ex Beda & Crantzio.* Pluribus exemplis id confirmat *Arnis. l. 1.* de-

Digitized by Google

doctrin. polit. cap. 4. fol. 407. & Georg. Richter. axiom. polit. 147.

Dubium ergò non est, quin tales suæ † potiùs utilitati & saluti, quàm alienæ inserviant: ac prementè hostium metu, aut victoriæ laudem prædamq; sibi tribuant: aut fugæ latebras quærant. *Bodin. d. l.* 15

Et sic luce meridianâ clarius apparet, parum † esse præsidii positum in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate & imperio, tametsi tempus incidit, cùm ipsorum furor & repentinus impetus valdè est pertimescendus. *Comina l. 3. comm.* ab extraneo milite propter non soluta stipendia, semel irritato, novæ quotidiè petitiones, novæque belli occasiones & querimoniæ proponuntur & quæruntur. *Polyb. lib. 1.* 16

Quare, ut monet *Hippolyt. à Collib. in princ. c. 21. à pr.* det † operam Princeps, ne auxiliarius militibus, id est, quos ipsi Princeps aliquis vel Respubl. suis sumptibus auxilio mittit, uti cogatur. 17

Fit † enim sæpenumero, cùm ab eo, ad quem missi sunt, neque præfectos neque stipendia accipiant, ut ejus imperium flocci faciant, prædæ ultra quàm par est, operam dare, omnia vastare soleant. Exemplis plenæ sunt historiæ eorum auxiliariorum, qui proditores, invasores, defectores & desertores extitêre. 18

Quare Therycione † Delphi rediens, cùm videret angustias Isthmi à Philippi copiis custoditas: Malos, inquit, portarum custodes vos habet Peloponnesus: ipsi custodes custodis egere videntur. *Plut. in Laco.* 19

Adhæc: Exteri luxum † & otium cupiunt, disciplinam & laborem aspernantur. *Tacit. 1. annal.* refragantur, non juberi, non regi amant, verùm cuncta ex libidine agere. *4. histor.* Et *Fr. Patritius lib. 9. de Rep. tit. 3.* Auxiliares conducti ex diversis locis, nec disciplinâ inter se, nec affectione consentiunt. Sine pudore flagitii, sine cura Ducum in ipsa etiam pugna, abeunt, fugiunt. *Tacit. d. lib. 1. annal.* graves incolis, omnia tanquam externa aut urbes hostium, urere, vastare, rapere consueverunt. *2. histor.* Sic & *Obrecht. th. 790. & seqq.* scribit. 20

dam, vel vim quamvis aliis armis inferendam. *Althus. in polit. c. 28. fol. 376.*

28 Olim † talium militium semper paratorum loco nobiles erant: quibus ideò feuda dabantur: hæcque ratione Principum potentia in multitudine Vasallorum consistebat. *Grimalius lib. 1. de opt. senat. fol. 70.*

29 Et huic † consilio in subditorum præparationibus militaribus, aures accommodant quàm plurimi hodiè Principes in Germania. Quæ & qualis armorum tùm peditum tùm equitum debeat esse tractatio, trademus *infr. de disciplin. milit.*

30 Pericula † quæ per accidens accedunt, disciplinâ & providentiâ averti omnia facilimè possunt. *Kirchn. de Repub. disp. 21. th. 2. ad lit. A.*

Responsio ad argumẽta sententiæ prioris.

Metus † à subditis vanus est. Hæc enim persuasio illorum fuit, qui hostilia cùm facerent, timebant. *Lips. lib. 5. cap. 10.*

31

32 Ubi tamen *Keck. d. c. 29. fol. 448.* rem non carere † periculo afferit, si subditorum ingenia per naturam proclivia sint ad seditionem. Idcircò hæc remedia observanda proponit, 1. Habendum † ad ista exercitia delectum subditorum, ne promiscuè adhibeantur quivis: neque etiam impediantur † opificia & operæ Reipubl. necessariæ: ideò certa † tempora destinanda istis progymnismatis: quibus expeditis, arma † in publicum armamentarium deponenda, ex monito aliorum. Ita Turcæ † stata tempora quotannis habent, ad quæ probatores ab Imperatore mittuntur, qui per omnes præfecturas discurrunt, & eos deligunt, quibus ad militares labores habile est corpus, & in quibus virtutis manifesta apparent indicia.

Cautela.

33 34 35 36 37

38 2. Certum † præfectum istis exercitiis constituendum esse, ita tamen, ut ipse Princeps subindè iis intersit.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

AN PEREGRINI, AN DOMESTICI MILITES PRÆFERENDI.

CIrca militum delectum, de quo Cap. 5. sermonem fecimus,
dubia exoritur quæstio: An † domestici & indigeni, an 1
verò peregrini & mercenarii milites sint eligendi? Quòd † illi, 2
tùm rationes & argumenta fortissima, tùm etiam exempla luculentissima jubent.

Nam primò, amicos † eos, non inimicos esse oportet, qui 3
pro nobis sine excusatione sunt pugnaturi: & tales quidem amicos, ut neque secundis in rebus sint Imperatori invisi, neque in adversis eum prodituri. *Xenophon. de pædia Cyri, lib. 2.* At quid
milites mercede conducti? Non pugnant ex † affectu & amore 4
erga patriam. *Aristot. lib. 3. Ethic. c. 8.* quo loco ostendit, milites quidem mercenarios propter experientiam aptiores ad bellicas actiones esse, quàm cives, sed tamen minus constantes.

Ratio hæc affertur ab Interpp. quia solùm pro † mercede mi- 5
litant non pro salute patriæ, & suorum parentum, liberorum &
conjugum. Ideoque quando vident aleam † inclinandam esse, 6
& parvam affulgere spem victoriæ consequendæ, solent detrectare pugnam & resilire. Cives † autem sunt constantes usq; ad 7
mortem, qui pro suâ, suorumq; salute ac vita, pro aris & focis dimicare necesse habent: & ita non fortitudinem magis, quàm fidem colunt. *Curt. lib. 10.* Unde etiam *Demosthenes in suis orat.* semper urbanas copias præfert externis copiis, quæ ex mercenariis militibus sunt.

Hoc † discrimen *Aristot.* declarat exemplo historico civium 8
Coronensium, qui in pugna secunda Phocenses constanter perstiterunt usq; ad finem: mercenarii milites post primum impetũ deseruerunt. Quare *Machiav. in princ. c. 12. fol. 65.* ita disserit: Im-
perio † in armis mercenariis constituto, qui præest, nihil fir- 9
mitatis, nihil securitatis habet: disjecta enim sunt, ambitiosa nullius disciplinæ, nullius fidei, inter amicos acerrima, in-

Digitized by Google

inter hostes inertia, & ignava, nullo Dei metu, nullâ hominum fide tenentur: tandiu ruina profertur, dum impressio prorogatur. Pacis quidem tempore illi ipsi, belli verò hostes tui te despoliant. Hujus rei rei causa est, quòd neque benevolentiâ, neque ullâ causâ in castris retinentur, quàm stipendiolo quodam, in quod satis non est ad eos impellendos, ut tuâ causâ mortem sibi appetendam putent. Cupiunt sanè, in exercitum allegi: at ubi est cum hostibus congrediendum, tunc aut fugâ, aut discessu (te deserto) sibi consulunt.

10 Nec non exemplo nobis esse possunt Carthaginenses, † qui statim à primo contra Romanos confecto bello, parum abfuit, quin à militibus, quos mercede conduxerant, fuerint oppressi,
11 licet suos cives copiarum haberent præfectos. Et Sfortia, † Francisci Sfortiæ pater, cùm Joannæ Neapolitanorum Reginæ stipendia mereret, repentè illam inermem deseruit, sic ut ne regnum amitteret, in Arragoniorum Regis sinum coacta fuerit sese conjicere.

Deinde exteri & naturâ bellicosi, præmiis ac pollicitationi-
12 bus allecti, portus † ac aditus omnes illorum, qui eos vocant, usu cognoscunt, & quantæ illorum opes ac facultates sint, perspiciunt: iisque rebus non tàm ad eos defendendos, quàm oppugnandos incitantur. *Obrecht. de Constit. bell. th. 432.*

13 Unde *Herodotus lib. 7.* soli † fertilitatem peregrinis nimium prædicatam vel ostensam, ad illud occupandum invitare scribit. Sicut hac de causa Romani stationarii expellere voluerunt Campanos. *Liv. lib. 7.*

14 Et cui quæso ignota clades † Britannorum? qui cùm è Germania Anglo-Saxones mercede conductos adversus Pictos & Scotos in auxilium evocassent, partâ victoriâ, & hostibus pulsis, Anglo-Saxones Britanniæ amœnitate & fertilitate illecti, eam vi occuparunt, igne devastarunt, & Regem cum omnibus præfectis & officialibus vitâ spoliarunt, & postmodum Insulam, quæ Britannia dicebatur, de suo nomine Angliam vocarunt. *Polydor. Vergil. lib. 3. hist. Anglic. Münster. lib. 1. Cosmograph. ex Beda & Crantzio.* Pluribus exemplis id confirmat *Arnisæ. l. 1.* do-

doctrin. polit. cap. 4. fol. 407. & Georg. Richter. axiom. polit. 147.

Dubium ergò non est, quin tales suæ † potiùs utilitati & saluti, quàm alienæ inserviant: ac premente hostium metu, aut victoriæ laudem prædamq; sibi tribuant: aut fugæ latebras quærant. *Bodin. d. l.* 15

Et sic luce meridianâ clarius apparet, parum † esse præsidii positum in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua nenecessitate & imperio, tametsi tempus incidit, cùm ipsorum furor & repentinus impetus valdè est pertimescendus. *Comina l. 3. comm.* ab extraneo milite propter non soluta stipendia, semel irritato, novæ quotidiè petitiones, novæque belli occasiones & querimoniæ proponuntur & quæruntur. *Polyb. lib. 1.* 16

Quare, ut monet *Hippolyt. à Collib. in princ. c. 21. à pr.* det † operam Princeps, ne auxiliariis militibus, id est, quos ipsi Princeps aliquis vel Respubl. suis sumptibus auxilio mittit, uti cogatur. 17

Fit † enim sæpenumero, cùm ab eo, ad quem missi sunt, neque præfectos neque stipendia accipiant, ut ejus imperium flaccifaciant, prædæ ultra quàm par est, operam dare, omnia vastare soleant. Exemplis plenæ sunt historiæ eorum auxiliariorum, qui proditores, invasores, defectores & desertores extitêre. 18

Quare Therycione † Delphi rediens, cùm videret angustias Isthmi à Philippi copiis custoditas: Malos, inquit, portarum custodes vos habet Peloponnesus: ipsi custodes custodis egere videntur. *Plut. in Laco.* 19

Adhæc: Exteri luxum † & otium cupiunt, disciplinam & laborem aspernantur. *Tacit. 1. annal.* refragantur, non juberi, non regi amant, verùm cuncta ex libidine agere. *4. histor.* Et *Fr. Patritius lib. 9. de Rep. tit. 3.* Auxiliares conducti ex diversis locis, nec disciplinâ inter se, nec affectione consentiunt. Sine pudore flagitii, sine cura Ducum in ipsa etiam pugna, abeunt, fugiunt. *Tacit. d. lib. 1. annal.* graves incolis, omnia tanquam externa aut urbes hostium, urere, vastare, rapere consueverunt. *2. histor.* Sic & *Obrecht. th. 790. & seqq.* scribit. 20

H De-

Digitized by Google

21 De prædationibus, † furtis, sacrilegiis, non tantùm hostes, sed præcipuè amicos & suos, quos defendere debent, affligunt. Nihil his pecuniæ, nihil frumenti, nihil cibi atque potus, nihil lectorum: nihil tegumentorum, nihil vestium relinquunt. Nec eos patrum vulnera, nec matrum lachrymæ, nec cunæ infantũ, non ipsorum infantum innocentes & oculi & vultus, quib. suis spoliatoribus arrident, à sævitia & crudelitate avertere possunt.

22 Denique veræ sunt hirundines † ærarii. *Lips.* & quorum operâ maximè, hodiè,

Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.
Juvenal. Satyr. 8.

23 Et sic abundè à nobis fuit demonstratum, q̃ externæ † gentes in societatem bellorum & ad auxilium præstandum vocatæ atque adscitæ, sæpè damnosæ sint incolis, invadant dominium, & ex auxiliatoribus fiant domini, præsertim verò cùm bellum, ad quod vocantur, est intestinum.

24 Ergóne, inquies, externa & auxiliaria arma prorsus † erunt
25 rejicienda & inutilia? Id v. nequaquam. Præferendos † domesti-
26 cos peregrinis, non planè spernendos hos dicimus. Nam gens † gentem præcedit in bello, & plaga cœli non tantùm ad robur corporum, sed etiam animorum facit. *Veget. lib. 1. de re milit. c. 2.*

27 Quare si major † vis & necessitas ingruat, erunt legendi &
28 adsciscendi: hâc tamen adhibitâ † cautione, ne numerus auxiliariorum ex peregrinis amplior sit, quàm civium & domesticorũ. *Liv. lib. 25. Alexand ab Alex. lib. 1 genial. dier. c. 5. & 20.* Ut si quid tale occurrat, de quo modò dictum, Princeps eis obsistere possit. *Hippolyt. à Coll. lib. d. l.* Quod ipsum monet *Castellan. l. 2. c. 8.* dicens: in bello si auxilia suis legionib. addenda censeat Princeps, animadvertendum, ut ea majora non sint, quàm popularis exercitus. Cn. Scipio in Hispania, cùm exiguum Italorum exercitum haberet, sed magnis Celtiberorum auxiliis confideret, se suosq; perdidit. Nam desertus ab auxiliaribus copiis, cum exercitu ab hostib' cæsus est. Quam rem, cùm *Liv. lib. 25.* narraret; id quidem, inquit, cavendum semper Romanis Ducibus erit, exempla vetera verè pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non

plus

Digitized by Google

plus sui roboris suarumq; ꝓpriè virium in castris habeant. Alioquin videant, ne seriò, sed serò plorent: & fiat illud vetus: Decepit ipse vineam palus suam. *Lips. ex Aristophan.* De sociorum auxiliis idem est judicium *Bodini d. c. 5. n. 577.* dicentis. Sociorum (qui sc. æquis fœderibus ac legibus consociantur) auxilia non repudianda statuo, ut plerisq; videtur: nullum n. magnum imperium sine auxiliarib. sociorum copiis, & opibus augeri, ac ne diu quidē hostium impetus sustinere, aut paulò momento stare potuisse certum est: sed ea sociorū auxilia probo, qui æquis fœderibus ac legib. consociantur. *Mox.* Nullum unquam prælium, præter unū ab Atheniensibus, sine sociali exercitu gestum memoratur. *Plut. in Phocione.* Ex quo sociorum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defectio secuta est. Et *n. 576.* Quæ a. de socialibus copiis dixi, non eò pertinent, ut sociorum copias majores, quàm domesticas esse velim; nec tantā in alienis opib. spem collocare, ut iis obsisti non possit: cùm unicuiq; planum sit, penes eos summam imperii ac rerum omniū esse, qui opib. præponderent: quibus collectis imperiū ac dominatū, si velint, occupabunt, nec v. voluntas imperandi cupidis unquam deerit. Quod si providendum est, ne socialis exercitus domesticis copiis robustior sit, quantò magis cavendum ab exercitu peregrinorum, quib. cum nulla nobis societas, nullū fœdus, nullæ rationes, nisi mercede contractæ? sic ille.

Addimus & hoc: Eos † in societatem esse asciscendos, qui sem- 29
per officium & fidem servarunt, etiam dum incommoda sense-
runt, ut fecerunt Acarnanes. *Polyb. lib. 3.*

Cùm itaq; ea † Respubl. facilè vincatur, cujus vires sunt mer- 30
cenariæ, non vernaculæ, *dicente Thucydide lib. 1. in orat. Corinthio-
rum adversus Lacedæmonios:* hæc stet sententia *Lipsii lib. 5. polit. c. 9.*
vires † & robur exercitus è domesticis sint, nec corpus exteri fa- 31
ciant, sed membrum. Cum ista tamen adjectione: *si fieri possit.*
Necessitati † enim aliquid indulgendum, quæ etiam ante ratio- 32
nem est, maximè in bello. *Curt. l. 9.* Et tùm, quando Princeps
vel Dux belli extraneos milites suis numero plures eligere cogi-
tur, cavendum † jubet *Obr. th. 472.* ne eos simul jungat: sed diver- 33
sa in loca deducat: quia alias facilè contra ipsum conspirare inter
se possunt, ut fecit Gisco *apud Polyb. lib. 1.*

CAPUT OCTAVUM.

UTRUM PRÆSTET EQUItatus, an Peditatus.

1 MIlites alios † pedites, alios equites supra constituimus, utri præferendi, non satis liquet.

2 Equites † extollit *Polyb. l.3.* dicens: Melius est ad belli usus, dimidiam partem peditum habere, & prævalere numero equitum, quàm omnia paria hostibus nactum in aciem descendere. Et *Tacit. de morib. German.* Equestrium virium proprium dicit, citò citò parare, citò cedere victoriam.

Argumenta pro equitatu.

3 Apud † antiquos omne robur belli in equite fuisse, asserit *Aristot lib.4.polit. c. 13.*

4 Sic † Italos omne studium circa equestrem militiam collocasse, & peditum nullam, aut parvam rationem habuisse, testatur *Machiav l. 2. discurs.*

5 Nostra † quoque ætate equitum robore plus semper effectum, cùm in acie hostili perfringenda, tùm in ipsis hostibus aut opinione celeriùs circumveniendis, aut ab iisdem commeatu & auxiliis avertendis, affirmat *Henricus Rantzovius l. 1. comment. bell. c. 11.* Equitatum in bello potiorem esse peditatu, ex bellis etiam
6 Ungaricis constat. Turcæ † etenim, quamvis & hi maximè polleant equitatu, numeroque Christianos longè superent, ab equitibus tamen nostris, tàm in acie quàm in velitationibus, auxilio potissimùm Sclopetorũ vel tormentorum manualium, sæpenumerò profligati & victi sunt, quod memorabilibus historiis ostendit *Philip. Camerar. cent. 3. hor. succisiv. cap. 84. & 85.* Ubi tamen *Boterus* commemorat & scribit, Turcas per equitatum, meliore loci conditione captatâ, victores evasisse, cujus verba paulò post proferemus.

7 Alii ad † protegendos pedites, & ad excursiones ac prædas agendas, ad fugientes hostes persequendos, atque etiam ad equitatum hostilem sustinendum necessarios equites dicunt.

 Con-

Contrà verò plerique robur exercitus in † peditibus consi- 8
stere putant. *Boterus lib. 10. de politia. illustr c. 9. Machiavell. lib. 2. de Repub. c. 18. Lips. l. 5. c. 7.* Suamque sententiam tùm exemplis, Romanorum imprimis, tùm rationibus munire conantur. *Pro peditatu.*

Romanorum † illud fuit institutum, ut plus semper virium 9
ac spei in pedite haberent. Quid enim? legionibus suis orbem terrarum subegerunt, in quibus equites vix decima pars erant. *Polyb lib. 1.* in exercitu Alexandri M. peditum triginta duo millia, equitum verò quatuor millia fuisse perhibent, quibus tamen universum orbem aggressus est, & debilitavit.

Cattis † omne in pedite robur. *Tacit. de moribus German.* 10

Rationes potissimùm hæ sunt: 1. Pedites ubique † prosunt, 11
& omni in loco certare possunt, multa loca penetrare, ad quæ equites pervenire nequeunt: puta montes, sylvas, valles & paludes. Sed nec in mari usus horum: tantùm in campis locisq; planis cernitur.

2. Ad oppida † aut propugnanda, aut expugnanda quis equitum magnus usus? *Lips. d. c. 7.* 12

3. Pedites ordinum † servare, ac eo perturbato, rursus in ordinem redire norunt, equites verò difficilius ordinem servare possunt, & perturbati redire in suas stationes non facilè sciunt. Et auctor est *Machiav. d. l.* quod pedites in aciem rectè instructi ac distributi, longè faciliùs equitum ordines perturbent ac frangant, quàm ipsi ab equitibus frangi & perturbari possint. Ita & *Lips.* Impetum, ait, & procellam equestrem facilè excipit peditatus, si idoneus illi ordo & arma: quod fit per disciplinam. Sine ordine enim inutilis pedestris armatura. Ratio autem & peritia ordinandi ignota antiquis: ideoque in equite apud eos omne robur. *ex Arist. 4. pol. c. 13.* 13

4. Quin pedites longè minori † sumptu & stipendio aluntur. *Veget. l. 2. de re milit. c. 1.* 14

5. Ascribimus etiam testimonium † *Xenophontis*, optimi & militis & historici, qui *lib. 3. de expedit Cyri*, milites suos equis carentes animaturus: decem millia equitum, inquit, non sunt 15

ampliùs, quàm decem millia hominum. Nam ab equi vel morsu, vel calcitratione nemo facilè in prælio periit. Viri sunt, per quos in pugnis omnia geruntur. Atq; hos quidem multò, quàm equites, tutiores sumus. Nam illi in equis hærentes, non nos tantùm metuunt, sed illud etiam, ne ab equis excutiantur: nos terræ firmiter innixi, vehementiùs feriemus & certiùs. Unâ tantùm re nobis præstant equites: securiùs, quàm nos, fugam arripiunt.

16 6. Addunt nonnulli, quòd ut inter homines, ita & † equos magna sit diversitas: alii enim generosi, ac audaces: alii inertes & timidi. Quod si jam, ut sæpè fit, audax equus ignavum sessorē nactus, aut vir fortis equum inertem, alterius semper virtus alterius vitio corrumpitur. Contrà pedes nullius virtuti, præterquàm suæ, fidit: expeditiùs hostem ferit, sese defendit certiùs; firmiùs stat in acie. Unde est illud *Taciti d.l.* Tardiùs vincit fortasse pedes, sed certiùs.

17 7. Fortiore † etiam animo in prælio sunt pedites, quàm equites, cùm omissâ victoriâ certè sibi pereundum esse sciunt, non in equorum celeritate spem habentes aliquam residuam elabendi.

Determinatio Keckeri.

Controversia hæc *à Keckerm. lib. 1. syst. polit. c. 30. fol. 418.* dupli-
18 ci † determinatur distinctione: quarum prior est inter † univer-
19 sum bellum, & pugnam. Ratione universi belli, sive omnium actionum bellicosarum extra prælium, majorem usum pedi-
20 tum esse ait; respectu verò † prælii, tanquam partis belli plus roboris penes equitem.

21 Posterior distinctio sumitur ex † loco, in quo bellum geritur. Nam si loca, inquit, sint montosa, vel invia, major est utilitas peditum, quàm equitum: si verò loca sint plana & expedita, utiq;
22 præstant equites: ideoque monet esse Ducis, ut peditatum † quàm
23 firmissimum habeat: itemque exploret, † num hostis peditatu magis, quàm equitatu valeat: quò sciat, an in campos planiciemque descendere, an verò angusta loca, vepribus, arboribusq; impedita, quærere debeat. *Hippol. in princ. c. 20. fol. 167.*

24 Sic cùm in secund bello † Punico Hannibal cognovisset, equitatum suum Romano esse præstantiorem & ampliorem, Romanos in planiciem provocavit, ibiq; cum illis congressus, ubiq;

vi-

victor evasit. Cùm verò Fabius Maximus Romanorum Dux, suorum clade id animadverteret, non ampliùs in planiciem prodiit, sed in jugis & asperis locis hostem præstolatus est. Inde etiam Xantippus Lacedæmon, è Græcia veniens, acceptam cladem Carthaginensium à Romanis, non esse ab horum fortitudine, sed illorum incuria dixit. Carthaginenses enim robore excellebant quoad equitatum & Elephantos: quia v. non in planitie, equitatui accomoda, sed in locis accliv ib. Romano pediti opportunis decertarent, facilè à Romanis fuerunt devicti. Xantippus itaq; aliter acie institutâ, in planum copiis abductis & collatis manib. cum Romanis, victoriâ haud difficulter potitus est. *Boter. lib 9. de polit allustr. c. 20.* Et *lib. 10. c. 9. fol. 740* immediatam quidem causam victoriarum Turcæ contra Christianos in eo sitâ esse asseverat, quòd Deus suos castigat & punit: proximam verò, quod equitatum ille ex loco plano confligere jubet. Multis, subjicit, persuasum est, nervum rei bellicæ Genizaros (hoc est, satellites perpetuò Imp. Turcicum comitantes, & contra vim atq; insidias ipsum defendentes) esse, sed fallunt & falluntur. Ante nuquam Impp. Turcici Genizaros nutriverunt, occupaverunt Bithyniam, trajecerunt Hellespontum, Philippopolim & Adrianopolin expugnaverunt: Principes Serviâ & Bulgariâ ejecerunt. Ab eo a. tempore, quo Genizaros alere cœperunt, gravissimâ sæpiùs acceptâ clade attriti fuerunt, à Ladislao Rege Poloniæ, Joanne Huniade, Georgio Castriotta, Usuncassano Rege Persiæ, Mammaluchis, Matthia Corvino Rege Ungariæ, fœderatis Principibus Christianis. Et surdo fabulam narrari scribit, si dicas, à Janizaris pugnas jam collapsas restitutas, victoriamque hosti, tanquam è manibus ereptam. Genizari enim, ait, propè Ducem suum adstantes, hostem continuò prælio jam fatigatam integri & nec dum defatigati interdum fugant, in quo sanè quod admiratione dignũ conficiant, non video, quippe ꝙ idem etiam quælibet sive peditũ sive equitũ turmæ, virib. adhuc constantes, æquè facili, si non faciliori præstare negotio possent. Tandẽ concludit *fol. 741.* quod Genizaros, qui numero plerumq; 12. aut 40. millia non excedunt, Christianus Princeps, qui tot numero milites

sub

sub vexillis suis habet, sive ii sint Germani, sive Helvetii, sive Hispani, sive Itali, sive Guascones, extimescat & cedat: Factum id esse asserit per equitatum, qui meliori loci conditione captatâ, viarum aditus intersepsit, consilia nostra intervertit, commeatus aut prohibuit, aut abstulit, auxilia moratus est, fatigavit, trucidavit, idque vidisse nostros Varnas, Nicopolos, Mugacchios, Exechios, Livenzas &c. Contra verò expertos nos aliquoties esse, Turcas, qui plerumque alios pedites benè instructos vicerunt, aut victos aut disjectos esse ab iis, qui equitatu fuerunt pares, puta à Mammaluccis, Polonis, Moscovitis, Persis, aliisque. Et hæc circa posteriorem determinationem.

25 Ad priorem quod attinet, alii manifestis † exemplis ostendunt, longè vim majorem peditatui, quàm equitatui quandoq; fuisse, non tàm in universo bello, quàm etiam in pugna. Quæ res facit ut haud inviti subscribamus illorum opinioni, qui judicant,

26 ista, † ut & alia multa, in politicis ita universaliter determinari non posse, cùm pendeant à circumstantiis locorum, prout etiam modò dictum est circa posteriorem distinctionem, temporum & personarum.

Aliorum, & Auctoris.

CAPUT NONUM.

DE DISTRIBUTIONE EXERcitus in certos ordines sive classes.

1 EX collectione plurium militum (de quibus supra tractationem instituerамus) exercitus † est, dictus ita ab exercitatione. *l. 1. in fin. ff. de testam. milit.* Exercitus enim ipso nomine exercitatos & præparatos requirit. *Scipio Amiratus lib. 20. disc. 2.*

2 Distributio † illius secundùm veterem consuetudinem olim apud Romanos fiebat in legiones & optiones. *Bocer. lib. 1. de bell. cap. 12. n. 6.*

3 Legiones † modò quatuor, modò quinque, modò sex millium: itemque modò ducentorum, modò trecentorum Equi-

Equitum erant, *ex Sigon. Hippolyt. à Collib. in princ. cap. 16. fol. 81.*

Legiones rursus in varios † numeros distribuebantur, veluti cohortes, alas, cuneos manipulos, centurias, decurias, in quos numeros milites relati, & sub eorum signa sive vexilla collocati, jugiter ipsi inhærere tenebantur, nec ab iis sine periculo discedere poterant. 4

Optiones † dicebantur auxilia fœderatorum, quæ legionibus in acie jungebantur. *Alex. ab Alexandro libr. 1. genial. dier. c. 5. & lib. 6. c. 22. lib. 8. c. 3. Rosin. Antiq. Roman. lib. 10. c. 4.* 5

Juxta novam † consuetudinem, quando magnus colligitur exercitus, ejus distributio fit in tria in regimina, quæ Germani Regiment vocant: nempe in Regimen equitum: in Regimen peditum: in Regimen rei armamentariæ, seu eorum, qui rem armamentariam tractant & administrant. *Bocer. d. c. 12. n. 10. Obrecht. disp. de constit. belli, th. 840.* 6

Regimen † equitum in certas cohortes & turmas distribuitur. 7

Cohors † ducentos & quinquaginta, vel etiam trecentos continet. 8

Cùm autem in tota Livii † Historia non fiat mentio cohortium ex eo viri doctissimi nonnulli putant cohortes à Cajo Mario primùm institutas. *Obrecht. th. 819.* 9

Turma † autem complectitur quinquaginta equites: Interdum plures, interdum pauciores, pro arbitrio Ducis belli, & præfectorum equitum. 10

Secundum Regimen, quod est † peditum, distinguitur in certas cohortes, centurias, decurias, seu contubernia. 11

Cohors † 300. vel 400. constat militibus, interdum etiam 500. pro arbitrio Ducis & Præfectorum. 12

Centuria † 100. militibus terminatur. 13

Decuria † seu contubernium constat 10. militibus levioris armaturæ, sive simplaribus, vel 5. duplaribus, quibus præest Decanus seu Decurio, Decurioni præest quinquagenarius: & huic Centurio. 14

15 Quod si cohors † quingentos complectatur milites, nihil melius est atque utilius: quia ita minores fiunt sumptus: & tàm ad repellendam, quàm ad inferendam vim plus roboris habet. *Obrecht. th. 847.*

16 Tertium Regimen rei † armamentariæ etiam in certos ordines distribuitur pro arbitrio Ducis, & pro ratione armorum & machinarum, ita ut quædam classis hujus Regiminis pertineat ad machinas & arma majora; quædam verò ad arma minora.

17 *Connexa exercitus.* Distinctionem exercitus sequuntur ejusdem † Connexa, quæ sunt vel magis digna, vel minus digna.

18 Connexa magis † digna, sunt artifices sive opifices omnis generis, quos exercitui interesse expedit. *Tholozan. lib. 11. de Repub. c. 5.* in quorum censu collocantur fabri lignarii, instructores, carpentarii, ferrarii, pictores: qui arma, vehicula cæteraque genera tormentorum vel nova faciant, vel quassata reparent. *Veget. lib. 2. de re militari. cap. 11.* Itemque tibicines, cornicines, buccinatores. *c. 22.*

19 Minus † digna connexa exercitus sunt calones & lixæ, atque adeò tota illa turba vilium hominum quæ exercitum sequitur der Troß.

20 Ubi annotant rei bellicæ scriptores, quòd singula † tùm equitum, tùm peditum contubernia unum calonem & lixam habere debeant, & jumentum etiam ad minimũ unum ad summum tria, quo sarcinæ istius contubernii commodè possint ferri.

21 Focariæ † verò mulieres & scorta minimè sunt ferenda in exercitu, quia enervant vires militum, & nihil aliud sunt, quàm impedimenta & onera. *Curt. l. 5. de gest. Alex.*

22 Haud vanè olim dictum: Una † Hannibalem hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus, enervarunt fomenta campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est. *Senec. Epist. 51.*

23 Mulieres olim † non erant in castris Romanorum, ut nec in veterum Germanorum. *Tacit. & Just. Lips. de milit. Roman. fol. 344.*

Ro-

Romanis † sanè perniciosissimum videbatur, inesse mulierem 24
comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine moretur, & Romanorum agmen ad similitudinem barbari incessus convertat. *teste Cornelio Tacito lib. 3. Annal.*

Eo consilio Cornelius † Scipio ad Numantiam maximum 25
institorum & lixarum numerum cum duobus millibus scortorum rejecit è castris. *Valer. Maxim. libr. 2. cap. 7. Flor. l. 2. cap. 18.*
Idem usu fuisse receptum temporibus † Friderici I. Imper. 26
hisce versibus manifestum reddit *Güntherus:*

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,
Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mulctabitur ille resecto.

Atque hæc † vera, hæc pulchra militia: non ista nostra, 27
ubi in agmine plus calonum, imò & scortorum est, quàm militum. *Lips. l. 5. polit. cap. 13.* Et ridiculum est in exercitu, ut cùm priora terribilia sint omnia: equi, hastæ, arcus, scuta: posteriora, si desinant in meretrices. *Facius axiom. Polit. 91.*

Addo, quòd hodiè † Turcæ, quos disciplina militaris, 28
belli nervus, adhuc invictos præstitit, ex castris fœminas removent, *referente Renato Lusingano lib. 1. cap. 5.* 29

Ductio † exercitus est vel per propriam regionem, vel per alienam. *Ductio exercitus per propriam vel alienam regionem.*

Si per suam † regionem Princeps ducit exercitum, sedulò animadvertat, ne subditis damnum inferat, neve prædetur aut devastet. 30

Si per † alienam, eamque hostilem, fiat id cautè, providè, 31
diligenter exploratis omnibus, insidias evitare studeat, ne fortè inter prædandum opprimatur. *Frontin. l. 1. c. 4. Kirchn. in Repub. disp. 21. th. 4. ad lit. B.*

Si verò per regionem alterius cujusdam † amici exercitus 32
ducendus, militem maximoperè in officio contineat, ne vel molestus vel damnosus sit iis, per quorum fines ducitur: & ductio illa per amicorum agros non minus maleficio careat, quàm quæ per proprios fiat. *Vopiscus in Aurel.*

33 Locus, † per quem exercitus ducendus est, diligenter explorandus, sitne expeditus & tutus, vel minus, an sit angustus, sylvosus, montosus, sintne ibi trajicienda flumina, necne. Deducendo exercitu per loca angusta, itemque per flumina, & de comparandis ad eam rem idoneis instrumentis, videatur *Henricus Rantzovius lib. 2. de bell. c.10. Vincent. Castellan. lib. 2. off. reg. c.18. 59. 60. 65.*

34 Denique curandum est, quomodo sanitas † exercitus conservetur, quod fit locis, aquis, temperie, medicinà, exercitio. *Veget. lib.3.c.2.* Quare ut monet *idem lib.1. c.22. lib. 3.c. 8. & Alex. ab Alex. lib.1. genial. dier. c.12.* in castrametatione † eligatur locus, ubi & lignorum, & pabuli, & aquæ suppetat copia, spectetur loci salubritas: cavendum ne mons † sit vicinus altior, qui ab adversariis captus possit officere: ne sylva densa. Considerandum etiam, an torrentibus † inundari consueverit campus, & hoc casu vim patiatur exercitus.

Sanitas exercitus tuenda.

Castrametatio.

35

36

37

38 Castra † quod concernit, ea interdum quadrata, interdum trigona, plerumque rotunda, nonnunquam semirotunda, semicycla & lunata: ut si qua major vis ingruat, milites sint in tuto, & prout loci natura seu qualitas, angustia & laxitudo, planities, vel locus montosus, militaris multitudo, & tempus patitur, facienda sunt. De munitione castrorum vid. *c. 24. cum seq. Castellan. d. lib. c.45. 47. & 52.*

CAPUT DECIMUM.

DE PERSONIS ET OFFICIARIIS militaribus.

Actum huc usque à nobis de militibus, proximum est, ut dicamus de gubernatoribus, & officiariis in bello, quorum Catalogum nobis exhibent *Leonhardus Fronspergius, Lazarus Suendius, Wilhelmus Dilichius, in discurs. milit. Obrecht. in disp. de constit.*

constit. bell. th. 851. & seqq. Bocer. lib. 1. de bell. cap. 13. n. 13. & 14. & novissimè *Keckermannus lib. 1. syst. polit. c. 30. Schönborn. lib. 6. c. 15.* Ordo sit talis.

Rectores † & officiarii sunt vel respectu totius exercitus, vel respectu certæ ejus partis. 1

Respectu totius † exercitus, sunt vel majores & superiores, vel minores & inferiores. 2

Majores † officiarii sunt iterum vel cum magistratu, vel sine magistratu & potestate jubendi. *Keckerm. d. l.* 3

In superiorum numero habentium † imperium sunt hi: 4

Dux belli, der Feldherr oder Feldoberste.

Vicarius Ducis belli, sive Legatus, qui hodiè vocatur Locumtenens, der Obriste Leutenant / qui absente Principe ejus vicem gerit, & locum tenet, unde & Leutenant vocatur, quandoque etiam Magister equitum, der Feld Marschalck / ea expedire solet, quæ hujus sunt muneris.

Consiliarii Militares, sive Diribitores, die Kriegs Räthe.

Hi sunt vel ordinarii & certi, vel extraordinarii & incerti.

Ordinarii, sunt Magister equitum, Magister rei armamentariæ, Magister seu præfectus peditum. Hi enim cum Duce belli semper totius exercitus generalem curam gerunt, & de illius commodis & incommodis consultant. *Obrecht. th. 190.*

Extraordinarii Consiliarii ex toto exercitu sunt delecti, nempe veterani milites, qui singulari experientiâ rei militaris pollent. *Idem th. 151. Fronsperg. lib. 3.*

Quæstor & custos ærarii Castrensis, der obriste Pfennig-Meister / qui pecuniam ad bellum necessariam conquirit, conquisitam asservat & erogat.

Supremus annonæ præfectus, der obriste Proviantmeister / qui rei frumentariæ præest: curat quâ ratione commeatus adduci possit, & quàm commodè distribui.

Supremus metator sive mensor, der obriste Quartiermeister / ad quem spectat castrorum positio, valli & fossæ destinatio, mansionum & tentoriorum in castris designatio.

Supremus excubiarum præfectus, der obriste Wachtmeister /

 cu-

cujus muneris est excubias ordinare & educere reliquos inferiorum ordinum præfectos in severa disciplina continere: Tesseram militarem acceptam à Magistro equitum clam distribuere, excitato tumultu, exercitui indicere, quo loco concertatio fieri debeat.

Supremus rerum capitalium præfectus & judex, der obriste Feld Profos. Hic justitiam administrat, delinquentes coërcendos tradit præfectis justitiæ inferioribus: securitati itinerum prospicit, & ne quid in transitu rapiant milites.

Supremus incendiorum Magister, der obriste Brandtschätzer / qui habet potestatem permittendorum incendiorum, & pecuniæ extorquendæ ad redimenda incendia: ita tamen ut sine mandato supremi Ducis nihil possit incendere, nec pecuniam in causâ redimendorum incendiorum extorquere.

5 Officiarius superior sine † magistratu, est Archiater exercitus, der obriste Feld Artzt.

6 Succedunt Officiarii minores † sive inferiores, in quorum censu sunt;

Secretarius Ducis belli, & ejus scribæ, quorum ministerio Dux utitur in scribendis epistolis, & subindè etiam in legationibus subeundis.

Fecialis, der Heroldt / cujus partes sunt promptè exequi, si quid Imperatoris vel Ducis nomine militibus indicandum est, atque adeò vel mandandum, vel prohibendum. Certa ejus solent esse insignia, nempè amiculum sericum vel bombycinum, in quo à fronte & à tergo insignia Ducis belli depicta sunt: in manu gerit candidum bacillum, & præcedunt eum equites, tubicen, quoties aliquod publicè proclamandum est. *Obrecht. th. 214.*

Atque hi sunt officiarii generaliores, respectu totius exercitus, seu Regiminis totius, die im gantzen Regiment Volck Befehl haben.

7 Succedunt officiarii respectu partis † in excinctu, ejusque vel majoris vel minoris.

Offi-

Officiarii respectu majoris † partis, sunt vel in Regimine equitum, vel peditum, vel rei armamentariæ. 8

In Regimine † equestri sunt vel superiores vel inferiores. 9

Inter superiores cum † imperio, excellit Magister equitum, der Feldmarschalck oder Rittmeister/ qui custos est disciplinæ militaris. 10

Hunc sequitur Vicarius, qui absente magistro ejus vicem gerit, der Feldleütenant.

Præfectus equitum, qui tamen plures esse solent, Befehlchshaber vber die Reuterey.

Proximi ab his sunt eorum vicarii.

Succedit equestris Metator, der Reisigen Quartiermeister/ qui castra & mansiones designat equitibus.

Equestris præfectus excubiarum, der Reisigen Wachtmeister/ qui præest excubiis equitũ, & tesserã militarẽ accipit, & distribuit.

Post hunc est equestris prætor, sive præfectus rerum capitalium, der Reuterey Profoß.

His decuriones equestres addit *Obrecht. lib. 858.*

Imperio qui † carent: in Regimine equitum, sunt Pastor, Medicus, Chirurgus. 11

Inferiores † officiarii, sunt Scribæ, Tubicines equitum, & Tympanistæ, die Heerpaucker. 12

In Regimine † peditum itidem sunt officiarii vel superiores, vel inferiores. 13

In superiorum † classe ponuntur. 14

Magister peditum, der General Befehlchshaber vber das Fußvolck.

Vicarius ipsius, sive Leutenant.

Tribuni peditum, & horum vicarii.

Scultetus, sive Judex generalis peditum, d' Regimentsschultz/ ejusq; Assessores sive collegæ, quorum 12. numerantur. *Fronsperg. part. 1. lib. 1. fol. 1. à pr.*

Præfectus vigilum, sive excubiarum.

Pedestris annonæ structor, Provantmeister vber dz Fußvolck.

Metator, sive mensor pedestris, Quartiermeister vber das Fußvolck.

Pedestris executor rerum capitalium, Profoß.

De-

Decuriones, die Rottmeister.

15 Imperio † carent: Pastor, Medicus Chyrurgus, & Scriba Judicii.

16 In inferiori † nave resident:

Lixarum & calonum ductor, Führer vber den verlornen Hauffen.

Apparitor Judicis, sive Sculteti.

Custos carceris, Stockmeister.

Lictores, qui capiunt condemnatos, & in carcerem conjiciunt, die Steckenknechte.

17 Officiarii in Regimine rei † armamentariæ, in der Arckley Regiment/ etiam sunt duplices: Superiores & inferiores.

18 Superiores † sunt:

Supremus rei armamentariæ præfectus, der öbriste Zeug oder Arckleymeister/ qui his artibus instructus sit, necesse est: Pyrobolia, der Fewerkunst. 2 Metrica, Meß vnd Abreißkunst. 3. Balistaria, Büchsenmeisterey. 4. Geometria. 5 Architectura. 6. Arithmetica. *Schonborn. d. c. 15.* Die Kunst zu bawen / zu brechen / beschiessen/ miniren, bestürmen/ soll jhm wol bekandt seyn. Item, er soll wissen alle geschütz vnd Munition in Feldzug anzurichten/ wie jedes seiner Ordnung daher gehen vnnd geführet werden soll/ es sey in der Freund oder Feind Land/ von oder zu den Feinden/ auff ebenem oder gebirgigem Land/ er soll auch ein Verstande haben zu Wasser bawen/ als Schiffbrücken vnd andern notdürfftigen Sachen/ damit man über die Wasser ein Zeug bringen möge/ ut sunt verba verba *Fronsperg: i part. 1. lib. 4. fol. 67.* ubi & alia ejus requisita describit.

Post sequitur vicarius ejus.

Quæstor armamentarius, der Artaley Zahlmeister.

Aggeribus struendis præfectus, der Schantzmeister.

Quæsitor rei armamentariæ, der Artolorey Profoß.

Custos rei armamentariæ, der Zeugwarter/ qui omnem rem armamentariam habet sub sua potestate.

Aurigarum præpositus, der Geschirrmeister.

Quadrigarum, sive vehiculorum præfectus, der Wagenmeister.

Fos-

Fossorum & cunicularioꝛum præpositus, Schantzbawren Häuptmann.

Pontium Magister, der Brückenmeister.

Absque † Magistratu sunt: Pastor & Chirurgus. 19

Inferiores † in hoc regimine sunt tales: 20

Præfectus machinæ fulminalis, der Büchsen-oder Schützenmeister.

Custos nitrati pulveris, der Pulverhüter.

Fossores & cunicularii, die Schantzgräber.

Bajulus, der Schnäller/ & ejus administri, qui onera de curru in currum, de vehiculo in vehiculum curant transferri.

Hactenus de officiariis respectu partis exercitus, & quidem majoris, sive Regiminum trium: restant officiarii respectu partis minoris, cohortium scilicet, tùm in equitatu, tùm in peditatu.

Officiarii in cohorte † equitum, sunt vel superiores vel inferiores. 21

Superiores † sunt: 22

Præfectus equitum, Befehlchshaber oder ein Fähnlein Volcks.

Illius Vicarius.

Vexillarius, qui à præfecto equitum, consensu magistri equitum, constituitur.

Equestris diversoriorum designator, der Reisigen Fuhrirer.

Centuriones equestres.

Decuriones.

Inferiorem † locum in cohorte equitum tenent tubicines. 23

Singulæ enim cohortes equitum singulos habent tubicines. *Keckerm. d. l.*

In cohorte † peditum Officiarii similiter sunt vel superiores vel inferiores. 24

Superiores † potestate armati sunt hi: 25

Tribunus peditum, qui totam cohortem gubernat.

Ejus Vicarius.

Signifer, cujus officium in qualibet cohorte magnum est & singulare.

Digitized by Google

Ordinum structor, qui vel superior, vel inferior.

Superior ordinum structor observat vitam & delicta militum in ista cohorte: deinde etiam aciem & ordinem instruit & adornat, der obriste Feldwebel.

Inferiores ordinum structores ex veteranis militibus eliguntur, & hoc munus gerunt, ut in expeditione militem intra factos ordines contineant, & pulverem nitratum inter Sclopetarios distribuant, ut & commeatum ab annonæ structoribus acceptent. *Schonb. in fin. c. 15.*

Ordinum ductor, der Führer/ qui in expeditione cohortem suam præcedit, eamque ad locum deputatum deducit.

Pedestris diversoriorum designator, des Fußvolcks Fuhrirer.

Centuriones pedestres.

Decuriones.

26 Inferiorem † locum obtinent.

Fistulatores, quales duos quælibet cohors habere solet: & tympanistæ, quos itidem duos cohors habet.

Hactenus de officiariis manifestis & apertis in bello, præter quos sunt etiam occulti, exploratores scilicet, quorum usus Duci admodum necessarius est, ad consilia hostium cognoscenda, de quibus inferiùs de proditionibus & explorationibus ex professo sumus acturi.

CAPUT UNDECIMUM.

DE DUCIBUS, EORUMQUE Generibus & Requisitis.

A Militibus & officiariis belli transitum facimus ad Rectores, Gubernatoresque ejusdem, quos in prælimine capitis præcedentis diximus esse Ducem belli, & ipsius Vicarium seu Legatum. De his ex professo & speciatim jam verba sunt facienda.

Go-

Gubernatores † ergò seu Duces duorum sunt generum. Aut 1
enim primarii sunt, aut secundarii.

Primarii † sunt, qui summæ rei imperant, suisque auspiciis 2
& ductu rem gerunt, ut sunt Reges aut Principes in suo solo.

Secundarii, † qui imperantis alterius nutu sive jussu imperant, & rem gerunt, ut sunt Administri & Legati bellorum ab Imperatoribus, Regibus & Principibus constituti. *Lips. lib. 1. polit. cap. 14.*

Expedit † verò, ut imperii militaris summa sit penes unum, 3
non plures. Nec enim de nihilo invaluit adagio: *Multi Imperatores perdidère Cariam.*

Multi † siquidem imperantes habent imperium & regimen 4
nullum, aut incertum & discordiis obnoxium.

Nam inter † tales certamina oriuntur, qui alteri impera- 5
re & jubere possit, & ita in extrema discrimina exercitum adducunt: pugnandum ille, abstinendum hic esse imperat: quo sæpiùs optimæ occasiones hostium frangendi vires impediun-
2 tur, quod Gallis accidisse conqueritur *Gregor. Tholozan. lib. 11. de Republ. cap. 4.* Hinc etiam est illud *Polybii libr. 3.* Si primarii Duces dissimiles discordesque sunt, nihil in exercitu perniciosius accidere potest.

Insuper, quod multorum commune † est, id nemini curæ 6
esse solet. *Aristot. 2. Polit.* Ergò legendus unus peritus, prudens, ne is, quem tu imperare jusseris, sibi alium Imperatorem quærat. *Salust. in Jugurth.*

Numantini † Romanos, quòd disparibus gubernaren- 7
tur Ducibus, sæpissimè fuderunt: at mutato † Duce, & sum- 8
mâ rerum Scipioni traditâ, fortuna quoque versa est. Unde Numantini senioribus suis, ecqua de causa ab iis, quos sæpè fugassent, toties nunc funderentur, percunctantibus responderunt: Easdem quidem esse oves, at pastorem sive Ducem alium ac diversum.

Sed & Dictatori † iidem Romani tempore belli, Imperii 9
militaris summam committebant.

Digitized by Google

10 Et Dux quidem primò † eligendus est, posteà præfecti, tandem milites, ex suasu & mente *Obrechti in disp. priori de bello.* Sed hodiè, inquit, plerumq; inverso ordine primò eliguntur præfecti seu Tribuni militum, quos vulgò Capitaneos vocant: & hi deinde militem conquirunt. Collecto milite, de Duce belli agi solet, minùs rectè. Si enim statim à principio Dux belli constitueretur: posset deinde cum hujus consilio de electione præfectorum, & collectione militum agi. *th. 636. & seqq.*

Requisita boni Ducis.

11 Deveniemus ad boni Ducis requisita, † τεκμήρια, seu notas, quarum quatuor ponit *Bocerus. l. 1. de jur. bell. c. 7. n. 10.* quinque *Justus Lips. l. 5. polit. c. 15.* sex *Gregor. Schonborn. l. 5. c. 11.* Duodecim verò *Keckerm. in syst. l. 1. c. 30. fol. 453. & seq.* Præcipuas, quibus reliquæ comprehenduntur, attingit *Lips.* scientiam scilicet rei militaris, virtutem, providentiam, felicitatem & auctoritatem. Has ipsas, exceptâ providentiâ, ponit *Bocer. Marcus Tull.* de Pompeii laudibus differens: Hæ sunt, inquit, virtutes Imperatoriæ: fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. Omnium tamen istarum virtutum genere qui excelluerint, perquàm pauci in omni ætate sunt inventi.

Scientia rei militaris.

12 Primò ergò *peritia* † seu *scientia rei militaris* requiritur, ut Dux artis suæ sit gnarus, & in militia probè exercitatus, nullumque genus belli sit, in quo fortuna ipsum non exercuerit. *Cic. pro Milon. & pro Leg. Manil. Francisc. Patrit. l. 9. de Repub.*

13 Qualiter varii † casûs edocuerunt Alexandrum M. Julium Cæsarem, Hannibalem, C. Marium, Cn. Pompeium, & alios. E scribit *Polyb. l. 1.* quòd ab hujusmodi Imperatore exercitus, licet exiguus, ductus, fortior sit, quàm maximus exercitus, quem Dux imperitus gubernat.

14 Quisquis † enim exercitui imperat, cùm nunquam fuerit miles, is planè Hecatomben hostibus educit. *Stobæ. Sermon. 52.* Nec non *Xenoph. lib. ult. de pædia Cyri.* Quod si rei militaris non periti, sed cujusvis vocationis homines ex favore, non ex virtute, & merito exercitui præficiantur, studium militare perit.

Quare *Obrecht. in disp. de suscept. bell. th. 562.* improbat, quòd ho-

Digitized by Google

hodiè † plerumque Dux belli constituitur, qui generis splendore, & non scientiâ rei militaris excellit, in qua re quàm periculosè erretur, experientiam testem adducit. Non ergò nisi peritus, & usu militari confirmatus Dux eligi debet, qui industriam antè probavit. 15

Scientiam tamen rei militaris in † superiore non necessariò requirit *Obrecht. d. diss. th. 574.* si Vicarius hunc defectum suppleat. 16

Intelligitur verò hic non tantùm generalis † illa scientia, quæ habetur ex doctrina, lectione & auditione, sed potissimùm specialis, ex usu, ex propriis casibus & experientiâ, ut quæ alii audierint, ipse viderit, & gesserit: quæ alii legendo ipse militando didicerit. Hæc scientia rei militaris comprehendit sapientiam in consulendo, consilium in providendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo (quæ necessaria antevertit impedimenta, hostem attonitum, & Ducem mirabilem facit, qualis prædicatur in Alexandro Magno, Julio Cæsare, qui pontico triumpho trium verborum prætulit titulum: *Veni, Vidi, Vici, Sueton. in ejus vit. c. 37.*) & in consilio ex tempore capiendo promptitudinem, sagacitatem in stratagematibus &c. 17

Secundo loco est *virtus* † *Ducis*, animi scilicet probitas seu fides, continentia & temperantia, fortitudo in periculis, patientiaque in labore, audacia & alacritas. 18 *Virtus.*

Fides; † ne se patiatur corrumpi largitionibus. Nullum enim officium tàm sanctum atque solenne, quòd non avaritia comminuere ac violare soleat. *Cic. pro Milon.* cujus rei exemplum est in Arato, Achæorum Duce, qui nonnihil deflexit, cùm à Ptolomæo Philopatore Rege Ægypti decem talenta dono accepisset. *Plutarch. in Arato.* 19 *Fides.*

Continentia † *& temperantia*, ne pecuniam stipendiis exolvendis deputatam, aleâ perdat, in Venerem aut in Bacchum convertat. *Bocer. d. l.* Nec potest exercitum is continere Imperator, qui seipsum non continet. *Cic. pro L. Manil.* 20 *Continentia.*

Victoriis † plurimis insignis & propè invictus habitus fuit Hannibal, ast illum Campanæ voluptates hyeme unicâ perdi- 21

 derunt,

derunt, atque ita ejus enervarunt exercitum, ut à Romanis tandem profligaretur.

23 Et Ludovicus † Rex Germanorum, cùm apud Veronam luxui daret operam, ex insidiis & captus, & oculis captus fuit. *Bocer. ibid.*

24 *Fortitudo:* † Fortis enim Dux est instar omnium. *Procop. lib. 1.* *Fortitudo.* *de bell. Gothor. cap. 15.* Non verò est vir fortis, cui in ipsa rerum difficultate non crescit animus. *idem ibid.* Quare desperatio † fortem & prudentem Ducem minimè decet. *idem Procop.* 25
26 *lib. 1. de bell. Vandalic. c. 14.* Nihil † certè Reipub. damnosius, nihil homini turpius, quàm si illius fidei credatur exercitus, qui in imperando primas in bello sibi vendicat: Ubi ad manus ventum est, post principia sibi cavet loco, ut loquitur *Antonius Guevara in Horolog. princ. l. 1. cap. 3. & Bocer. fol. 52.* Quid Ducis peritia prodest, si ei magnitudo animi desit, si ignavus, & timidus colorem hoste conspecto, mutaverit? Si prælium quando committendum, post principia steterit: si non in manuum robore, sed pedum celeritate spem salutis positam habuerit: si Aratum Sycionium Ducem electum imitatus fuerit, qui ad rem cùm erat deventum, pugnæ solùm spectator, & quidem procul esse consuevit.

27 *Audacia:* † Virtus Ducis præcipua est. *Appian. de bell. Syr.* *Audacia.* *fol. 91.* Uniusq; audacia alios ad idem audendum impellit. *Procop. lib. 2. de bell. Gothor.*

28 *Alacritas* † requiritur, ut lætitiam vultu, incessu, verbis *Alacritas.* præ se ferat Dux, spem vultu simulet, premat alto corde dolo-
29 rem, ut ait *Maro.* Sapientis † enim Ducis est, nullâ mentis aut sermonis perturbatione capi, sed hilari vultu respondere, & adversariis hoc pacto incutere timorem. *Procop. lib. 2. de bell. Pers. cap. 11.* suis verò militibus metum eximere, eos confirmare & animare. *Zvvinger. in theat. hum. vit. volum. 7. lib. 3.* si non tuâ, at aliorum causâ, & linguam tuam, & te totum ad hilariorem habitum conformato: imitare solertes gubernatores, qui & adventantibus, & jam urgentibus periculis tristitiam dissimulant. *Gregoras. lib. 8.*

Ne-

Necesse † siquidem est ad fugam parati sint, qui sentiunt 30
Ducem suum desperare. *Agath. lib. 2.* præsertim cùm animis † 31
penè omnium hominum hoc naturaliter eveniat, ut trepident,
cùm ad conflictum venerint. *Veget. lib. 3. c. 12.*

Dux ergò sapiens, ne populus in rerum † extremo constitu- 32
tus, despondeat animum, benignè provideat. *Procop. libr. 2. de
bell. Gothor. c. 4.* ipsique exemplo suo præeat. Alexander † ille ve- 33
rè Magnus, cujus vultus interritus certam spem victoriæ mili-
tibus promisit, *teste Curtio lib. 4. de gest. Alex.* & antequam in
Asiam transiret, immunitates reditusque ingentes in Macedo-
nia donavit. Cùm autem Perdicca amicorum unus ei diceret:
Omnia dando quid sibi retineret: Respondit, spem bonaq; Per-
sarum. Admirabili fiduciâ ostendens, se quod adhuc in potesta-
te hostium erat, ceu rem propriam ducere. Eâ permoti spe Ma-
cedones, spretis muneribus, quæ tunc Alexander repræsentabat,
solâ ipsâ spe cum ipso contenti manserunt, longè pluris eam,
quæ nondum venerat, quàm præsentia munera facientes. Præ-
luceat Julius † Cæsar, in cujus castris cùm timor esset exortus, 34
ipse ad timidos desperantes de pugna orationem habuit, cur de
sua virtute desperarent &c. quâ oratione habitâ, mirum in mo-
dum conversæ sunt omnium mentes, summaque alacritas & cu-
piditas belli gerendi innata est. *in Comment. Cæsar. lib. 1. fol. 41. 42.
& lib. 2. fol. 68.* itidem milites est cohortatus, ut suæ pristinæ vir-
tutis memoriam retinerent, nec perturbarentur animo, hostium
impetum fortiter sustinerent. Quod ipsum *lib. 7. fol. 242.* fecit La-
bienus, & voluit, ut milites pristinæ virtutis & tot secundissimo-
rum præliorum Cæsaris memoriam tenerent, atque illum ipsum,
cujus ductu sæpenumerò hostes superassent, adesse existimarent.
Ob oculos etiam versetur Agesilaus, † qui quoties in metu esset 35
constitutus, hilaritatem præ se tulit, in rebus contra secundis
humilem se gessit, *Auctore Xenophonte.* Itemque Scipio
† Africanus, Papyrius cursor, de quo refert *Liv. l. 10.* non fer- 36
mè alium Ducem lætiorem in acie visum, seu suopte ingenio,
seu fiduciâ benè gerendæ rei. Nec non C. Marius, † qui ætate 37
adhuc vegetâ & robustâ res maximas confecit: dum ipsemet
pri-

Digitized by Google

primò aciei ordini ubique immixtus, omnes ad eandem virtutem accendit. Ingravescente verò ætate, vigoreque animi unà cum sanguinis calore deficientibus, nihil effecit, quod pristinis conferri queat, ut ex bellis civilibus videre est. Ob oculos versetur Hannibal.

38 † Hic cum Romanis ad Cannas congressurus, paulò ante pugnam cùm ascendisset tumulum paulò editiorem, è quo & multitudinem intueretur Romanorum & ordines: quique illi astabat Gisco quasi obstupefactus, cùm dixisset, mirari tantam se multitudinem: tùm ipse, qui obstupefactum illum de numero intelligeret, ne qui adessent, simili terrore caperentur, conversus ad illum contractâ admodum fronte: quantò majus, inquit, mirum tibi videatur Gisco, illud si cogitaveris, in tanta illa hominum multitudine, qui Gisco appelletur, omninò esse neminem. Quod dictum cùm statim inter acies emanasset, ad risumque converterentur omnes eam vim habuit, ut singuli existimarent, iis dictis propterea jocari Annibalem, quòd de Romano exercitu putaret jam actum. Effecit igitur maximè cautus Imperator ac prudens ex hoc dicto, milites ad capessendam pugnam tùm promptiores detracto metu, tùm de victoria penè certos, qui viderent tanto in discrimine Imperatorem suum jocari. *Boter. lib. 10. politiæ illustrium c. 5. fol. 715.* Viden' ergò spem & certitudinem victoriæ majores stimulos addere militibus.

39 Julio † Cæsari peculiaris & frequens fuit ratio ad existimulandam & augendam militis fortitudinem: dum tantum aberat, ut famam potentiæ copiarumque hostilium imminueret, ut etiam quoad liceret, eas exaggeraret. Animadvertens itaque aliquando, militum suorum animos Regis Jubæ populosissimo & florentissimo exercitu consternatos esse, convocatis indicat, certo sibi compertum, adventare hostem centum myriadibus equitum & trecentis Elephantis instructum: peditem verò non posse numerari. Ideò autem hoc fecit, ut exercitus, ubi si adversus tàm immensam, fictitiam tamen hostium multitudinem muniit, cognitâ deinde ipsorum paucitate, animo magis de Victoria confirmaretur. Idem *Boter. lib. 9. c. 23. fol. 703.*

Sit

Sit ergò Dux † alacer extra pugnam, & in pugna, animo 40
esse opus reputet, suisque simul confidentiam & animum inspi-
ret, in mentem revocet, omne decus, gloriam & libertatem
patriæ jam esse tuendam ac vindicandam: paventibus occurrat,
cedentes retineat, excitet consilio, manu, voce. *Tacit. 3. hist.* ex-
emplo Cæsaris, qui *teste Lucano lib. 7.*

Subiicit ipse manu gladios, ac tela ministrat,
Promovet ipse acies, impellit terga suorum
Verbere conversa cessantes excitat hasta.

In † pugna ipsemet plerumque in opere, in agmine grega- 41
rio militi mixtus, strenui militis & constantis Imperatoris offi-
cium simul exequatur. *Tacit. 5. hist.*

Ita Metellus modò primis, modò postremis, modò in me-
dio consistentibus adesse solebat, ne quisquam ordine egrede-
retur. *Salust. in Jugurth.* Quod si trepidæ † apparent res, major 42
sumenda est audacia. Infirmi ingenii est, lapsu aliquo, summæ
rei diffidere, cùm exiguis momentis subitò inclinentur omnia,
quæ in bello geruntur. *Egesipp. l. 4. c. 2.* In rebus asperis, & tenui
spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt. *Liv. l. 25.* Quin
plurium quandoque præliorum eventus inter initia contra il-
los magis fuit, quibus victoria debebatur. *Veget. lib. 3. c. 25.*

Nimiam † tamen audaciam, seu insulsam, ut vocat *Procop.* 43
l. 2. de bell. Pers. c. 9. quæ, ipso dicente, in exitium ducit, & temerita-
tem Dux fugiet. Ego id esse verum existimo, inquit *Polyb. lib. 4* te-
meritatem sæpenumerò hostes ad insaniam & ad nihilum addu-
cere solere. Documentum ejus rei in Chabria ponit *Plutarch. in
vit. Photionis*, dicens: Chabrias suapte naturâ ad ineunda peri-
cula tardior, posteaquà cœpisset cum hoste conferere, irâ nimiâ
concitat⁹, vehementer solebat accendi, Imperatorii officii facilè
oblivisci, sese temerè periculis objectare: cujus audacia, quò tan-
dem par erat, evasit. Nam in pugna navali adversus Chios prim⁹
omnium in hostile littus invectus, cùm pro explicando in terram
milite in occurrentes hostes audaciùs proruisset, pugnans con-
fossus est. At v. Photion & in cavendo periculo prudens, & in-
gerendo negotio impiger, illum & cunctantē incitabat, & com-
pescebat nimia audentem. L Præ-

Digitized by Google

Præterea non solùm bellandi virtus in summo atque perfe-
44 cto Imperatore quærenda est, sed multæ † sunt partes eximiæ, hujus administræ comitesque virtutis: quas nisi aut omnes, aut plerasq; habeat, non potest in aliquo numero haberi. *Lips. d. c. 15.*

45 Habeat ergò exactè cognitam rationem † castrorum metandorum, & aciei prudenter disponendæ, ad resistendum, vel vim inferendã. Maximè siquidem veritati litat, quod tradit *Veget. l. 3. c. 15.* plurimum momenti est in instructione aciei; si sapienter disposita, plurimùm juvat: si imperitè quamvis optimi bellatores, malâ dispositione franguntur.

46 In acie † instruenda & dividenda utile nonnulli censent, per gentes eam nationesque disponi, ut discretus labor fortes ignavosque distinguat, atque ita ipsâ contentione distinguantur & accendantur, idque ut exteri & mercenarii proximi sint discrimini, & domestico sanguini parcatur. *Lips. libr. 5. polit. cap. 16. Dn. Matthias Bernegger. dodecad. 2. in Tacit. q. 3.*

47 Danda verò est opera Duci, quoad ejus fieri potest, ut prior † ipse aciem instruat. *Veget. lib. 3. c. 19.* quia tunc ex suo arbitrio potest facere, quod sibi utile judicat, cùm nullus obsistit, & sic

Acies priùs instruenda.

48 etiam confidentiam suis auget, hostibus imminuit. Fortiores † enim videntur, qui provocare non dubitant, & plus animi est inferenti periculum, quàm propulsanti. *Alexand. ab Alex. libr. 4. gen. dier. c. 7.* Cui calculos suos addit *Joann. Boter. lib. 6. polit. illustr. c. 7.* dicens: Veteribus hoc nunquam dubium: satius esse provocare quàm provocari, *& paulò post*: Martis eventus, qui ancipites sunt, plerunque favent lacessentibus.

49 Forma † aciei pro ratione circumstantiarum, loci & hostis, diversa ac varia est: & ita comparata esse debet, ut non tàm ad resistendum ac inferendum, quàm ad redintegrandam aliqua ex parte ruptam aciem, sit accommoda. Qua de causa Romanorum aciei dispositio cæteris omnibus præstantior videtur. *Besold. class. 2. disp. pol. 7. th. 40. post Machiavell. in comm. de re milit. & alios ibi alleg.*

50 Inprimis tamen Dux & milites caveant, ne ordo † aciei perturbetur: id unicè autem agant, ut ordinem aciei hostilis interturbetur: id unicè autem agant, ut ordinem aciei hostilis inter-

tum-

Digitized by Google

rumpant. Nam in his duobus totus cardo prælii vertitur. *Keck.l.1. syst. polit. c.30. fol. 496.* Unde *Boter. lib.9. polit. illustr. fol. 619.* tradit experientiam testari milites Italos propter ordinis defectum & neglectum parvi fieri. De instructione aciei videatur *Leo Imp. de appar. bell. c.18. Rantzov. lib.3. cap.4. Dillich. part.2. lib.1. Veget. l.b.3. c.14.* Ubi præcipit, ut flos † & robur belli in primo & ultimo, 51
fex in medio collocetur ordine, ut vel nolens cogatur depugnare, de qua dispositione ita canit *Homer. Iliad. 4.*

Atque equites posuit cum curribus ordine primo,
At peditum à tergo floremq; & robora, belli
Munimen septumq;, sed in medio agmine viles
Ignavosq;, uti vel nolentes depugnarent.

Ad victoriam † quoque plurimum confert, *scribente Vegetio* 52
lib.3. c.17. Ut lectissimos de peditibus & equitibus habeat Dux post aciem in subsidiis præparatos, ut sicubi hostis vehementer insistit, ne rumpatur acies, provocent subitò, & suppleant loca. *Subsidia post aciem collocanda.*
Nam qui † superveniunt, terribiliores sunt hostiis, qui in manibus sunt & pugnant. *Thucyd. lib. 5.* Inopinata enim maximè 53
movent & terrent, & sæpè milites vanis & inanibus magis, quàm justis formidinis causis moveri compertum est. *Curt. lib. 4.* Conf. *Tholozan. lib. 11. de Repub. c.3. & 4.*

Locum † castra ponendi, pugnandivè ipsum Principem, si fieri 54
potest, belli Ducem, ejusque opportunitatem despicere debere, vult & requirit *Hippolyt. à Collib. in princ. c.19. fol. 100.* ut hostem secure, eumque opportunè aggredi, aut includere possit. Sanè dimidia † victoria in loci opportunitate & consideratione est posita, an sit planities, an valles, an paludes, an sentes, ubi pugnan- 55
dum. Ex qua opportunitate & commoditate loci sæpiùs felicissimè est pugnatum, & victoria reportata. Sic ajunt Xantippum Lacedæmonium, Punici belli fortunam, solâ loci opportunitate convertisse. *idem Hippol. d. c.19. fol.101.* Ut non immeritò scripserit *Procop. lib 3. de bell. Goth. c.26.* Non minus prodest locus, quàm virtus: imò magis. *Veget lib. 3. c. 26.* *Locus & castris & prælio idoneus deligendus.*

In locis † angustis expectandum esse hostem, suadet Scipio 56
Amiratus in *diss. polit. in Tacit. lib.18. discurs. 1.* Ubi stultum videri

L 2 con-

Digitized by Google

consilium scribit, si hostis in angustiis locorum vexari possit, illum in aperto expectare. Sed non nisi certi simus, cum aditu prohiberi posse, quod Patrum nostrorum memoriâ neglexerunt Galli in insula Tercera, *ex Conestag. de Portugall. & Castell. Besold. class. 2. disp. polit. 7. th. 27.*

57 Hic moveri solet quæstio: præstetne hostem bellum inferentem domi † expectare, an verò expediat, ei occurrere, & extra fines Imperii adoriri, bellumque gerere: de qua *Scipio Amirat in dissert. polit. in Tacit. lib. 18. discurs. 2. Nicol. Machiavel. lib. 2. de Repub. c. 12. Bodin. lib. 5. de Repub. c. 5. nu. 573. Keckerm. lib. 1. syst. polit. c. 31. fol. 488. à pr. & in curs. Philosoph. disp. 35. q. 13. Boter. lib. 6.*

An bellum in finibus, vel extra gerendum.

58 *pol. illustr. c. 7.* Cujus sententia fert, hostem † esse præveniendum, inque sua terra obruendum, & in medium adducit rerum bellicarum præclara lumina: Hannibalem & Scipionem, qui probro sibi duxissent, si ille cum Romanis extra Italiam: hic verò extra Africam cum Carthaginensibus conflixisset, itemque Turcici Imp. exemplum affert, qui hactenus belligeratus est contra Christianos, nunquam autem domi desidens, Christianorum copias exspectavit, sed vel eorum cogitationes, nedum opus bellicum antevertit.

59 Philippum † Landgravium Hassiæ, Heroem fortissimum, rerum gerendarum prudentissimum, ut eum vocat *Kirchnerus de Repub. disp. 21. th. 4.* crebro sermone idem usurpasse ferunt, scilicet consultius esse, extra fines, quàm intra pugnare. *ex Luthero*

60 *in colloq. idem Kirchner. ibid.* qui tamen & † temporum, & locorum circumstantias aliud suadere posse scribit.

Quod ipsum fecit *Junius part. 2. q. 37.* qui, postquam in utramque partem multas, easque graves rationes adduxisset, tan-

61 dem concludit distinctione † locorum & regionum. Sunt, inquit, quædam regiones munitæ vel arte, vel naturâ, instructæ quoque viris rei militaris peritis & fortibus: aliæ contra his destitutæ. Ubi munitæ sunt & instructæ regiones, melius est domi, quàm foris bellum gerere, & hostem exspectare, non prævenire. Ubi defectus est, satius est, longè à patria belligerare: id quod Carthaginenses observasse legimus.

Am-

Ampliùs præcavendum, ne hostis præoccupet † clivum, colles & montes, tibi verò pugnandum sit loco humili, & tali, ubi possis in angustias redigi, & undique coarctari. Sic *Hippol cap. 21. fol. 111.* notandum dicit, an locus possit hostibus, si ii fortè locum vicinum occupent, subjectus esse: ut cùm vicinus mons altior offertur. Locus siquidem pugnæ tantò utilior judicatur, quantò superior fuerit occupatus. In subjectos enim vehementiùs tela descendunt, & majore impetu obnitentes pars altior pellit. *Frontin. lib. 2. stratagem. c. 2.* 62.

In castrorum loco observandum & illud: an † aquatio propinqua sit, an pabulatio lignorumve copia desit. *Hippol. d. fol. 111.* qui etiam monet *d. c 19. fol 101.* ut Princeps itinerum peritos eligat: ut paucorum prudentia solertiaque multorum saluti esse possit, operamque det, ne itinerum consilia hostis rescíscat. 63

Attendendum simul, ne miles solem, † ventum, pulveremvè ante faciem habeat, eique inter pugnandum obsint. *Vincent. Castellan. de offic. Reg. lib. 2. c. 28. Rantzov. lib. 3. de bell.* 64

Non minùs necessarium est belli Imperatori, tempus † observare, & occasionem pugnandi. *Hippol. c. 20. fol. 103.* Nota est Portii Latronis sententia, quâ L. Catilinam ita appellat: Num in gerendis negotiis ignoras, sequendas temporum opportunitates, & in occasione rerum desidiam ac tarditatem omnem quàm diligentissimè fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt Deorum voluntates, (sed hoc more Ethnico) & fortunam cùm abire permiseris, frustrà postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus. 65 *Tempus & occasio observanda.*

Valet † sanè in omnibus humanis rebus occasio, sed maximè in bellicis, *teste Polybio lib. 9.* Imò ampliùs in bello juvare solet, quàm virtus, *asserente Vegetio lib. 3. c. 26.* Ita ut non immeritò à nonnullis anima † actionum dicatur. Ac experientia testatur, quàm levis occasio interdum præter omnem spem ad res maximas gerendas, veluti sese ducem præbeat, cum videlicet eò deventum est, ut permissione divinâ aliquid accedere facilè possit. *Boter. lib. 9. polit. illustr. c. 20.* Quod ipsum manifestis exemplis demonstrat. *Camerar. cent. 1. medit. c. 80.* 66 67

L 3 Ergò

Digitized by Google

68 Ergò neque tuæ † commoditati desis, neq; suam hosti des. Est enim viri & Ducis non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. *Liv. lib. 28.*

69 Non ergò prælium † ineas ex voluntate hostis, etiamsi te procaciter lacessat: quia non ad arbitrium hostis, sed ad consilii locique & temporis opportunitatem in tàm gravi re, in qua summa totius exercitus vertitur, respiciendum est. *Keckerm. lib. 1. system. polit. c. 31. fol. 492.* Ad animum id revocavit C. Marius,

70 † qui Cimbrorum Regi ad pugnam ipsum provocanti, ut die & loco præfinito prodiret respondisse fertur: Non esse moris apud Romanos, ut committendæ pugnæ consilium ab hostibus mutuarentur: prælia non destinatò, sed ex occasione sumenda, & pro occasione mutanda; consilia nova novis rebus accommoda, ut omnis temeritas absit. *Hippol. d. l.* & C. Cæsar dicere est solitus. Nihil † in bello, opere insperato potentius esse *Jov. lib. 24.*

71 Occasiones † verò bellandi erunt. Ut aggrediaris & obruas hostem imparatum, securum, nihil tale cogitantem, cibum capientem, convivantem, vel jejunum adhuc & famelicum, ex longo itinere lassum, equos pascentem &c. *Judic. c. 8. vers. 11. 1. Sam. 30. v. 15. 16. 17. 2. Sam. 17. v. 2. Veget. lib. 3 c. 22 Hippol. d. cap. 20. fol. 104.* Hâc ratione M. Valerius Calenos vino & epulis festo die indulgentes, adortus, minimò damno magnam stragem fecit, Calibusque captis ac direptis Calenum triumphum Romæ egit. *Liv. lib. 28.* Unde est illud *Virgilii.*

Invadunt urbem somno vinoq; sepultam.

Et monachorum crapula perdidit Amidam. Illi enim festum quoddam annuum celebrantes, & nocte sequenti, veluti fessi ob peractam celebritatem, magis autem in crapulam intenti alto dulcique somno dormiêrunt; ex quo minimè ea, quæ evenerunt ex hoste, sentire potuerunt. Persæ igitur per Hipponomum intra mœnia ingressi, in turrim, admotis scalis, ascenderunt, ac dormientes monachos apud Amidenos interfecerunt. *Procop. lib. 1. de bello Persico. fol. 178.*

72 Tui † verò milites lassi, aut confecti fame non producendi ad prælium. *Schonb. lib. 6. c. 23. fol. 512.* Impransi enim ad pugnam non idonei. *Amirat. discurs. 18. lib. 7.* Non

Non etiam dandum † est spatium perterrefactis hostibus sese rursus colligendi: atq; omninò, si fieri potest, acies hostium turbanda est. *Frontin. lib. 2. c. 4.* 73

Dixi antè: *quoad fieri potest*, Ducem captare debere tempus. Nam necessitas † ante rationem est, maximè in bello, quæ rarò permittit tempora legere, ex doctrina *Curt. lib. 7.* Hinc ita monet *Veget. l. 3. c. 26.* illud Ducis est probi, ut publico certamine nunquam, *nisi ex occasione, aut nimiâ necessitate confligat.* 74

Ex prælibatis decidenda se offert quæstio: *An cum hoste protrahenda* †. *pugna, vel minus.* 75

Ubi non eadem est omnium mens. Sunt qui existimant, citò esse cum hoste prælium committendum, dum adhuc integræ vires exercitus sunt. Contrà alii differendum esse prælium, & cunctandum judicant, vel ad eludendum hostem, & occasionem rei benè gerendæ ei præcidendam, vel ad premendum fame: nudari enim incipit, qui copiosiùs advenerat: vel ad desiderium suorum ingenerandum, quo ad propria revocetur. *An mora pugnandi conducat.*

Sanè moras † nonnunquam nectendas esse, non absq; ratione affirmatur. Nam ut ait *Tacit. 2. histor.* multa bella impetu valida, per tædia ac moras evanuerunt. & *Liv. l. 7.* Quorundam in impetu vis est, qui parvâ iidem morâ languescunt. Sic barbarorum plerorumque impetus, cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari assertor est. *Tacit. 12. annal.* 76

Augustus sanè nihil minùs in perfecto Duce quam festinationem † temeritatemq; convenire arbitrabatur, *scribente Suetonio in vit. August. c. 25.* præliorum enim delicta emendationem non recipiunt *Veget. lib. 1.* nec in bello bis peccare licet. *Plut. in Apophth.* At verò peccat necessariò, qui festinat. Temeritas, præterquam quòd stulta est, etiam infelix. *Liv. lib. 22.* 77

Notanda hîc veniunt verba *Polybii lib. 3.* Celeritas & audacia, & impetus præter rationem, & vanitas ac typhus, hostibus quidem percommoda, noxia verò maximè amicis. Nam ad omnes insidias, fraudes, atque actus obnoxius est hic talis. Itemque illa, quæ habet *Curt. l. 4.* Temeritas ubi primum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo, torpet.

Sper-

Digitized by Google

78 Spernendi † ergò *cum Livio lib. 22.* ferociter omnia ac præporè agentes: & contemnendis, quàm cavendis hostibus meliores, *cum Tacito histor.* quamvis vulgò sæpè grati, quoniam stolidis aut barbaris cunctatio servilis: statim exequi, regium videtur, ut inquit *idem lib. 6. annal.*

79 Exempla † eorum, qui cunctando victores evasêre sunt obvia. En Fabium Maximum, qui omnes omnium contumelias ac dicteria patienter ferre maluit, quàm Reipub. fortunas ancipiti prælio committere. *Bodin. lib. 5 de Repub. c. 5. n. 573.* non dimicando, sed cunctando Hannibalem vicit. *Plutarch. in ejus vit.* atque ita cunctando, ut ait *Ennius*, restituit rem.

Trajanus Imp. Rom. licet avidus belli: tamen sibi in eo temperabat, ut hostes morâ suâ frangeret, amicos augeret. Non enim ei unquam accidit, quod evenire ejusmodi in rebus solet, ut milites feroces se & insolentes præbuerint, usque adeò benè & cum ratione imperabat. *Dio & Xiphilinus in ejus vit.*

Carolus VII. Gallorum Rex, cùm aperto Marte Anglis omnia feliciter succedere videret, cunctando, & hostem observando potiùs quàm pugnando, Gallorum animos, Angli pertæsos imperii, ad se pertraxit, & regnum patris ignaviâ, & Philippi Burgundionis perfidiâ amissum, recuperavit. *Polydor. Vergil. lib. 23. hist. Anglic.*

Memorabile etiam exemplum ita commemorat *Baptista Fulgosus libr. 7. de dict. & fact. memorabil. cap. 4. sub tit. de militar. stratagem.* de Melche Chelchemel Sultano Ægyptio. Joannes Hierosolymarum, item Andreas Ungariæ Reges, cùm permultis aliis Germanis atque Gallis Principibus in Ægyptum profecti, Cattas urbem obsederant, nego tamen ullâ ratione unquam Melche Chelchemel Sultanum, ut in certamen cum eis descenderet, pellicere potuerunt; quin is pacis mentione injectâ, magno se in timore versari ostendebat: adeò autem rem traxit, ut Christianos Duces in id tempus deduceret, quo adauctus amnis Nilus, totam regionem inundare solet, quam ut aquis magis infestam faceret, ipse aggeres, quibus incolæ amnem coërcere solent, intercidit. Itaque tectâ aquis universâ regione, Chri-

Christianus exercitus graviter laborare corruptis commeatibus, atque omni pabulationis materiâ cœpit. Cùm omnes ademptæ essent viæ ejus regionis ignaris, nisi quæ per aggeres ducerent, quæ etiam duplici incommodo impediebantur, & quòd erant angustissimæ, & quòd Sultanus in ipso tumultu opportunis locis eas castellis muniverat. Quamobrem eo astu Christiani Principes ac milites, veluti pisces in nassa circumventi, cùm salutis spem omnem amisissent, pacem quam dare Sultanus voluit, acceperunt. *Hactenus ille.*

Amurates quoque Turcarum Imp. cùm in armis adversus Uladislaum Ungariæ Regem esset, in magnas redactus difficultates, convocatis Ducibus præcipuis, in medium consulere jubet. Chalanes Europæ Dux præliandum dicit. Id ex re esse negat Thura Chanes, Thessaliæ Dux, pugnamque dissuadet Josuæ, Breneris egregii Ducis F. placet bellum extrahi, monetque, ut angustias diligenter præcludant, & tàm diu sedeant cunctando tempus terentes, donec hostibus Pannonibus retrocedendi necessitas injiciatur. Deinde cedentibus instandum esse, universo equitatu in eos amisso. Id quod paulo pòst evenit. Nam Pannones, quòd Turcis vias & angustias obsidentibus, nihil commeatus advehi posset, fame coacti necessariò pedem referre compulsi. *Chalcocondyla lib. 4. Theodor. Zwinger. in theat. vit. human. vol. 7. lib. 3.*

Dixi autem *nonnunquam* morâ hostem esse atterendum & frangendum, quia enim sæpè † periculum in mora, ideò & pu- 80
gnâ erit superandus, pro re scilicet & temporibus: puta si meritò pars tua palàm superior & potior inveniatur, & præsumis victoriam, aut diu subsistere non potes. Nam in † tardando sæ- 81
pè Ducibus etiam optimi apparatus pars periit. *Xenoph. libr. 7. Cyropæd.*

Quando verò nulla † cogit res, fortunæ te non commise- 82
ris, quia noxia semper pugna. *Liv. lib. 7.* & incerto eventu, aut multis periculis propositis, non est pugnandum. *Facius axiom. polit. 30.*

Unde si aliâ † ullâ ratione bellum confici, & hostis opprimi 83
M pos-

possit quàm prælio, priùs omnia tentanda sunt, quàm ad prælium descendas, ut humano sanguini parcatur. *Keck.d.l.* Ubi ad-
84 dit. Diabolica† ingenia Ducum sunt illa, quæ hominem pro cane habent, & militem suum leviter objectant mactationi. Contra v.
85 humanissimum †fuit ingenium Luculli, dicentis: se malle unum militem suum ex hostium manibus eripere, quàm universas hostium fortunas sibi vendicare. Itemque Scipionis: qui maluit
86 unum civem servare, quàm mille hostes occidere. Alieno †. namque sanguini, tanquam suo, parcendum, hominiq; non est homine prodigè utendum, ut monet *Seneca Epist. 89*.
87 Quare consilio† & judicio discrimen erit subeundum. Unde Poëta: *Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpè:*
Tempore quæq; suo qui facit, ille sapit.
88 Utque Morus † novissima omnium germinat, & tamen paritinter primas, *teste Plinio lib. 15. hist. nat. c. 24.* Ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiamsi seriùs cœperint, tamen maturiùs conficiunt.
89 Ratum ergò hoc sit: qui tempus † pugnandi opportunum observare vult, necesse est, ut sæpenumero ei cedat. *Hippolyt. d. c. 20. fol. 107. & Polyb. lib. 1. fol. 71.* Optimi, inquit, Ducis officiū existimandum est: posse non solùm vincendi, verùm etiam cedendi tempora perspicere. Itemq; *Keck. lib. 1. syst. pol. c. 30 fol. 497. circ. fin.* Fugam exercitus arripiat, cùm aliter se non potest salvare: sed ita tamen, ut cogitet de modo, quo securam istam fugam reddere possit. Quo autem modo fuga secura reddatur, tradit
90 *Rantzov. de bell. lib. 3. c. 12.* Sanè melius † est, benè fugere, cedere, regredi, cunctari, quàm malè præliari, cœco impetu irruendo in hostem: præsertim si numerosiori exercitui non possis respondere copiis.
91 Rectè itaque Metellus, † qui junctis cum Pompeio castris adversus Sertorium in Hispania, cùm sæpè aciem instruxisset, hoste (qui se imparem credebat) pugnam detrectante: quodam deinde tempore, cùm Sertorianos milites animadverteret pugnam magno impetu deposcere, humeros exercere, & lanceas vibrare: summo judicio, ardori cedere statuit in tempore, recepitq;

ex-

exercitum, & Pompeio idem faciendi auctor fuit. *Frontin. lib. 2. stratagem. c. 1.* 101

Ulterius quæritur: *an die † etiam feriato cum hoste pugnare liceat?* Et licere dicimus *cum Botero lib. 1. de bell. c. 15. n. 16.* Si necessitas summa id exigat, aut præsentis victoriæ spes ad pugnandum invitet. *C. si nulla. 23. quæst. 8.* 92 *An die feriato pugnandum.*

Fugiet † etiam Dux securitatem, eamq; militi eximet. Nemo enim celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet, & frequentissimum initium calamitatis est securitas. *Vellejus Paterculus lib. 1.* plurimaque errata per Imperatorum ignorantiam & socordiam committuntur. *Polyb. lib. 9. fol. 553.* 93 *Securitas fugienda.*

Hinc subversiones † principatuum & Principum, cùm superbiâ inflati, plus virium, quàm habent, sibi promittunt, & hostes omnes contemptui habent, à quibus incauti posteà opprimuntur. *Tholozan. l. 22. de Repub. c. 6. n. 2.* 94

Malè id cessit † Xerxi, Antigono, Crasso, & quàm plurimis veterum, qui nimiû audaces hosti debitam detraxerunt laudem. 95

Malè cessit Carolo † Burgundo. *Comina. l. 4 com.* ut rectè dixerit *Liv. lib. 21.* sæpè & contemptus † hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi Regesque perlevi momento victi sunt. Itemq; *Curt. lib. 6.* Nihil tutò in hoste despicitur, quem spreveris, valentiorem negligentiâ facies. Et nihil verius sententiâ Ludovic. XI. Regis Galliæ: Dedecus & detrimentum comes ac veluti pedissequa est superbiæ. *Comina. l. 2.* 96 97

Rectè † ergò Romani, qui voluêre, Duces non esse tàm audaces ac periculorum contemptores, quàm ducendi peritos, firmos, consilioque pollentes. *Polyb. lib. 6.* 98

Nec etiam temerè † iis credat Dux, qui vires hostium per contemptum diminuunt. *Herod l. 1. in orat. Artabani.* Sed omnia potiùs metuat, & plena difficultatis ac periculi sibi fingat atque persuadeat. *Obrecht. disp. prior. de bell. th. 479.* 99

Famæ † quoque Dux serviet, & habebit rationem rumorum, qui sparguntur. *Fama inserviendum.* 100

Sed & præcavebit † sedulò, ne vel in exercitu suo rumores spargantur ejusmodi, qui consternare militum animos possint.

101 Nam de corde † hominis tradunt S. literæ, quòd sit res cùm ad timiditatem, tùm ad audaciam proclivis, & quidem non tantùm re factoque elatiores vel remissiores homines redduntur,
102 sed rumusculis † etiam nonunquam ex trivio arreptis ita afficiuntur, ut novi quodammodo homines esse videantur. In-
103 primis † verò illud fieri solet tum, cùm inter spem & metum consistunt, & quem tandem res sit habitura finem, dubii hærent, atque ancipites. *Dn. Matth. Berneger. dodecad. 3. in Tacit. quæst. 6.* Ubi etiam cavendum monet, ne ipsi milites tale quid committant, ex quo in hostium castra perlato animus iisdem addi queat, quasi superiora aliqua habituris. Quæ animi præsentia vel consternatio, in utramque partem plurimum potest.

104 Quid enim? Loquuntur historiæ, unius † sæpè viri, vel armaturæ famam tantùm effecisse, ut ii, ad quos ea perlata est, exinde in prælio succubuerint. Ita de Julio Cæsare memoriæ proditum est, quòd plus magnitudine nominis sui, quàm alius Imperator armis facere potuisset. Patroclus armis Achillis fortissimos Trojanorum terruit. Et Val. Lævinus in prælio adversus Pyrrhum, occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui utrique persuasit, Pyrrhum interemptum: quamobrem hostes consternati illo mendacio, destitutos se Ducis morte crediderunt, & pavidi in castra se receperunt. Usque adeò verum est, quod dixit *Curt. lib. 3. & 8.* Famâ bella constare, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri speciem obtinere.

105 *Prodigiorū & somniorū habenda ratio.* Quin & prodigiorum † & somniorum habendam esse rationem, modicè tamen & sine superstitione, hisce verbis monet *Lips.* Haud spernenda omninò videntur cœlo terraque prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præsagia læta, tristia, ambigua, manifesta. Imò nec somnia. Nam instantibus curis, agitant sæpè per somnum species imminentium rerum: sive illas ægritudo, sive divinatio animi præsagientis accersit. Sanè ego te nolim contemptorem talium, ut fortuitorum. Sic ille, & quidem rectè.

106 Somniis † enim aliisque portentis victorias & clades divinitùs quandoque præmonstrari, testes sunt ut his historiæ tàm fa-

sacræ, quàm profanæ, è quibus exempla nonnulla delibare juvat.

Gedeon adversus Madianitas pugnaturus, noctu comitante ipsum armigero Pharâ, in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ, descendit, ibi ex militibus quidam narrabat proximo suo somnium hunc in modum: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditùs coæquavit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filii Joas, viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus. Cumque audisset Gedeon somnium & interpretationem ejus, adoravit: & reversus est ad castra Israël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. *Judic.7.v.13. & 14.*

Missus ab Honorio Imp. Mascelcerus adversus Gildonem ad recuperandam Asiam, somniavit, Episcopum Mediolanensem Ambrosium se videre, qui jam diu mortuus erat, pedo pastorali ter humum percutere, terque dicere. Hîc atque in hoc hoc loco. Itaque postero die in eo ipso loco, parvo labore Gildonem superavit. *Baptista Fulgosius lib.1. de dict. & fact. memorabil.c.5.*

Constantinus cùm Romam versus cum exercitu adversus Maxentii tyrannidem tenderet, nocte in cœlo supra Solem fulgens signum crucis cum hac scriptura vidit: IN HOC VINCE. *Euseb. lib.1. de vita Constant. Nicephor. lib. 7. cap. 29.* Positâ cruce in militaribus signis, quæ usque ad eum diem abominabilis fuerat, & partâ de Maxentio victoriâ, cum ejus morte nocturnæ visioni fidem dedit.

Eo die, quo Julianus in Persia interiit, Didymus Alexandrinus ob Imperatoris scelera contra Christianam religionem admissa supra modum dolens, totus jejuniis & precibus vacabat, cumq; sequenti nocte fortè in solio assidens somno oppressus esset, videbatur sibi videre equos albos in aëre cursare, & qui in eis videbantur, ipsos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodiè

Digitized by Google

Julianum, hâc ipsâ horâ interfectum esse, ipseque idem illud Athanasio Episcopo significet. Diolyraus igitur ilicò somno solut⁹ surrexit, cibumque cepit, interitusque Juliani paulò post ex Persia annunciatus est. *Sozomen. lib. 6. hist. Ecclesiast. c. 2.*

107 Somnia autem, nisi sint † theopneusta, plerunque fallunt, quamvis conjecturæ, quibus explicantur, sæpè ad vertitatem sint directæ; quare eadem † observare, vanum est, attestante scriptura sacra. Gaudet siquidem diabolus, qui & latro & mendax est, hominum animos in terrores conjicere, & per somnia eis immissa seditiones, bella, homicidia aliaque scelera inter mortales excitare, vanaque spe lactatos per somnia ambigua in magnas calamitates conjicere. Unde & Lipsium paulò ante monentem audivimus, somniis *modicè, & sine superstitione* tribuendam esse fidem.

108

109 Nec † destituimur hac in re exemplis.

Carthaginensium Dux Amilcar, cùm obsideret Syracusas, inter somniandum vocem exaudisse credidit nunciantem, futurum, ut proximo die in ea urbe cœnaret. Lætus igitur perinde, ac divinitùs promissa victoria, exercitum pugnæ comparabat, in quo inter Siculos & Pœnos ortâ dissensione, castris ejus Syracusani subitâ irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua vinctum pertraxerunt. Itaque magis spe, quàm somnio deceptus, cœnavit Syracusis captivus, non ut animo præsumpserat, victor. *Valer. Max. l. 1. de dict. & fact. memorabil. c. 7.*

Sed & alii plurimi Reges & Principes hoc somniorum genere decepti miserè interierunt.

Darius enim Rex Persarum, ante congressum cum Alex. M. somniavit, videre se exercitum Macedonicum ardentem incedere per Asiam, & Babylonem venire, ibique Alexandrum indutum veste Persicâ templum ingredi, & statim evanescere. Arbitrabatur ergò Darius Macedonum exercitui significari per flammas exitium, & Alexandrum Persicè vestitum, venturum in potestatem Persicam. Sed flammæ arguebant celeritatem victoriæ Alexandri, vestitus potiturum ipsum regno Persico portendebat.

Pompeius, ut postremum cum Julio Cæsare prælium commit-

Google

mitteret, somnio est motus. Sedenti enim sibi in theatro plausum dari à populo somniarat, quo victoriam annui putabat: sed errabat in applicatione. Plausus n. non victoriam, sed incitationes significabat Lentuli, Domitii, Labieni, qui postridiè ad pugnandum eum spe victoriæ incendebant.

Diximus supra, non solùm somniis, sed aliis † quoq; omnibus, prodigiis & portentis victorias cladesque adumbrari, cujus rei hæc cape exempla. 110

Ex L. Martii Ducis duorum exercituum, quos interitus Publii & Cneii Scipionum debilitaverat, concionantis capite flamma cum eluceret, milites adhuc pavidi, eo prodigio sic inflammati sunt, ut octo & triginta hostium millib. cæsis, magnoque numerò in potestatem redacto, bina castra punicis opibus referta ceperint. *Valer. Max l.1.c.6.*

In exercitu Xerxis adversus Græcos equæ partu leporem editum fuisse traditur, quo prodigio fuga ejus admodum infamis, tantique apparatus significatus fuit exitus & interitus. Nam qui mare classibus, terram pedestri operuit exercitu, ut fugax ac timidum animal, in scapha piscatoris aufugere fuit coactus. *Herodot. l.7.* Alia exempla videre licet *apud Valer. Max. & Fulgos. dd. loc.*

Ampliùs in omnia † Imperator inquiret, in suum & hostium exercitum, numerum, naturam, mores, ejus disciplinam & annonam, locorum situm, &c. Difficile siquidem vincitur, qui de suis & adversariis copiis verè potest judicare. *Veget. lib. 3. cap. 26.* Hinc *Polyb. d. lib. 3.* Errat, inquit, quisquis putat aliquid magis proprium optimi Ducis officium esse, quàm consilia & naturam hostis intelligere. Nam quemadmodum in singulari † certamine oportet locum, ubi adversarium ferias, speculari, & quæ pars corporis nuda, quæ inermis sit, diligenter animadvertere: Ita ubi de summa rerum agitur, investigandum est, non ubi nudæ sint corporis partes, sed ubi sit animus Ducis adversarii: qui inprimis explorandus. Chabrias quoq; optimos Imperatores esse dixit, qui res hostium notissimas haberent. *Stoba. serm. 52.* Huc etiam spectat *Sambucus de præceptis Imperatoriis:* 111 *Inquirendū in proprium & hostilem exercitum: hujusq; consilia.* 112

De

De summa rerum per paucos decernito.
Secreta tua sint consilia.
Inimicorum exploratissima.

Ita Cæsari, ut ait *Tacit.* nihil ex iis erat incognitum consilia, locos, prompta, occulta noverat, actusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Pulchrum quoque in Hannibale elogium: omnia ei hostium, haud secus, quàm sua nota erant. *Liv. lib. 22.* Bellique Duces nullis sumptibus, nullis laboribus parcunt in cognoscendis sui hostis consiliis. *Bocer. libr. 1. de bell. cap. 25. n. 14.*

113 Audivimus modò monentem Sambucum, ut Imperator belli non tantùm hostilia consilia & facta habeat explorata, sed ut & sua † teneat secreta. Quod etiam facit *Hippol. à Collib. in pr. c. 27. fol. 100.* inquiens: Princeps consilia sua, facta, disciplinam occultet, præcipuè castrorum motus, ne ab exploratorib⁹, qui quàm sæpissimè intra ipsa commorantur castra, hostibus nuntiari queant: Unde forsitan exercitus insidiis circumveniri posset. Nihil sanè pernitiosius in bello, quàm Ducis consilia foràs eliminari: Nihil utilius, quam occultari ea. *Bocer. d. l.* Unde in eo toti esse debent exercitus Imperatores, *eodem monentē*, ut sua in secreto habeant consilia omnia, & imitatores sint Metelli, † de quo referunt Historici, quod interrogatus à quodam, quid postero die facturus esset, responderit: *Comburam tunicam meā, si eam consiliorum meorum gnaram cognovero*, ut refert *Val. Max. lib. 7. c. 4.* Quam sententiam Metello etiam tribuit *Dio Cassius*, *Mariana lib. 3. de instit. princ.* Petro Arragonio: alii Mauritio Electori Sax. quando Carolum V. cum exercitu insequeretur, liberandi Philippi Landgravii, soceri sui causâ, sed quid mirum, si una eademque vox à diversis edita sit in re pari? *Andreas Rey à Naglowice de consil. & consiliar. quæst. 13. apud Keckerm. in curs. Philosoph. fol. 510.*

Propria cōsilia celanda.

114

115 Eodem modo se gessit Adolphus † Dux Holsatiæ, qui adversus Dithmarsos bellum paraturus, nullis Procerum aut Oratorum suorum secum adductis, ad Henricum Ducem Brunsvicensem, Wulffenbüttelium contendit, cumque ipso secretò consilia comunicavit: In Holsatiam reversus, Wolffgangum Schonvesium

vesium veterem militum præfectum, cum legione una, & Joannem Blanckenburgium cum equitum item turma additis stipendiis conduxit, cujus consilii duo tantùm è secretioribus consiliariis conscii & participes fuêre. At verò consilia Adolphi usq; adeò tegi & occultari non potuerunt, quin emanarent ad Regem Daniæ, & Joan. Rantzovium, qui re cognitâ continuò scriptis ad Adolphum literis, quàm diligenter eum hortatur, ut depositâ paulisper fervidâ cœcâque ad bellum cupiditate, secum ipse cogitet, & sedulò ad animum revocet, si solus bellum susceperit, in quantas ultrò se præcipitaturus sit difficultates & molestias, unde explicare posteà sine ingenti damno haud facilè fuerit &c. ut refert *Christianus Cilicius in descriptione bell. Dithmarsici lib. 2.*

Modò dicta latiùs circa secundum requisitum boni Ducis, virtutem nimirùm, sumus persecuti, quia hæc illa omnia requirit & includit.

Ex occasione eorum, quæ de scientia rei militaris, & virtute Ducis hactenus in medium attulimus, controversia à politicis movetur. Utra † sit præferenda; an virtus scientiæ, an hæc illi veluti si duo sint, quorum unus scientiâ rei bellicæ, alter virtute emineat, uter ex his alteri præferri debeat? 116 *In Duce bellico utrùm virtus, vel scientia rei militaris præferenda.*

Claudius Sesellius lib. 2. de Repub. Gallorum, virtutem † scientiæ rei militari præponendam judicat. Virtute enim, inquit, quæ sit adjuta fideli consilio, longè plùs effici potest, quàm solâ scientiâ, quæ virtute careat. 117

Verùm *Aristoteles lib. 5. polit. c. 9. & Cicero in Orat. pro lege Manil.* in diversum abeunt, & in eligendo Duce exercitus magis scientiæ † rei militaris, quàm virtutis rationem habendam putant. 118

Quam sententiam alii & inter eos *Obrech. de bell. disp. 1.* parum Christianam esse scribunt, & Christianos † in electione Ducis magis ad virtutem, quàm ad peritiam & alia requisita respicere debere. Quare virtute & ingenio præditum, præferunt solâ rei militaris peritiâ superbienti: illumque ingenio facilè assequi posse sentiunt, quod usu nondum didicit. 119

N Sed

120 Sed quis non videt, hâc opinione ſtante, tolli † & negari in Duce requiſitum illud, ꝙ omnes primarium & præcipuum ſtatuunt? Nam qui bellum gellum geret, qui ejus gerendi ſcientiam non habet? qui ritè adminiſtrabit, qui fortè nulli anteà interfuit,
121 multò minus præfuit? Turpe † ſanè eſt viro Imperatorio ſcientiā, in qua verſatur, ignorare, ceu ipſimet hujus ſententiæ aſſeclæ fatentur & ſcribunt.

122 Et quid illud eſt, quod iidem improbent † Dominum belli, in præfectos militum ſeu capitaneos eligentem tales, qui apud ipſum gratiâ valent: non qui anteà quinque, vel ſex, vel decem meruerunt ſtipendia: imò qui ne ſemel quidem hoſtem conſpexerunt, in quo gravius peccari tradunt, ſi tales nec πρᾶξιν, nec θεωρίαν rei militaris intelligunt. Quod ſi itaque ex ipſorum placito præferendi periti præfecti, adeoque inferiores, cur non magis Dux ipſe, & ſuperior?

Rectè ergò *Leo Imp. in ſuo libell. de appar. bell.* In omni prælio
123 † non tàm magnitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium
124 ſolent præſtare victoriam. Unde cùm L. Domitius † quendam, quem ordinem ducere volebat, comendaret, quod eſſet vir probus, hoc reſponſum tulit: Cur eum nòn potiùs liberis tuis tuto-
125 rem relinquis? Optamus † ſanè & nos ejuſmodi Duces, qui peritiâ militari, & innocentiâ vitæ ſint conſpicui: quales fuèrunt The-
126 miſtocles & Scipio. Verùm cùm copia † horum non ſemper detur, & rariores exiſtant boni Imperatores, quam boni viri, adeo-
127 que optandi, quàm ſperandi ſæpius ſint, tunc eligendi † potius videntur illi, qui virtute Imperatoriâ & civili, q̃ morali ſunt præditi, modò erga Rempubl. benevolo & ſincero ducuntur affectu.

128 Nec *Ariſt. & Cic.* ſimpliciter † ac abſolute virtutem ſcientiæ militari poſtponunt, ſed comparate hanc in bello magis requiri, & ſic virtutem potius officii, quàm animi in hoc caſu poſteriori aſſerunt, cumq; eis non poſtremæ auctoritatis politici, inter quos *Boterus lib. 10. de polit. illuſtr. c. 1. Caſus lib. 5. ſphær. civit. c. 9.* Ubi hiſce utitur rationibus.

129 1. In electione illa maximè † requiritur virtus, quâ munus ſuſceptum melius prę̄ſtatur. Sed munus Imperatoris bellici meli⁹ ſcien-

ſcientiâ rei militaris, quàm virtute perficitur: ergò in electione Imperatoris bellici potiùs ſcientia militaris, q̃ virtus requiritur.

2. Sine rei † militaris ſcientia victoria acquiri non poteſt. At 130
ſine innocentia vitæ poteſt: ergò magis illa, quàm hæc in electione Ducis deſideratur.

3. Poteſt † aliquis eſſe bonus civis, etſi morales virtutes de- 131
ſint, *ex Ariſtot. lib. 3. polit. c. 3.* Ergò poteſt aliquis eſſe Dux fortis, etſi vitæ integritate careat. Ut n. leo fortis, & tamen rapax: ita Dux peritus, & tamen malus eſſe poteſt. Sic Sylla Dux nobilis, ſed ſuperbus Coriolanus Dux nobilis, ſed furioſus, Dux nobilis Antonius, ſed intemperans, Dux nobiliſs. Alex. ſed crudelis fuit, *ſcribente Plutar. in her. vit.* Quare Leo † potiùs, quàm lepus reb⁹
bellicis præferendus. *Ariſt.* At ſi non Dux exercitus, ſed Quæſtor 132
† civitatis fieret, majorem virtutem, quàm ſcientiam requirit Philoſophus: in Duce enim militaris ſcientia in Quæſtore pro- 133
bitas & conſcientia quæritur. *Caſus d. l.*

Tertium τεκμήριον boni Ducis eſt *providentia*, † ut nimirum
ſit Dux cautus, tutus & circumſpectus, nullo loco, niſi quantū 134
neceſſitas cogat, vel ſumma occaſio ſuadeat, caſui fortuito ſe *Providentia*
committat, *Liv. lib. 22.* quique ab omni temeritate ſit alienus: non audaculus & propere feſtinans. *Eurip. in Phœniſſ.* reſpiciat magis quàm proſpiciat. *Plutarch. in ſert.* caveat ne à fronte, & à tergo ſimul oppugnetur, circumveniatur ab hoſte, præſertim ſi numero militum ſit impar. *Keck. d. c. 30. fol. 496.* Quare nullum † hoſtem, hoſtilemque arcem à tergo relinquat. *Scipio Amirat. d. lib. 18. diſcurſ. 6.* 135

In † itinere etiam equites expediti progrediantur, à quibus & viarum anguſtiæ & nemora ſylvæque perluſtrentur, ne quid per 136
inſidias pati exercitus poſſit: explorentque, ne inter viarum anfractus cavæ rupes interſint, quibus hoſtes in inſidiis latitant. *Hippol. à Collib. in princ. c. 20. fol. 106.*

Sed & in id ſedulò eniti debet belli Dux, ne ab † hoſte decipiatur, ſimulatâ fugâ, vel ſimili alia ratione. Multum enim eſt, 137
hoſtilem fraudem & fallaciam prævertere, & ſic fallentes fallere. *idem fol. 111.*

138 Hinc Timotheus † Athenienſis, cùm Rhetores Charenetem quendam efferrent laudibus, juvenem corporis virib. inſignem, cenſerentque ejuſmodi belli Ducem Athenienſibus eſſe quærendum: Haudquaquam, ait: Nam iſtiuſmodi quidem optarim, qui ſtragulas Imperatori ſit deportaturus: at Ducem velim, tùm quæ ante ipſum, tùm quæ à tergo ſunt proſpiciat, *ex Plut. Stoba. ſermon. 52. & Eraſm. Roterod. chil. 3. adag. cent. 10. adag. 75.* nec non *Proc. lib. 2. de bell. Perſ. fol. 120.* Ducis exercitus eſt, multa cogitare, ne fractus dicat: *non putaram.* Turpiſſimum enim eſt in bello dicere: non putaram. *Agath. lib. 2. de bell. Gothor.* Quò etiam tenduntilla *Polibii lib. 10. fol. 604.* Dux ſingula diſcrimina intelligere debet, à quibus ipſum potiſſimùm abeſſe oportet, ne ſimul cum eo univerſa rerum ſumma periclitetur. Quod namque, inquit ille, dici ſolet: Non putaram, & quiſnam hoc futurum ſperaſſet? maximum mihi videtur habere inſcitiæ Ducis ac tar-
139 ditatis argumentum. Quapropter & Hannibalem † multis nominibus inter bonos Duces numero, qui ob id potiſſimùm celebrari poteſt, quòd & multum temporis in bellicis reb. converſatus eſt, & multis variiſque occaſionibus uſus, hoſtes ſæpenumero in particularibus negotiis ſuapte induſtriâ fruſtratus eſt: ipſe verò in tot ac tantis certaminibus nunquam tantâ videlicet providentiâ, ut apparet ſibi cavit. Et valde meritò. Etenim Duce
140 illæſo † ac ſalvo, etiamſi aliquando reliqua cuncta cadant, multas tamen occaſiones fortuna ſubminiſtrat, quibus detrimenta ex calamitoſis eventibus accepta reſarciri poſſunt: ſi verò ille, perinde ac in mari gubernator, ceciderit, etiamſi reliquæ multitudini fortuna victoriam adverſus hoſtes largiatur, nihil tamen inde commodi provenit, propterea quòd omnis omnium ſpes à Ducibus pendet.

141 Quarto loco in Duce requiritur *Felicitas*, † cujus in omni re, & præcipuè, militari maxima eſt poteſtas. Eſt autem illa
Felicitas.
142 Comes † [illegible] conſilii & rationis. Qua de cauſa peritiam rei militaris, virtutem & auctoritatem Ducis, comitem plerunq; habere felicitatem nonnulli judicant. Id quod etiam ſentire videtur *Plutarchus*, quando Alexandri M. potentiam, & virtutem, & for-

fortunæ simul adscribendam putat. At *Curtius lib. 8.* Quis neget, inquit, eximiam gloriam & potentiam sæpiùs † fortunæ, quàm virtutis esse beneficium? Et *Demosthenes* non dubitavit humanæ sapientiæ fortunam præferre. Unde etiam *Cicero in orat. pro leg. Manil.* existimat, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & aliis magnis Impp. non solùm propter virtutem, sed propter fortunam sæpius imperia mandata, atque exercitus fuisse commissos. 143

Fortuna benigniùs † quibusdam attributa à Deo, & quibusdam etiam, alioquin summis viris, denegata, qui domi equum Seianum habent, ut Veteres dixerunt, adeò ut cuicunque rei manum admovent, ea se avertat. *Tholozan. d. l.* sunt certè nonnulli, quibus dormientibus Dii omnia conficiunt, venti & tempestates secundant, & quasi de cœlo victoria in sinum cadit, quiq; aureo reti urbes capiunt, ut iis ad amplitudinem, gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitùs adjunctam fortunam dicas. Spectat huc istud *Theognid.* 144

Multis mens læva est, sed eisdem numina dextra,
Queis malè quod cœptum est, vertit & in melius.

Itemque *Vegetii l. 3. c. 16.* occultâ vel potiùs divinâ quâdam ratione alii contra alios dimicant meliùs: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur. Non ergò abs re *Joann. Boter. lib. 2. polit. illustr. c. 2.* Felicitatem nihil aliud esse dicit, quàm incrementum & accessionem auxilii divini, quo Deus ter Opt. Max. prosperat interdum eos, qui peculiari ratione vocati sunt ad executionem justitiæ ac voluntatis divinæ. Talem, inquit, Josuam fuisse legimus: ad cujus preces solis cursus inhibit⁹ diem effecit longiorem: Cyrum, quem quamvis incredulum, Deus ministrum suum vocat: Alexandrum Magnum, cui mare Pamphylianum transitum præbuit: Cyngum Tartarorum Regem, cui mare Indicum transitum dedit: Attilam & Tamerlanem, qui sibi ipsis, ut Flagella Dei vocitarentur, nomina dederunt: aliosque, quos Deus pro beneplacito suo felicibus victoriarum successibus ornavit. Ubi utiliter addit: Felicitatem non semper solius Ducis propriam esse; sed aliquando ejus, cujus ministerio funguntur, Principis.

—— Dux fortis in armis
Cæsareus Labienus erat: nunc transfuga vilis.

Remius de Cerl, dum stetit à parte Venetorum, felicissimus fuit: at sub Rege Francisco & Clemente VII. neque fortunam faventem neq; victorias ullas expertus est. Andreas Doria, quamdiu Franciscum Regem modò dictum juvit, pauca memoratu digna gessit: planè adversâ usus fortunâ in bello Sardiniano. At contra sub Carolo V. adeò felix fuit, ut maximum inde nominis splendorem ad posteros transmiserit. Idem de aliis quoque dici potest. Quo sanè innuere vult DEUS, se interdum non quidem Duces absolutè, sed eos potissimùm, pro quibus militant, prosperare. Nonnunquam Duces, qui bono proposito piaque intentione pro Principis incolumitate militant, felicibus successibus secundantur, quamvis DEO non probetur vita Principis, quem posteà aliis modis castigat. Sic Narsetes contra Gothos splendidissimas victorias, DEO ita volente obtinuit, interim non datum, ut Imperator Justinianus, sub quo duxerat exercitum Narsetes, Italiam quietem & tranquillam gubernaret: siquidem immissi Longobardi, optimam Italiæ partem occuparunt. Interdum DEUS neque Principi, neque Ducibus felices successus largitur, imò datos revocat, ob populi iniquitates. Hac de causa Josias Rex miserâ morte miserè periit, DEO verò approbante vitam & consilia Principis simul atque Ducis, neque obstante populi malignitate, non est, de victoria, quod dubitas.

Nihil enim tunc virium habent subdola & astuta hostium consilia, debiles sunt omnes machinæ, imbecillaque & inutilis est omnis adversus fortitudinem atque constantiam multitudo. Victoria enim non in munitionibus operibusque bellicis, sed in causæ bonitate posita est. Hucusque Boterus, cujus verba, in gratiam lectoris, qui ex varietate styli, & orationis genere voluptatem capere solet, adscribere visum fuit.

145 Cæterum ut infelicitatem Ducum comitari solet stupor militum, ita felicitatem † & fortunam eorundem confidentia.

tia. Et exempla sæpiùs prostrati, vel decepti hostis, quid valeant ad opinionem de belli Duce confirmandam,& hominum expectationem, vel ipsa experientia abundè testatur.

Monendi autem sunt Duces, ne nimiâ † felicitate patiantur se mergi in voluptates. *Curt. lib. 10.* Turpe siquidem est, 146
virum bellicosum, quem non vincunt arma, subigi voluptatibus. Ut adamas † non mollescit, nisi illinitus hircino sangui- 147
ne: sic illi non priùs virilem animum exuunt, quàm deliniti fuerint voluptatum fomentis. *Schonborn. lib. 6. polit. cap. 11.* Quare illi, quibus ad votum omnia fluunt, benè ferre magnam discant fortunam: imponant felicitati suæ frenos, faciliusque illam regant, ut monet *idem in fin. cap.*

Denique in bono Duce requiritur. *Auctoritas.* † Nam ubi 148
non est auctoritas, ibi nec timor est militum, nec hostium. Et *Auctoritas.*
certè ad bella † administranda vehementer pertinet, quid hostes, 149
quid socii de Duce belli sentiant. Homines enim in tantis rebus opinione non minùs famæ, quàm certa aliqua ratione commoventur, ut aut contemnant, aut metuant, aut odio, vel amore prosequantur. Hinc *Herodot. lib. 7.* scribit, bella ut plurimùm † 150
famâ constare, & timeri illum potissimum, qui sibi jam opinionem virtutis ac strenuitatis comparavit. Ad veritatis scopum hoc effatum collimare, docet exemplum Alexandri M., Julii Cæsaris, Scipionis Africani, & aliorum, qui auctoritate istâ maximè valuêre, & multos non tàm armis, quàm nominis sui terrore vicerunt, ut historiarum monumenta comprobant.

Hodiè, inquit, *Obrecht. disp. prior. de bell. th. 594.* in hac re
ferè nulla † cura adhibetur: & plerumq; Dux belli juvenis con- 151
stituitur, cujus ob ætatem exigua auctoritas esse possit. Huic substituitur alius, cujus nutu & voluntate omnia fiunt: & hic, si quâ alter auctoritatem fortè habet, eam ad se transfert. Unde prioris sæpè nullus alius est usus, quàm ut Dux belli nominetur, revera illius nulla habeatur ratio.

Auctoritatem præter ætatem inter alia parit † peritia rei mi- 152
litaris, prudentia, industria, vigilantia, fortitudo, nobilitas & & auctoritas generis,

Quam-

—— Dux fortis in armis

Cæsareus Labienus erat: nunc transfuga vilis.

Remius de Cerl, dum ſtetit à parte Venetorum, feliciſſimus fuit: at ſub Rege Franciſco & Clemente VII. neque fortunam faventem neq; victorias ullas expertus eſt. Andreas Doria, quamdiu Franciſcum Regem modò dictum juvit, pauca memoratu digna geſſit: planè adversâ uſus fortunâ in bello Sardiniano. At contra ſub Carolo V. adeò felix fuit, ut maximum inde nominis ſplendorem ad poſteros tranſmiſerit. Idem de aliis quoque dici poteſt. Quo ſanè innuere vult DEUS, ſe interdum non quidem Duces abſolutè, ſed eos potiſſimùm, pro quibus militant, proſperare. Nonnunquam Duces, qui bono propoſito piaque intentione pro Principis incolumitate militant, felicibus ſucceſſibus ſecundantur, quamvis DEO non probetur vita Principis, quem poſteà aliis modis caſtigat. Sic Narſetes contra Gothos ſplendidiſſimas victorias, DEO ita volente obtinuit, interim non datum, ut Imperator Juſtinianus, ſub quo duxerat exercitum Narſetes, Italiam quietem & tranquillem gubernaret: ſiquidem immiſſi Longobardi, optimam Italiæ partem occuparunt. Interdum DEUS neque Principi, neque Ducibus felices ſucceſſus largitur, imò datos revocat, ob populi iniquitates. Hac de cauſa Joſias Rex miſerâ morte miſerè periit, DEO verò approbante vitam & conſilia Principis ſimul atque Ducis, neque obſtante populi malignitate, non eſt, de victoria, quod dubitas.

Nihil enim tunc virium habent ſubdola & aſtuta hoſtium conſilia, debiles ſunt omnes machinæ, imbecillaque & inutilis eſt omnis adverſus fortitudinem atque conſtantiam multitudo. Victoria enim non in munitionibus operibusve bellicis, ſed in cauſæ bonitate poſita eſt. Huc uſque Boterus, cujus verba, in gratiam lectoris, qui ex varietate ſtyli, & orationis genere voluptatem capere ſolet, aſſcribere viſum fuit.

145 Cæterum ut infelicitatem Ducum comitari ſolet ſtupor militum, ita felicitatem † & fortunam eorundem confidentia.

tia. Et exempla sæpiùs prostrati, vel decepti hostis, quid valeant ad opinionem de belli Duce confirmandam,& hominum expectationem, vel ipsa experientia abundè testatur.

Monendi autem sunt Duces, ne nimiâ † felicitate patiantur se mergi in voluptates. *Curt. lib. 10.* Turpe siquidem est, virum bellicosum, quem non vincunt arma, subigi voluptatibus. 146
Ut adamas † non mollescit, nisi illinitus hircino sanguine: sic illi non priùs virilem animum exuunt, quàm deliniti fuerint voluptatum fomentis. *Schonborn. lib. 6. polit. cap. 11.* Quare illi, quibus ad votum omnia fluunt, benè ferre magnam discant fortunam: imponant felicitati suæ frenos, faciliusque illam regant, ut monet *idem in fin. cap.* 147

Denique in bono Duce requiritur. *Auctoritas.* † Nam ubi non est auctoritas, ibi nec timor est militum, nec hostium. Et certè ad bella † administranda vehementer pertinet, quid hostes, quid socii de Duce belli sentiant. Homines enim in tantis rebus opinione non minùs famæ, quàm certa aliqua ratione commoventur, ut aut contemnant, aut metuant, aut odio, vel amore prosequantur. Hinc *Herodot. lib. 7.* scribit, bella ut plurimùm † famâ constare, & timeri illum potissimum, qui sibi jam opinionem virtutis ac strenuitatis comparavit. Ad veritatis scopum hoc effatum collimare, docet exemplum Alexandri M., Julii Cæsaris, Scipionis Africani, & aliorum, qui auctoritate istâ maximè valuêre, & multos non tàm armis, quàm nominis sui terrore vicerunt, ut historiarum monumenta comprobant. 148 *Auctoritas.* 149 150

Hodiè, inquit, *Obrecht. disp. prior. de bell. th. 594.* in hac re ferè nulla † cura adhibetur: & plerumq; Dux belli juvenis constituitur, cujus ob ætatem exigua auctoritas esse possit. Huic substituitur alius, cujus nutu & voluntate omnia fiunt: & hic, si quâ alter auctoritatem fortè habet, eam ad se transfert. Unde prioris sæpè nullus alius est usus, quàm ut Dux belli nominetur, revera illius nulla habeatur ratio. 151

Auctoritatem præter ætatem inter alia parit † peritia rei militaris, prudentia, industria, vigilantia, fortitudo, nobilitas & & auctoritas generis, 152

Quam-

153 Quamvis autem hodiè in electione Ducis belli plerumque non tàm virtus, quàm genus † consideretur, ob hujus tamen vetustatem, nobilitatem & splendorem præferendum putat *Becerus l.1. de bell. c.8. n.13.* Si sit idoneus: interim cæteros non rejicit, etiamsi parentibus nati sint obscuris. Ita & *Obrechtus th 581. & seqq.* præcipuam quidem generis rationem habendam scribit, sed ita si in eo virtus appareat. Etsi enim, inquit, virtus naturaliter in multis existat: tamen in generosis clariùs elucet, & splendore suo alios magis afficit & illustrat. Quod si verò inter
154 generosos nullus † sit, qui tàm arduum & periculosum munus suscipere velit, eligatur sine ullo generis & familiæ discrimine, virtute præditus. Satius & utilius est generis, quàm virtutis nullam rationem haberi. *& supr. th. 563.* in eo periculosè errari scribit, quotidianâ experientiâ teste, quando Dux talis constituitur, qui generis tantùm splendore, & non scientiâ rei militaris, eminet.

155 Virtutis † quoque habitum fuisse respectum in electione Ducis, ex historiis est manifestum. Nam Iphicrates licet filius sutoris fuerit, ab Artaxerxe tamen Persarum Rege, cum Ægyptiis bellum inferre vellet, Dux electus fuit. Themistocles quoque homo natus infimo loco, maximis victoriis insigniter claruit. Narses item genere obscuro ortus, P. Scipionem æquasse dicitur. Et constat, quod Gothos penitus ex Italia depulerit C. Marius fabri ferrarii filius, septies Romæ consulatum, resque in bello feliciter gessit.

156 2. Auctoritatem conciliat severitas † in delictis militaribus vindicandis, & in disciplina militari conservanda, de qua Cap. sequenti 13. tractationem instituemus.

3. Si severitatem benignitate, † comitate & humanitate nonnunquam temperet. Nam nil tû iste favor, inquit *Tacit. l. 5* ut largitione & ambitione male acquiritur, ita per bonas artes haud spernendus: Uti sunt exercitatio corporis inter ipsos, cultus habituque, paulum, à privato differens. *ex Curt. l. 3. Lips. c. 15.* Sed & *Schonborn. l. 6. c. 11.* auctor est Duci, ut ante omnia exercitatione
157 † corporis, & laboribus strenuè obeundis militum benevolentiam sibi

fibi conciliet, quod hoc pacto & tutiores fint ipfi, & milites ad obediendum habeantur promptiores. Sanè Alexander M. Tyrum oppugnans, cùm amplam foffam mœnibus Tyriorum adjectam fuperare cuperet, primus ipfe corbem arenâ refertum apportavit. Macedones cùm Regem fuum manibus opus facere viderent, confeftim, abjectis chlamydibus, celeriter loca æquarunt. *Polian. lib. 4. ftratagem.* Antoninus Baffianus Imper. nullum non militiæ munus promptè obire, & five quid fodiendum foret, primus fodere, five pons flumine imponendus, aut extruendus agger, five quod opus manuum faciendum, aut labor fubeundus, primus omnium occupare confueverat. *Herodian. lib. 4.* Stephanum I. Regem Poloniæ ita commendat *Chriftophorus Warfevicius eques Polon. in Panegyr. ad Stephan.* Tibi non modò Caftrenfe munus fordet nullum, non folùm operib. militum adeffe, fpeculatum egredi, caftra & ftationes obire, in fole, in pulvere quotidiè verfari, primus inire prælia, poftremus ex prælio excedere didicifti.

Benevolentiæ † item & obedientiæ vinculo militum animos Dux fibi conglutinabit, fi non folùm in laboribus & periculis cum iis verfetur, fed etiam inopi, aut faucio veftem & fomenta largiatur: vel aliis modis & artibus charum ac venerandum fe efficiat. *Lipf. in fin. cap. 15.* puta, fi cum militibus ipfe cibum familiariter capiat, non minus prædæ fumat, eamq; militibus relinquat: & fi non abutatur fanguine militum, eum temerè, crudeliter, vel perfidè effundendo. *Althuf. in polit. cap. 29. fol. 409. ed. prior.* 158

Do exempla: De Hadriano Imperatore ita fcribit *Dio:* cœpit milites ad omne genus pugnæ exercere, atque interim alios afficere honoribus, alios caftigare verbis, poftremò omnes ea, quæ facere oporterent, docere.

Imperator Aurelius Antoninus Caracalla præterquàm quòd fæpè fe cùm militibus exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac fæpè magnum fpatium militaria figna ipfe ferebat: ne tùm quidem, cùm laffus in tentoria fe receperat, delicatiore cibo refi-

ciebatur, sed cum aliis militibus eo pane vescebatur, quem ipse sibi pinsuerat: & tunc in ardenti cinere decoxerat: scypho quoque ligneo bibebat. Per hunc modum auctâ bonâ valetudine, magis etiam à militibus diligebatur, cùm fraternè se erga omnes ipsos gereret.

Egregium quoq; militaris disciplinæ exemplum in summa rerum affluentia magnoq; imperio præbuit Alexander Severus, vix annos 20. natus, & à militibus, ut idem agerent, exegit. Neq; enim alio, quàm militari cibo utebatur, apertoq; tentorio, ut omnes conspicerent, vescebatur: Stipendia militi largè persolvebat, neque ferebat, ut vel legati, vel aliorum ordinum ductores, sicut interdum fieri solet, stipendia decimarent. Militem enim benè vestitum, caligatū ac saturum ajebat, si quid prætereà nummorum in baltheo secum gestaret, semper dicto audientem fore: quia inopiæ plerunque desperatio conjuncta esset. Hæc cùm ipse præstaret, à militibus contrà severè exigebat, ut diligenter disciplinam militarem servarent. Antiochæ accepit equites nonnullos balneis conviviisque deditos, in iis omnia consumere: itaque comprehendi atque in custodia haberi jussit. Qua re motus exercitus cum tumultuaretur, ipse in tribunal conscendit, ac perpetrati erroris graviter milites increpuit. Cùm verò ipsi penè minabundi fremerent, solus inermisque torvo vultu graviterque sonante voce omnem exercitum militiâ exauctoravit, jussitque, ut statim arma dederent. Mira res profectò, sed tamen vera fuit, unam Principis vocem tàm multos iratosque exarmasse milites. Nam ad primum ejus verbum eodem omnes momento arma in terram abjecerunt, quæ unà cum signis per populum Antiochenum ad palatium Alexander ferri jussit: nec verò multò pòst, cùm eos in pristinum militiæ honorem recepisset, ab eis ullum fortis militis aut disciplinæ officium in Parthico bello desideravit. *Baptista Fulgosius lib. 2. de dict. & fact. memorabil. c. 2.* Quin disciplinam militarem tàm severè servavit, ut cùm exercitum in Parthos duceret, non milites, sed senatores transire dicerentur. Quacunque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabi-

les

les erant. Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur, aut virgis, aut condemnationi: aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis gravissimis contumeliis afficiebatur, cùm diceret, *visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Hippolyt. à Collib. de pr. cap. 15.*

Auctoritatem tamen Ducis non in nimia † austeritate, & severitate ponit *Bocer. d. c. 8. n. 10. fol. 53.* Hæc enim, inquit, in causa fuit, curà militibus suis desertus fuerit Lucius Lucullus, Romanorum Dux: qui, si comem se præstaret etiam dignitate paribus, suæ auctoritatis ruinam arbitrabatur. 159

Crudelitas † quoque in Duce exercitus improbanda est, ob quam Belisarius Justiniani Imperatoris Dux militibus minimè placuit. Variarum matrum filii varii castra sequi solent Martis, quorum ingenia fre[...] quidem indigent, atqui non tàm verbis, aut verberibus, quàm Ducis auctoritate famæque opinione in officio continentur. *Sic ille.* Et hactenus de requisitis Ducis bellici. 160

CAPUT DUODECIMUM.

AN PRINCEPS IN ACIE *stare debeat?*

IN Cap. priori Duces alios constituimus primarios, talesque Reges aut Principes in suo solo esse diximus, alios secundarios. Hìc ergò discutienda venit mascula illa quæstio, ut vocatur *à Keck. in syst. polit. lib. 1. c. 31. fol. 493. à pr.* An expediat, ut Imperator, Rex, vel Princeps ipse præsentiam suam † aciei accomodet: vel potiùs aliquo intervallo locorum sese á prælio separet? Rationes & argumenta in utramq; partem dari possunt. 1

Pro negante, quæ Principem dubiis præliorum exemptum esse vult, eoq; magis, si hostes in intimos Imperii recessus penetraverint, facit 1. quòd is Reipublicæ † & summæ rerum sit reservandus: utpote ex cujus clade insignis mutatio, & majus sit secuturū incommodum, quàm si sinistra belli alea esset jacta. In milite *Argumenta pro sententia negante.* 2

 unius

unius sors est, in Imperatore universorum periculum, inquit *Egesippus lib.5. cap.30.* Et exercitus similis † est corpori humano,
3 ubi cum manibus conferuntur pedites, cum pedibus equites, acies ipsa cum pectore & thorace, cum capite verò ipse Dux. *Plutarch. in Apophteg. & in vit. Pelopidæ.* Hinc Israëlitæ Davidi contra Absolonem filium ad pugnam egredi volenti: Non exibis, inquiunt, sive enim fugerimus, non magnoperè ad eos de nobis pertinebit: sive media pars reciderit è nobis, non satis curabunt, quia tu solus pro decem millibus computaris: melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos Rex ait. Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergò Rex juxta portam, egrediebatur populus per turmas suas, centeni & milleni, Ducibus Joab, Abisai & Ethai. *2. Sam.18. v.3. & 4.*

Secundò Principem à prælio hodiè facilè deterrebunt tormenta † bellica, quibus etiam ab ignavo strenuus quisque Dux
4 & miles necari potest. Cujus rei documentum illustre est in Mauritio Duce Saxonico, qui ex conflictu cum Alberto Marchione Brandeburgico, jam victoriâ reportatâ, tormento manuario trajectus ad ilia, biduo pòst vitam finivit. *Sleid. lib.25. com. sub an. 1553.*

Pro affirmante. Pro sententia verò affirmante militant argumenta sequentia:

Primò negari haud potest, quin Principis præsentia & com-
5 munio † periculorum magnum afferat ad victoriam adjumentum. Animum enim incredibilem militibus addit, vires duplicat ac confidentiam parit, eosque accendit ad virtutem, ut vel metus pœnæ pudorque, vel spes præmii alacriores reddat: eoq; magis, si exercitui charus sit. Accinit *Appianus lib. 2. de prælio Pharsalico*, dicens: Magnum incitamentum animorum est, cùm Dux adest, observatque cujusque fortitudinem, vel ignaviam. Unde *Virgil. lib. 9. Æneid.* urget Præsentia Turni. Nec non *Hippolyt. in princ. cap. 13. fol. 68.* Princeps in exercitu, velut Numen quoddam, ex quo milites spiritus capere videntur. *& fol. 69.* Ad Imperatoris munus id imprimis spectat, dum pugnatur, obequitate aciem, præliantibus se ostendere: eos qui fortiter rem gerunt,

Digitized by Google

runt, laudare: trepidantibus minari: cunctantes hortari: laborantibus opem ferre: supplere defectus: si quà oportet deducere copias, tempus observare: occasiones præripere: futura conjicere & receptui cani jubere. *Hæc ille. sic Homer. Iliad lib. 4.* inducit Agamemnonem suos modò hortantem, modò increpantem. Alexander M. tantam fecisse militibus suis fiduciam legitur, ut se præsente, nullius hostis arma, nec inermes timuerint, cum hoste nullo congressi, quem non vicerint, nullam urbem obsederint, quam non oppugnaverint: nullam gentem adierint, quam non superaverint. *Justin. lib. 12. in fin. & Curt. lib. 3.* Alexander non Ducis magis, quàm militis munere exsequebatur. In comparatione Alcibiadis & Coriolani ita scribit *Plutarch.* Illud ambobus pariter tribuendum puto: quòd eorum præsentiâ res semper florere augerique videbantur: absentiâ verò aut debilitari, aut corruere. Quod item Edovardus IV. Rex Anglorum novies ex prælio victoriam reportavit, hoc ideò ei contigisse putatur, quia exercitui semper imperaret. Sic refert *Polyd. Verg. lib. 27. hist. Angl. in vit. Henrici VIII.* Anglos nullo alio Duce, nisi Rege, cujus auspiciis bellum inceptum, feliciter id gerere. Et cui ignota tot tantaque bella, quæ suo supercilio sustinuit & gessit Henricus V. Imperator. Itemque Carolus V. nec non Philippus Hassiæ Landgravius? quem in bello adversus Muncerum huc illuc obequitasse, & ad virtutem milites instigasse, refert *Sleidan. lib. 5. com.*

6 Secundò certissimum est, principis præsentiam exercitus fugam † sæpenumerò repressisse, victoriæque causam dedisse. *Hyppolyt. d. l.* Sic Hector Princeps Trojanorum fortissimus, milites jam terga hosti vertentes, suo adventu rursus ad bellum contra Græcos incendit. Magnanimus & strenuus bellator Julius Cæsar inclinatam aciem solus sæpè restituit, quosdam etiam contortis faucibus in hostilem aciem convertit; nec non aquilifero moranti cuspide est comminatus. *Sueton. in ejus vit. cap. 62.* & cùm aliquando Romana acies admodum laboraret, res in angusto esset constituta, ipse Cæsar scuto à novissimis uni militi detracto (quod ipse eò sine scuto venerat) in primam aciem

Digitized by Google

processit: cujus adventu spe illatâ militibus, ac redintegrato animo, cùm pro se quisque in conspectu Imperatoris etiam in extremis suis operam navare cuperet, paulum hostium impetus tardatus est. *Cæsar. lib. 2. de bell. civil.* adeoque fortunam habuit comitem, ut noluerint milites præliari, nisi etiam ipse pugnæ interesset, ut ex historiarum monumentis constat. Pariter Sylla Dictator fugientes, ut Imperatoris sui desertores, ac proditores increpans, ad prælium, injecto pudore revocavit. *Polian. de stratagemat.* Nec non Seleucus, unus ex Principibus Alexandri M. qui defuncto Alexandro primus in Syria regnavit annos 40. animadversâ suorum fugâ in ultimo prælio, quo cum Rege Demetrio conflixit, equo descendens abjecto clypeo, quò faciliùs agnosceretur, primo cornu se immiscet. Hoc facto miles confusus, animum jamdudum abjectum recollegit, prælioque integrato iterum ingenti clade hostem affecit. Inter Christianos Principes primâ laude dignissimus est Georgius Castriotta, qui millibus fermè pugnis cum Turcis commissis, semper primâ acie dimicabat: Unde etiam indubiè creditur, in diversis prælііs circiter duo millia Turcarum trucidasse. *Boter. libr. 10. de polit. illustr. c. 3.*

7 Tertiò, ubi summus Imperator non adest, citiùs † quod non facto est opus, fit, quàm quod facto est opus. *Plaut. in Amphit.* & Princeps præsens in rebus arduis diligentiùs negotia Reipub. veluti suæ, quàm absens prospicere, multaque alia incommoda avertere potest. Quò spectat elegans illud apophthegma Caroli V. Imperatoris: Ut Luna, † quia in terris propior est, efficaciùs in hoc elementari orbe vim suam exercet: ita Regum præsentia & vicinitas plurimum in motibus bellicis, ac togata Reip. administratione momenti habet. *Chytra. lib. 19. Saxon. fol. 509. Münster. lib. 3. cosmograph. in vit. Caroli.*

8

9 Quare Antigonus † trepidanti gubernatori in prælio navali contra Ptolomæi Duces, multitudinem navium hostis accusanti: Me verò, inquit, præsentem, cum quot comparas? *Plutarch. in apophth. & in vit. Pelopidæ.* Intellexit scilicet, quòd Principis præsentia sit instar millium.

In

In bello, quod Albertus † Austriæ Dux priùs, quàm Romanis imperaret, contra Bohemus diutissimè gessit, interrogatus quem copiis præficere statuisset: si alium, inquit, quàm me ductorem exercitus petitis, frustrà me Austriæ Ducem appellatis. *Æn. Sylv. lib. 3. c. 37.* 10

Quartò, intentiores † custodiæ sunt milites, quòd cùm Rex in castris sit, usque vereantur, ne ipse, quod aliquando Cæsar fecisse dicitur, excubias & viglias circumeat. *Vincent. Castellan. lib. 2. de offic. Reg. c. 32.* 11

Quid denique de benevolentia † & propensione militum indigenorum in Reges suos dicam, pro quorum salute se pugnare vident. Hinc Macedones adversus Illyrios & Thraces belligeraturi, infantem Regem in cunis efferri curarunt, cujus unius aspectu ipsi animati & exhilarati, acriùs certamen repetiverunt, & cladem antè perpessam compensarunt. *Justin. libr. 7. circa princ.* Idem de Francis refert *Æmil. lib. 3. de gest. Franc. c. 82.* qui pro Clothario alacriter pugnabant contra Childebertũ, cùm Clotharium in cunis, & ab uberibus matris Fredegundis pendentem, exercitum præcedere viderent. Pari fermè modo cùm Eumones Imp. ægrotaret, exercitus pugnam detrectavit, ni lecticâ adveheretur in campum, ut ejus auspiciis ac ductu prælium inirent. *Plutarch. in ejus vit.* Ecquis ergò non videt, multos Regem alacres secuturos, qui aliena imperia recusarent? 12

Et sic aciem ab utraque parte instruximus; sub cujus igitur vexillis militabimus? inter utramq; mediam nos parabimus, & sic stabimus tutissimi, si nimirum distinguamus: An Princeps alacritate † rerum gerendarum, animique magnitudine & fortitudine bellicâ sit præditus: & num illa comitem † habeat fortunam bellicam, nec ne. Nec enim tàm fortitudo, quàm felicitas in Duce spectanda, quam Romani imprimis intuentes, Scipioni, Marcello, & aliis magnis Imperatoribus non solùm ob virtutem, sed etiam propter fortunam bellicam sæpiùs imperia mandarunt, & exercitus commiserunt. *Cicer. in Orat. pro L. Manil.* Ob adversam verò fortunam ita monetur Paris: 13 *Determinatio.* 14

Bel-

Bella gerant alii, tu Pari semper ama.

Quod si itaque 1. sit animo alacri, forti, magnanimo, strenuo & bellicoso:

2. Si prospero successu utatur, expedit ut ipse aciei intersit, & cum Turno urgeat milites, voce suâ erigat, excitet, animet, hortetur, bonos laude, segnes exemplo incitet & instimulet. Sin
15 verò ipse deseratur † à fortuna bellica, & omnia sinistra experiatur, ac equo vehatur Seiano, (qui à Cn. Seio primo domino suo nominatus, omnibus quidem equorum laudibus longè præstantissimus, hoc tamen infelici fato ac fortunâ, ut quisquis eum possideret, is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus ad internecionem usque deperiret. *Gell. lib. 3. cap. 9.*) fortunæ suæ non resistet, & à pugna aberit.

16 Multo ergò magis, si sit abjecti † animi, ignavus, timidus & pusillanimus, domi manebit, ne animus cæterorum frangatur, & exemplum fugæ præbeatur militibus. Videndum est Regi, ut monet *Castellan. d. l. 2. c. 36.* ne timoris opinionem præbeat, ut & hostes alacriores, & suos timidiores efficiat *& cap. seq.* Nullum formidinis signum emittendum Ducibus, ne auctoritas, quæ plerumque bella conficit, amittitur. Hanc ob causam Julius Cæsar cum Germanis congressurus, Duces trepidantes abire jussit, atque abesse à prælio, quos præter opinionem suam adeò molles & effœminatos cerneret. *Zonaras tom. 2. annal. in ejus vita.* Maximi certè momenti est virtus Principis, adeò ut optimo
17 jure Cabrias Atheniensis dixerit; Terribiliorem † esse cervorum exercitum Leone Duce, quàm Leonum agmen ducente cervo. *Baptist. Fulgos. lib. 6. de dict. & fact. memorab. cap. 2.* Unde com-
18 munis est illa sententia: satius † esse, ut exercitus pusillanimis habeat Ducem fortem ac animosum, quàm Dux animi abjecti animosum exercitum. Imperator enim fortis atque animosus exercitum, exempto metu, alacrem reddit disciplinâ militari probè instructum. *Boter. lib. 10. de polit. illustr. cap. 1.* Et fortis Dux est instar omnium, *dicente Procopio de bello Gothico lib. 1. c. 15.* Nihilque verius est illo vulgari: *Timidi nunquam statuerunt trophæum. Erasm. Roterod. chil. 2. adag. cent. 6. adag. 25.*

Ta-

Talis lepus galeatus fuit Xerxes Rex Persarum, qui d[illegible]es centena millia hominum, secundùm sententiam *Justini & Philippi in Chron.* vel amplius etiam, juxta *Herodot. lib. 7.* in Græciam traduxit: sed timore perculsus, turpiter in piscatoria scapha aufugit, exercitusq; magnam accepit cladem, de quâ *Herod. d. libr. 7. & Justin. lib. 2.*

In classe ignavorum ac timidorum Principum collocatur etiam Ladislaus Ungariæ ac Bohemiæ Rex, qui audito Turcarum ad Albam Græcam oppugnandam adventu, usque adeò consternatus fuit, ut simulatâ venatione, Budâ egressus, Viennam continuò sese receperit; arcem quoque Budinam omni præsidio destitutam reliquerit, quæ triginta circiter diebus hosti quoque patuit. *Bonfin. decad. 3. lib. 3.*

Quare formidolosi & inauspicati domi fortunam suam experiantur. Leguntur † enim victoriis clari, qui domi omnia 19.
prudenter ordinarunt, & ipsi absentes per alios felici successu bella gesserunt: atque adeò nihilominus eorum auspiciis victoria fuit parta. Ita Augustus in propria persona non interfuit prœliis, sed per privignos suos Tiberium & Drusum cardinem belli sustinuit *Münster.* sed & Mauritius Imp per legatos prælijs aliquot fudit Persas. *Paul. Diacon. lib. 17. Nicephor. lib. 18. c. 6. 7. & 8.*

Quod si tamen status † imperii, aut salus provinciarum in 20
summo discrimine vertatur, tunc Princeps, quali quali animo sit præditus, præsentiam conflictui adhibebit, ut militibus confidentia creetur. Tunc enim magnifica hæc vox Marii aures militum mulcebit: Egomet in agmine atque in prælio consultor idem & socius periculi vobiscum adero, me vosque in omnibus rebus juxta geram. Itemque illa Catiliana ad milites suos: vel Imperatore vel milite me utimini, neque animus, neque corpus à vobis aberit.

Hanc sententiam ita proponit *Vincent. Castellan. lib. 2. de offic. Reg. c. 30.* in summa rerum desperatione & discrimine decet Imperatorem se periculis objicere. Fortunæ alea tum est subeunda, cùm aliâ ratione potior reperiri non possit, ut

fecit Julius Cæsar, qui in prælio contra Nervios, cùm rem esse in angusto vidisset, detracto militi cuidam scuto, in primam aciem processit, cujus adventu redintegratis militum animis, secuta victoria est. Et *cap. 25.* Ubi docet, non esse Imperatoris extra casum necessitatis manu dimicare. Caveat, inquit, Imperator, ne temerè se objiciat periculis: sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudinique anteponenda. Secundùm alios tamen in Rege aut Duce, cui summa Imperii credita est, nunquam requiritur agitandorum armorum scientia, manuque cum hoste confligendi audacia: sed militaris prudentia, imperandique ratio. Inter cæteros ita *Boter. d. c. 3.* Non est eorum præliari, inquit, sed præliantes ordinare, instruere, acclamationibusque juvare. Et *Bodin. lib. 5 de Repub. cap. 5. num. 572.* Imperatorem militis officia gerere nolo, nec se vitamque suam in aperta pericula conjicere: ut temerè fecisse arguitur Pelopidas, M. Marcellus, Vasto Fu[illegible], ac plerique alii, quorum occasu incredibile attulit Respub. detrimentum. Nec non *Keckermann. in curs. Philosophic. fol. 789. in fin.* ex Machiavello tradit: Princeps non prælio se parabit, sed bello. Sic Clearchus Cyro consilium dedit, ne ipse se in periculum offerret, sed inspectorem pugnæ gereret. *Polyan. lib. 2.* Cum item Jacobus Rex Scotiæ fugientes Anglos persequi pararet, ejus Duces, ne id hoc faceret, vehementissimè orabant, obsecrabantq; : Imperatoris n. esse, providere saluti omniũ, castigare inertes, hortari fortes, submittere fessis integros, cani jubere receptui, & id genus obire munera belli, non a. pugnare, *nisi cum foret necessitate victus*, & tunc eum haud plus uno homine valere, sed si dignitatis gradum teneret, pro centum millib. unum esse suo exercitui. *Polyd Verg. lib. 27.* Hinc etiam Iphicrates Calliæ filius se per contemptũ interroganti, num [illegible], cetratusve esset, an pedes gravis armaturæ, equesve? Nihil horũ sum, respondit, sed qui his omnibus imperem. *Plut. de fortitud.* sic & Scipio Africanus, cùm quidam illi objecissent ignaviam, quod manu promptus pugnaxq; non esset, dixit: Imperatorem me mater genuit, non militem, nempe gregariũ, qui omnib. armorum periculus objiciendus sit. *Front. l. 4. strat. c. 7.*

In

In extremis itaq; periculis nolumus Regem, cùm Imperii status, & salus provinciarum in discrimine versatur, torpere, ut non audeat vel prætorio, vel etiam domo regiâ egredi.

Nobiscum faciunt Politici quam plurimi. *Lips. l. 5. c. 4 Tholoz. l. 11. de Repub. c. 4. Jun. part. 1. q. 19. p. 2. q. 72. in fin. Althus. c. 30 fol. 427. Kerk. l. 1. syst. c 31. f. 492 in fin.* inquiens: Quod si necessitas præsens adsit, & si milites propter absentiam Imperatoris sint pusillanimes, & velint dilabi, utique etiam ipse Princeps suâ præsentiâ militem armare debet.

Monet tamen *Theod. Zvving. in theatr. vit. hum. vol. 7. lib. 3.* Ut Princeps cautè † pugnæ intersit. Sic Ludovicus Borbonius, 21 qui à Gallis defecerat, in pugna ad Papiam in Parco commissa, cùm à Gallis vindictæ avidis, omnibus pugnæ locis requireretur: ad tutiorem promptitudinem Pomperano familiari traditis insignibus, tunicati & privati equitis habitu depugnavit. *è Jovio in Piscario lib. 5.* & Carolus Andegavensis, in prælio contra Conradinum Suevum, hostium insidias, mutato habitu, detractis insignibus regiis, calonis habitu sumpto, vitavit. *Æmylius lib. 7. Fulgos. lib. 7. de dict. & fact. memorabil. c. 4.*

Minora † tamen bella, in quorum cardine non volvuntur 22 tot tantæq; res, alii, vel minori Duci Princeps poterit demandare, *auctore Tacito lib. 4. hist. & Lipsio lib. 5. polit. c. 17.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE DISCIPLINA MILITARI.

Doctrinam de Imperatore bellico excipit illa, quæ est de imperio † ipso militari, cujus præcipuum decus & stabili- 1 mentum est disciplinæ tenacissimum vinculum. *Valer. Maxim. lib. 2. de dict. & fact. memorabil. cap. 7. à princ.* Quæ disciplina † 2 militaris parentibus Romanis antiquior fuit charitate liberorum, ut inquit *JC. in l. postliminium 19. §. filius 7. ff. de captiv. & postlimin. reverf.* Utputa, quòd in ejus † sinu & tutela serenus 3

 tran-

tranquillusque beatæ pacis status conquiescat. *Valer. d. l.* vel, ut Alexander Severus *apud Lamprid.* loquitur, Rempublicam contineat: quæ si dilabatur & nomen & imperium Romanum amissum iri: At ea tamen hodie non dicam languet apud nos, sed obiit: neque mala, sed nulla est. *Lips. 5. polit. c. 13.* Et an nostro seculo exspectandus sit exercitus bene disciplinatus, disputat *Scipio Amirat. discurs. in Tacit. 1. cap. 4*

4 Quare omnibus imperii nervis Duces ad † revocandam pristinæ militiæ disciplinam conniti, omnes culpas militares legibus vindicare, nullique errantium ignoscere debent, *Veget lib. 3. cap. 10. & Andr. Geilius de pac. publ l. 1 c. 4. n. 33. & 34.* Utinam, inquit, hâc nostrâ tempestate, superiorum temporum militaris disciplina, & severitas castrensis, de qua *Alex. ab Alexand. libr. 2. genial dier. c. 13.* adhuc sarta tectaque conservaretur. Modo sine delectu, honesti cum reprobis, absque ulla probatoria milites assumuntur: Militia ipsa venalis est, cauponaria, & institoria, milleque fraudibus exposita, idque non sine maximo imperii detrimento, tantaque nostrorum militum effrenata licentia est, ut omnia pro sua libidine per fas & nefas attentent & concutiant, nimiaque fiduciâ & opinione Germanicæ libertatis, quam toties arrogantes ingeminant, nunc pro imperio: mox mutatâ pro arbitrio sententiâ, contra Imperii salutem stipendia merentur: ut merito *cum Virgilio libr. 2. Georg.* exclamare liceat:

Quippe ubi fas versum atq; nefas, tot bella per orbem,
Jam multæ scelerum facies, non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis.

Et *cum Lucano lib. 10. bell. civil.*

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus, ibi fas, ubi maxima merces.

5 [illegible] Imperii in Comitiis Spirensibus facta & publicata sub Maximiliano II. Augusto, Anno 1570. de disciplina militari equitum & peditum in Germania instituenda & conservanda. Utinam ea, quæ tam prudenter & utiliter constituta sunt, prout

prout decet, observarentur, sed & hic licet exclamare *cum Horatio:*

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

Disciplinæ militaris vim † indicat *Francisc. Patrit. dialog. 6. de hist.* dum ait: Omnis vis copiarum consistit aut in militum disciplina, aut numero, aut robore. 6

Disciplinam † JC. dicit consistere in danda & observanda ratione vivendi. *l. 12. ff. de re milit. Lips. d. c. 13.* in severa conformatione militis ad robur & virtutem: ejusque partes † sive munia facit quatuor: Exercitium, ordinem, coërctionem, exempla. 7 8

Exercitium & ordo ad robur: coërctio ad virtutem: exempla ad utrumque spectant.

Exercitium † militare est, quo milites, assiduè instruuntur, & exercentur ad armorum usum & ad opus. Unde etiam exercitus † vox manavit, quòd melior fiat exercitando. *Varro de ling. Latin. c. 4.* Plus enim usus, quàm vires possunt: nec annorum numerus, sed continua exercitatio artem militarem docet. Hac de causa Avidius Cassius exercitum esse voluit septimi diei, omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim miserum esse, cum exercerentur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. *Vulcatius Gallicanus in ejus vit.* 9 *Exercitium militare.* 10

Accedit & hoc, quòd milites otio † torpescentes lasciviant, & ad seditiones fiant proni. *Veget. l. 9. c. 4.* Unde & *Polyb. lib. 9.* monet, ne nimium otii, desidiæ & ignaviæ militibus concedatur, inquiens: Otium in exercitu perniciosissimum est, & fere ac solum, ut ita dicam, fons atque origo seditionum omnium: quod de Carthaginensibus in siccam traductis militibus testatur *l. 1.* 11

Perpendens hoc probus Imp. nunquam militem otiosum esse perpessus est, & multa opera militari manu perfecit, dicens: annonam gratuitam militem comedere non debere. *Vopiscus.*

12 Hâc etiam † ratione Metellus à luxu suos avocavit, & strenuis bellatoribus adversus Jugurtham usus est. *Salust. de bell. Jugurth.*

Idem de exercitu Cn. Pompeii hoc refert: Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis rectè certabat. Neq; enim aliter Sertorio par esse potuisset, nisi sese & suos milites frequentibus exercitiis præparasset ad prælia.

Maximinus senior, priusquam ad Imperii culmen conscenderet, sub Alexandro Severo militans, quintum semper diem in armis ducebat, militariq; more quotidiè currendo atq; luctando militem exercebat. Ipse quoque, quamvis jam grandis natu, campestrium exercitationum labores cum aliis militibus subibat. Ergò & tu operam dabis, ut sive legio, sive auxilia fuerint, exerceantur assiduè, *monitore Vegetio l. 2. c. 23.*

Diximus autem milites exercendos *armis & opere:*

13 Armorum † usus tyronibus primò est demonstrandus, postcà im[illegible] ab iisdem in quotidianis exercitiis exigenda.

Diversa autem armorum tum peditum, cum militum erit tractatio,

14 Pedites † discant arma tractare, atque adeò vel punctim vel cæsim iis uti, & vel vim inferendo, vel declinando & excipiendo: incedendi ordinem servare, militariq; gressu ambulare celeriter & æqualiter, sic ut ne locum deserant. *Veget. lib. 1. de re milit. cap. 8.*

In acie simul dispositos ordines servent, intervalla custodiant, nec ultra, quàm decet, conglobent vel laxent agmen. *cap. [illegible]* discant bajulare pondus, commodè tractare tormenta bellica, missile, & destinato ictu, & magnis viribus jacere *c. 4.* tractare scutum & obliquis ictibus venientia tela deflectere. *ibid.* castra constituere & munire. Nam rectè munitis castris, ita intra vallum securi milites dies noctesque peragunt, etiamsi hostis obsideat, quasi muratam civitatem videantur secum ubique portare. *d. cap. 16.* natare, *cap. 10.* exemplo & more Germanorum veterum, qui etiam armati flumina tranare soliti sunt, *teste Dione libr. 60.* Nam & cedens & insequens frequenter na-

natare cogitur exercitus. *Veget. ibid.* eaque omnia in campestri meditatione prænoscet, quæcunque in acie atque prœliis evenire possunt. *cap. 1.* quæ progymnasmata præfecti solertia suggerit. Eadem est *Hippolyti a Collib. in princ. c. 25. fol. 79.* doctrina & admonitio ad Principem & Imperatorem belli, ut milites suos ad hodiernum armorum genus exerceat: pedites quidẽ saltu, cursu, palæstrâ, sclopetariis ejaculationibus, jecaculationibus, quæ ad scopum præfixum fieri solent: interdum fictis incursionibus, insidiis, adumbratis proditionibus, simulatis itineribus, panicis terroribus. In his fictis pugnis utile præmiolum aliquod proponi strenuis. *Lips. l. 5. polit. c. 13.*

Equitum † exercitia sunt, ut celeriter ex utroq; latere equum 15 ascendant & desiliant. Cujus rei gratiâ olim lignei equi, hyeme sub tecto, æstate in campo ponebantur: super hoc juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, deinde armati cogebantur ascendere. Tantaq; cura erat, ut nõ solùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. *Veget. l. 1. c. 18.* deinde in concitatissimo equorum cursu vel hastam, vel sclopetum gubernare discant. *Wilhelmus Dillich us l. 1. discurs. milit.* inter armorum strepitus, & bombardarum tonitrua frenare equum, ne dissipetur agmen. *Lips. lib. 3 de mil. Rom. dial. 7. Keck. l. 1. syst. polit. c. 29. fol. 449.* Ita & *Hippol. d. l.* equites Imperator belli docebit, equos suos curare, currere, incitare, tùm sistere, tùm de via deflectere, tùm per salebras decurrere, nec fossæ, nec rivo parcendo: deniq; & in orbem flectere, ex his pugnare, & alia bello necessaria.

Opere milites exercentur, quando assiduè laborare, decurrere, portare pondus, & solem pulveremq; ferre discunt. Nam hæc indurant militem, & exercitus labore proficit, otio verò consenescit & languescit. Sæpè etiam in arduis expeditionibus necessitas imminet, annonam pariter & arma portandi, castra muniendi, fossam ducendi, sudes figendi, munitiones parandi. *ex Veget. Lips. l. 5. polit. c. 13.*

Auctor est *Cicero 2. Tuscul.* milites Romanos per hunc usum, scutum, galeam, gladium in onere non plus numerare, quàm hume-

humeros, lacertos, manus, vel, ut *Hyppolyt. d. fol. 79.* loquitur arma membra reputare. Quò spectat illud *Egesippi:* Aliis arma oneri sunt, nobis integumento, quia usu levantur.

De priscis Germanis, & in specie de Cattis refert *Tacit. de morib. German.* quòd milites suos super arma, ferramentis, annonis, aliisque instrumentis bellicis oneraverint,

16 Ordo. Secunda pars disciplinæ bellicæ consistit *in † ordine*, quem in bello servare, maximi momenti est: imò eo nihil salutarius, nihil tutius. Ordinatus exercitus, ait *Xenoph. in Oecon.* jucundissimus est aspectu amicis, molestissimus verò hostibus.

17 Ordo verò consistit primò † in digerendis copiis per cohortes, centurias, decurias *ad imperandum*, aut acie distincta, & ex pluribus partibus constans facilior & expeditior ad imperia sit: cùm scilicet miles sui Centurionis, Centurio Tribuni, Tribunus verò atque ita ordine omnes copiæ, Ducis sui imperata exaudiunt & exequuntur, ad nutum & voluntatem regentis sine tumultu se accommodant. Commune enim est, non [illegible] omnibus imperanda, sed ita se Ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, ut multa per Centuriones Tribunosque tantum expediantur & jubeantur *ex Tacit. Lips. d.l.*

18 Secundus † usus ordinis est in itinere, *ad incedendum*, vel in acie, *ad standum*, ut omnes milites ordinem incedendi servent, ut æquali legitimoque spatio miles distet à milite, nec ultrà, quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Sæpè enim integri exercitus ob confusionem periere. *Xenoph. in Oecon.*

19 Tertius † est in castris, tum *ad certa loca assignanda*, ut illa aptâ dimensione vias suas, portas, fora, ad formâ urbis habeant, quò facilè quisque locum suum, & commilitones reperire possit, de quo *Zwinger. in theat. human. vit. vol. 28 lib. 3.* tum etiam *ad dividenda contubernia.* Centuriæ siquidem in decurias seu contubernia dividendæ, ut decem, vel etiam paucioribus militibus, sub uno papilione degentibus, unus præsit Decanus, qui caput contubernii nominatur. *Veget. l.2.c.13.*

Qualis ordo in pugnando apud veteres fuerit, *ex Dom. Cyl. lib. 2. c. 6.* his verbis indicat *Hippolytus in princ. cap. 10. fol. 83.*

Gra-

Gravis armatura pro muris stabat: in qua prima acies & secunda immota stabat. Triarii verò residebant. Levis armatura adversarios provocabat. Gravis armatura prælium excipiebat: sed levis armatura fugientes sequebatur. Quibus addit: Nostris verò temporibus armorum mutationem, ordinis mutatio subsecuta est. Cùm enim duobus cornibus, dextro & lævo, ac jugo sive medio exercitus constet, ac veluti corpus suis partibus, sic ipse multis aciebus perficitur. Nam acies ipsa sive quadrata, sive triangularis, vel scorpionis, vel quacunque alià formâ fuerit, in ejus medio spatium relinquitur, in quo Ducis signum poni solet, circum id equites armati, quasi ut cataphracti. In angulis & etiam in medio tormenta, sæpè etiam in fronte, quæ cùm pilas emittunt, milites cedere jubent, ac si alam facerent. Deinde ad sua simul redeuntes, impetum in hostes faciunt. Pedites inter hastatos, undique à fronte, & à lateribus, & à tergo sclopetarii collocantur, ac singulis hastatis singuli interseruntur. Sic quælibet peditum acies instruitur. Post dextrum & sinistrum cornu in lateribus, equites gravis armaturæ collocantur, velut murus, & peditum [illegible]ur, vel ubicunque erunt hostium equites, illis opponendi sunt. Extra ipsa latera equites levis armaturæ ad pugnam ineundam, & lacessendum hostem, & ne quis fugiat, locari solent. *Sic ille.*

Succedit pars tertia, *coërctio* † scilicet, quæ mores militum 20
coërcet ac frenat, & robur & ordinem militarem in exercitu con- *Coërctio.*
servat, per continentiam, modestiam, & abstinentiam.

Continentia † in cibo & Venere exigitur, ne milites effusè sint 21
convivus & ventri dediti, & turpissimæ parti corporis. Utraq; res enervat: & degenerat à robore ac virtute miles assuetudine voluptatum. Ideoq; à castris luxuriosos apparatus conviviorum, & instrumenta libidinum arcebit Dux belli. *Lips. d. c. 13. Tholoz. l. 11. de Repub. c. 9.* Sic Scipio publico edicto omnes castris exire jussit, qui cibos delicatiores importarent ac venderent. Et in bello Numantico sub pœna gravissima jussit omnes, qui clinodia aliaq; delicatiora venderent, ociùs castris excedere, neq; unquam reverti, nisi adducerent frumenta. *Boter lib. 9 de pol. ill. c. 10. fol. 635.*

22 Modestia † militum exigitur in verbis, vestibus & factis.

23 In verbis, † ne sint vani, buccâ turgidi, clamosi, minaces, solis verbis feroces, contumeliosi adversus hostem, ultrò eum provocantes ad certamen: & tales, qui in conviviis, & circulis, cùm de hostibus mentio incidit, vix manibus temperant, pugnant, tùm potant. Hi galeati lepores, ut est Cornificii dictum de suis, primò quidem impetu sunt alacres, quasi nihil metuant, & soli velint omne periculum sustinere, sibique ante oculos victoriam pollicentur, sed ipsis Mars est in lingua ventosa & pedibus fugacibus, ut loquitur *Virgil. lib. 11. Æneid.* Quid enim? Vix vultum hostium sustinent: cum ad prælium ventum est, animum una cum armis abjiciunt, in pedes se conjiciunt, post principia sibi cavent, ut ait Thraso *apud Terent.* ac illud Homericum:

—— *inque pedes cunctu mens decidit imos.*

Planè ut canis in lacessendo petulans, leviter ictus refugit: ita & illi ante pericula sunt minaces, verbis & minis audaces, inutiles verò ad pugnam. In quos & illud Salustianum cadit: Exercitus linguâ, quàm manu promptior: prædator ex sociis, & ipse præda hostium. Unde etiam θρασύδειλοι nominantur *ab Arist lib. 3. Ethic. cap. 7.* eò quod habent timiditatem cum audacia conjunctam. Econtrà fortissimi viri non nimium sunt confidentes, neq; etiam nimium timidi, ante pericula sunt taciti, modesti & placidi, quibus scilicet pectus animorum, iræque tacitæ plenum, quique omnem ferociam in discrimen certaminis differunt, hostem conviciis non lacessunt, nec ante tempus victoriam sibi pollicentur: norunt enim Martem esse dubium, fortunamque belli variam: in pugna verò & certamine sunt acres, animosi, strenui, non desistunt, nisi aut gloriosè vincant, aut occumbant. Quare Dux belli ventosas ejusmodi linguas impetusque cæcos compescet, & cum Memmone *apud Plutarch. in apopht.* edicet: pugnare te conduxi, non conviciari. Ita primum impetum militum contra Cimbros cohibuisse scribitur Marius, eosq; tenuisse in castris, donec invicta ea rabies & impetus, quem pro virtute

tute barbari habent, consenesceret. *Flor. lib. 3. cap. 3.* Temeritas enim ubi primum impetum effudit, sicut quędam animalia, amisso aculeo, torpet. *Curt. lib. 4.*

Sed contravenis, & regeris, quòd Ethicorum docent scholæ, vehementes † affectus iramque conferre aliquid ad actiones fortitudinis. Ira n. solet hominibus in periculis addere animum, ita ut quodammodo nihil extimescant, quemadmodum apparet in hominib. iratis, qui interdum etiam inermes adversus armatos insurgunt, & cum illis pugnare non verentur. Ideò *Arist. lib 3. Ethic d. c. 8.* dicit, iram maximum habere calcar & incitamentum ad pericula adeunda: propter eam enim calescit sanguis circa cor, qui calor posteà per totum corpus diffusus omnibus membris addit robur aliquod in agendo. Ita & Peripatetici tradidêre, ut est *apud Cicer l. 4. Tuscul quæst.* iracundiam esse cotem fortitudinis. Et *Seneca* ait: ira necessaria est nec quicquam sine illa expugnari potest: nisi illa impleat animum, & spiritus accendat. Qu bus suffragium suum apponit *Joann. Casus l. 3. specul. Philosophiæ moralis, c. 8.* dicens: Non est negandum, quòd ira quidam aculeus ac stimulus veræ fortitudinis, quippe naturam veluti consopitam excitat, animum ad justam vindictam commovet, vires & arma pugnantibus subministrat: quæ tr a secundùm interpretes, ad veram fortitudinem requiruntur. Quod autem hæc sit vis iræ, probat *Aristot.* exemplo beluarum, quæ, licet naturaliter homines metuant & fugiant, tamen quando ad iram sunt concitatæ solent homines invadere, & irruere in venabula, in gladios, in hastas. Deinde manifestum id facit aliquot exemplis & testimoniis *Homeri*, affirmantis, viros fortes & strenuos in pugnando ab ira plurimum sæpè fuisse adiutos. Refert *Homer. l. 5. Iliad* Martem Trojanis ad pugnam egressuris iram & vires concitasse. *&* *l. 24. Odyss.* de Ulysse scribit, quòd cum procos invadere voluisset, ei acris furor circa nares fuerit excitatus. De *Ænea* idem testatur *Virgil. lib. 5. Æneid.* 24

—— non territus heros,
Acrior ad pugnam redit & vim suscitat ira.

Quin & *Liv. lib 1.* Romani, inquit, non priùs quàm irâ & cupiditate recuperandæ arcis stimulante animos. Item: Nunc

Q 2 ira

ira in hostes stimulando, nunc spe præmiorum animos militum accendit Hannibal.

25 Sed hæc interpretes de moderata † intelliguntira, non de cœca, vana, & importuna, quæ omninò animum perturbat, hominique mentem aufert. Imò moderatam iram utiliterà natura homini datam esse ajunt, ad propulsandam & vindicandam injuriam, sibi vel suis illatam: neque locum illam habere, nisi in animis generosis: molles verò & effœminatos illo affectu destitui, juxta tritum illud

Non cadit in molles nobilis ira viros.

26 Unde præcipiunt, quòd hæc iracunda † fortitudo, quæ à sola ira proficiscitur, non sit vera fortitudo hisce de causis: 1. quia non proficiscitur ἐκ τῆς προαιρέσεως, id est, certo animi proposito, sed tantùm ex affectu aliquo existit. 2. quia etiam in bestiis, ut anteà dictum, locum habet, & interdum in hominibus sceleratis & improbis, qui etiam multa pericula adire & perferre coguntur, si velint sua scelera perpetrare. 3. quia vera fortitudo tantùm honestatis causâ pericula aggreditur & sustinet: illa verò verò vindictæ causâ, aut alia quadam de re suscitatur. Itaque illos, qui solùm ex ira, aut alio affectu pericula adeunt, & strenuè pugnant, non fortes, sed pugnaces seu pugnandi cupidos nominant.

27 Sed & convitia † inter milites à Duce prohibenda, contentiones, si quæ oboriantur, tollendæ, & maturè sunt definiendæ: Tandem enim longiùs serpunt, fiuntque periculosæ. Concordiâ mutuâ, ut scribit *Salust.* res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Sic *ex ordinatione Imperii militari Spiræ facta ann. 70. tit.* Röm. Keyserl. Majest. Reuter bestallung: Von bestellung des Feldes/ erneweret Reuter Recht. *art. 67. 68. & in artic. 29. cum seq.* auff die teutsche Knecht/ odia mutua, concertationes, offensiones & læsiones, pro qualitate rei, justa pœna, etiam corporalis, manet.

28 Seditiones † in castris motæ gravissimis quoque pœnis coërcendæ sunt. Seditionem castrensem jam ortam, inquit *Theod. Zwinger. in theat. hum. vit. vol. 7. lib. 3.* Dux compescat, sed

lo-

ſos milites reconciliet, vel circumveniat. De ſeditionibus, earumque remediis videatur *Rantzovius lib. 2. com. bell c. 16.*

In veſtibus † militum etiam modeſtia requiritur: & omnis ſplendor, ornatus nimius, & jactantia illis vitanda. Nam illa præda potiùs, quàm arma ſunt, nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem & vulnera. *Liv. l. 9.* Hac de cauſa Romani † horridum militem eſſe volebant, non cœlatum auro argentoq; ſed ferro & animis fretum. *ibi.* Sic Peſcennius Niger Imp. nolebat à milite aurum & gemmam in aciem apportari, ne hoſtis prædæ cupidine inflammetur: quæ etiam fœminas imbelles fortiores & ardentiores in præliis facit: cujus rei exemplum ſe nobis exhibet Camilla Virgiliana *lib. 11. Æneid.* quæ 29 30

Cæca ſequebatur, totumq;
incauta per agmen
Fœmineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore.

Sed & Darius uſu edoctus, ferro bella geri, non auro, neq; diſcolori veſte dixit. *Curt. libr. 5.* Diſplicuit veteribus Cæſar, qui milites auro & argento politos habuit. *Sueton. in ejus vit. cap. 68.* Ejuſmodi exercitum pretioſis armis veſtibusque, auro argentoque politum Antiochus quoque oſtendit Hannibali, ſed ab eo feſtiviter deluſus eſt. *Macrob. l. 2. Saturnal.*

In factis † modeſtia exigitur, ut milites ſint obedientes, & intenti ad Ducis ſui, non ſignum modò, ſed nutum: non curioſi, refractarii, aut juſſa Ducum interpretantes magis, quàm exequentes, vel etiam inquirentes in illa. Nam ut inquit Dux bonus Braſidas *apud Thucyd. l. 5.* tria † ſunt bonæ militiæ capita: velle, vereri, obedire. 31 32

Nullum † ſanè in magnis exercitibus pernitioſius eſt malum, quàm nimia licentia, ac reverentiæ neglectus. Inde enim orta perſæpè parvarum rerum momenta, immenſa ſecum mala traxerunt. Novit id & oſtendit ſeptimus Severus Imp. qui cùm podagrâ laboraret, & propterea impediri, quam decreverat, expeditionem videret, militesque filium ejus Antoninum Caracallam Imperatorem ſalutarent, arbitrati in eo ſceleris nihil à ſe perpetrari. Quod cùm audiſſet Severus, lecticâ ſe in tribunal 33

deferri, Tribunos & Centuriones, primos hujus consilii auctores, nec non filium ob acceptum Augusti nomen adesse, omnesque, præter filium, securi percuti jussit. Rei cùm humi prostrati, & cum eis unà reliquus exercitus lachrymans, miserabili voce excusabilis erroris veniam peterent, vix tandem adduci potuit, ut eam ante tribunal prostratis daret, in hæc verba erumpens: *Nunc demum intelligitis, non pedes, sed caput imperare.*

34 Abstinentia † militum exigitur, & ab iis violentia vel deprædatio arcetur, ut à vi rapinisq; absint, & manus puras habeant, annonâ & stipendio suo sint contenti. *Luc. 3. vers. 14.* Provinciales non infestent, sed cum illis, tanquam cum amicis vivant, & ita transeant, ut non modò manus, sed ne vestigium quidem cuiquàm pacato nocuisse dicatur. *Cicer. pro Leg. Manil.*

Aurelianus Imp. in Epist. ad Vicarium scripta: si tribunus, inquit esse vis, aut potiùs si tibi, ut vivas, curæ est, fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum rapiat, alienam ovem tangat, ab aliena vinea uvam decerpat, aliena sata conculcet, oleum, salem, ac ligna petat, taxato ei commeatu contentus maneat, prædaque hostium, non lachrymis subditorum alatur, nitida habeat arma, ferramentaque omnia parata teneat. calceamenta sint firma, veterem vestem non excludat, stipendiumque ejus in baltheo, & non in culina maneat, equum suum majorem ipse perfricet, animal ex hoste captum non vendat, mulumque, qui ejus ac comitum impedimenta gerit, d l genter curet, mutuoque sibi milites, ut servi, auxilio sint, à Medicis sine præmio curentur, Aruspici & sagis nihil dent, honestè in stativis suis vivant, & qui rixabitur, vapulet. *Flav. Vopiscus in vit. Aurel.*

Impp. Constantinus & Julianus *in l. b. 1. C. de erogat. milit.* ad Helpidium ita scribunt: Repetita consuetudo monstravit, expeditionis tempore buccellatum (quod erat genus panis bis cocti, & expeditionalis annona dicebatur) ac panem: vinum quoque atque acetum, sed & lardum, carnem etiam verveci-

nam

nam milites nostros ita solere percipere: in duobus diebus buccellatum, in tertio die panem: uno die vinum, altero die acetum: uno die lardum, biduo carnem vervecinam. Transeuntes provinciam, nullam provincialibus molestiam adferre audebant, sed salgamo contentos esse oportebat: quo nomine significabantur herbæ conditæ, veluti penula, brassica, beta, & quæ ad victum ex sale in vasis continentur: si hujus nominis obtentu, aliud exigerent, veluti culcitras, ligna, oleum, pœna in eos statueabatur. *l. unic. C. de salgamo hospitib. non præbend.* vestium canonem ex publico habebant. *tot. tit. Cod. de milit. vest.*

Pescennius Niger in milites tantam instituit censuram, ut cùm apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, responderit: *Nilum habetis, & vinum quæritis?* Siquidem tanta istius fluminis dulcedo, ut accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis, qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus: *Vinum non accepimus, pugnare non possumus.* Tùm ille: *Erubescite*, inquit: *Illi qui vos vincunt, aquam bibunt*, ut refert *Ælius Spartianus in ejus vit.*

De disciplina ista Romanorum & hoc traditur, quòd cùm sub M. Scauro castra moverent, in castrorum aggere inventa sit arbor optimis fructibus onusta: quia milites eâ disciplinâ instituti, decerpere ex arbore fructum nullum ausi erant. *Frontin. l. 4. stratag. c. 3.*

Bellisarius cùm ad recuperandam è Gothorum manibus Italiam à Justiniano missus esset, adeò ab omni maleficio milites continuit, ut cùm iter facerent, quanquam defessi, ad decerpendos fructus, qui in via ab arboribus pendebant, nunquam manum extenderint, neque in opacum locum pabulatum, frumentatumque iverint. *Aretin. l. 3. de bell. contr. Goth.* quem hac in re superiori tempore in expeditionibus Hungaricis imitatum esse laudatissimum heroëm Comitem Schwartzenbergicum, novissimè scribit *Schonborn. libr. 6. Politic. cap. 29.*

Porrò

35 *Statuta antiqua Romanorum militaria.* Porrò vetera † illa militaria statuta & leges communes hæ erant:

Ut milites stipendiis suis contenti essent, & privatis lucris non inhiarent, ipsisque omnis negotiatio adeò erat interdicta, ut ne agrum quidem eo loci, ubi militarent, emere, sed nec ulli obsequio, quod non sit militaris exercitii, insistere liceret, ut expresse sancitur *in l. unic. C. negotiatores ne militent. l. 9. & 13. ff. de re milit. l. 15. C. eod* ne scilicet studio culturæ militiâ suâ avocentur: vel, ut *Veget. l. 2. de re milit.* ait, quia incongruum visum Imperatori, militem qui veste & annonâ publicâ pascebatur, utilitatibus vacare privatis.

Nullam quoque evagandi per possessiones habebant facultatem, sed cum signis in mansionibus solitis ac publicis manendum ipsis erat, idque præcipuè officium Tribunorum erat, vel eorum, qui exercitui præerant, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coërcere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere. *l. 12. §. 2. ff. de re milit. & l. 11. C. eod.*

In bello qui rem à Duce prohibitam faciebat, aut mandata non servabat, capite puniebatur, etiamsi res feliciter cessisset. *l. 3. §. 15. ff. eod tit* Quod ipsum exemplo filii Manlii Torquati, & Epaminondæ Thebani *sup. l. 2.* manifestum fecimus. Ubi tamen Capitaneo nonnulli parcendum existimant, & quidem rectè, *dicente Gellio l. 1. de pac. publ. c. 4. num. 29.* si pro re nata, & ex nova superveniente causa, mandato summi Ducis non obtemperaverit, quæ causa ipsum Ducem tempore belli latebat, per text. valdè singularem & mente tenendum, *in l si hominem. ff. mandat.* ubi procurator generalis potest ex justa causa, quam dominus ignorabat, fines mandati excedere, & mutare ea, quæ sibi à domino specialiter erant commissa.

Qui castra, vel ordinem deseruisset, profugisset ad hostes, prodidisset, arcana revelasset, in bello arma amisisset, vel alienasset,

nasset, vallum transcendisset, aut per murum castra ingressus esset, seditionem atrocem militum concitasset, præpositum suum vel præfectum centuriæ protegere noluisset, cùm posset, aut deseruisset, vel eidem manus intulisset, contumax fuisset, in acie prior fugam fecisset, commilitonem ense vulnerasset, excubias palatii deseruisset, itidem capite puniebatur. Qui aliena arma surripuisset, fossam transilivisset, militiâ rejiciebatur: qui filium suum subtraxisset militiæ belli tempore, exilio & bonorum parte mulctabatur: si in pace, fustibus cœdebatur. Is qui filium debilitasset dilectu per bellum indicto, ut inhab lis militiæ sit, deportabatur. *l. 3. 4. 5. 6. 7. 10. & 14. ff. de re milit. Bocer. l. 1. de jure bell. c. 14. Obrecht. de administr. bell. sub tit. de delictis militaribus.*

Sed videamus, quibus modis in prævaricatores † statutorum modò dictorum ab Impp. fuerit animadversum. 36

Initium faciamus ab Augusto, diligente militaris disciplinæ observatore. Hic si cohors aliqua, vel in acie locum deseruisset, aut quæ mandabantur, transgressa essent, decimum quemque mulctabat, reliquos adempto frumento, hordeo pascebat. In nonnullos quoque centuriones haud secus quàm gregarios milites capitali pœnâ animadvertit. Equitem Romanum, qui pollices duobus filiis in manibus secuerat, ut hoc modo militari munere excusarentur, ipsum bonaq; ejus hastæ subjecit. *Fulgos. l. 2. de dict. & fact. memorabil. c. 2.*

Tiberius potissimum disciplinam acerrimè exegit, animadversionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repertis. *Sueton. in vit. Tiber. c. 19.*

Aurelianus militibus ita timori fuit, ut sub eo, posteaquam semel cum ingenti severitate castrensia peccata correxit, nemo peccaverit. Solus omnium militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemque subitò dimitteret: ut scissus utrinque penderet, quę res ingentem timorem omnibus fecit *Vopisc. in vit. Aurel.*

Alexandro Imperatori Severi nomen à militibus inditum

eſt, quòd illi ingentem in præſentia reverentiam, magnam apud poſteros gloriam peperit, cùm eò acceſſiſſet, ut de animi virtute nomen acceperit: ſiquidem ſolus inventus fuit, qui tumultuantes legiones exauctoraverit: in milites auté graviſſimè animadverterit, qui fortè incurrerunt aliquid, quod injuſtum videretur, ut ſcribit *Lamprid. in ejus vit.*

Severè etiam Julianus militari diſciplina uſus eſt. Nam cùm bellum adverſus Perſas gereret, & tres cohortes à parvo hoſtium numero in fugam compulſæ eſſent, decem, à quibus primo fuga cœpta erat, militiâ exauctoratos capite mulctavit. Eâ enim animadverſione cùm par periculum fugæ ac pugnæ feciſſet, reſiſtendi hoſtibus dubitationem ademit, atque ita in prælio milites audaciores fortioresque reddidit.

Quod ad vigilias militum attinet, extat antiquum & ſeverum exemplum de Epaminonda Thebanorum Duce, qui cùm in magno periculo vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem intervenerat, gladio transfixit, afferens, hominem mortuum inveni, mortuum reliqui, *Plutarch. in parallelis.*

Eodem modo Piſiſtratus Athenienſium tyrannus cùm vigiliæ nocturnæ munus obeuntem dormire offendiſſet, occidit: dicens, ſe eum, ut invenerat, reliquiſſe.

Pari ſeveritate uſus eſt P. Sulpitius equitum tribunus, dum Galli capitolium obſiderent, ſomno captum vigilem ab eo loco præcipitavit, per quem Galli (eos enim non ſentiebat) ad arcem conſcendebant, quos inde M. Manlius poſteà rejecit. Nulla eſt n. negligentiæ venia, ubi de ſalute erratur. *Veget. lib. 3. cap. 5.* & licet *ex decreto Imperii Spiræ promulgato, tit.* Röm. Keyſerl. Maieſt. Reuterbeſtallung: Von Beſtellung des Feldes/ernewert Reuter-Recht/ *art. 78.* ebrietati in excubiis agendis arbitraria pœna ſit poſita: Vigilem tamen ebrium, vim & impreſſionem hoſtilem non obſervantem, aut claſſicum negligentem, aut temerè loco, nondum ſubrogato alio, diſcedentem ſine venia, capitis pœna manet. *art. 51. & in art. 39. 61.* auff die teutſche Knecht/ quamvis *art. 75. eod. tit.* von Reuterbeſtallung/ ſtationem relinquenti arbitraria pœna irrogetur.

De

De excubiarum requisitis & connexis incidenter & breviter hic erit monendum. Requisita † sunt hæc: 37

Requisita excubiarum

1. Cùm in excubiis ingens belli momentum sit positum, idcircò Dux omnem rationem excubiarum accuratè disponere & ordinare debet, & fidelibus ac vigilantibus ad eam rem administris uti.

2. Excubias habeat duplices: diurnas & nocturnas, & in utrisq; certos gradus, ut nempè milites vices inter se distribuant stationis; ita ut modò periculosas, modò minùs periculosas in excubando stationes obeant. *Keck in syst. polit. c. 30. fol. 482.* Id forte olim factum esse, non obscurè annuit *Virgil.*

Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetq; vices quod cuiq; tenendum est.

3. Dux curet subindè visitari excubias, & ipse etiam, nocturno præsertim tempore, vigilias obeat, quæ intra vallum habentur. Interdiu verò equites, qui pro castrorum custodia ponuntur, alii ante, alii post meridiem, propter hominum equorumque fatigationem, Tribunorum ordinatione mutandi sunt. *Hippol. à Coll. de princ. c. 20. fol. 106.*

Connexum † excubiarum est Tessera militaris, die *Losung*, 38 quæ paucis verbis, imo unico tantùm, ut sit concepta, tutissimum est, quò nempe tantò secretior possit servari, & enuntiari promptius inter milites, utputa: victoria, palma, virtus, DEUS nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia quæcunque voluerint dare ii, qui in exercitu magnam obtinent potestatem. *Veget. libr. 3. cap. 5.* Ista autem vocabula quotidie varianda sunt, ne ex usu hostes signum agnoscant. *ibidem.* Sed ad rem.

Tessera militaris.

In deprædantem militem severum admodum statuit exemplum Tamerlanes Scytha: Nam cùm exercitum duceret per minorem Asiam, ei lachrymabunda mulier se obtulit, querens ab ejus milite, nullo dato pretio, coctum lac, parumq; casei erepta esse: ibi statim consistere jussit exercitum Tamerlanes, atq; inde agmen ordinatim incedere, ut mulieri facultas esset eũ agnoscendi, q vim fecerat. Agnito igitur Rex per pectus se psente

aperiri corpus jussit, in cujus stomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inventum: cui supplicio mulier destinata erat, nisi ejus rei, quâ se spoliatum questa erat, signa fuissent inventa. Hâc enim severitate assequebatur, ut copiæ, quas habebat immensas, cùm tutus ad castra esset accessus, omni commeatu semper abundarent.

Rigidum se quoque Bernhardonus Vasco Florentinarum copiarum adversus Pisanos Dux ostendit. Edixerat enim, ne in certam Pisani agri partem pabulatum iretur: quod ei in magnæ rei gerendæ, quam designaverat, sub dium parci volebat. Itaque cùm intellexisset Bartholomæum Pratensem ordinum ductorem, qui vir manu promptus & bello clarus habebatur, imperiũ neglexisse, comprehendi nullaq; ejus habitâ ratione securi statim percuti jussit. *Fulgos.*

39 Prædas † verò agere ex hoste, pecora & jumenta abigere, supellectilem convasare, eum spoliare direptionibus & excursionibus in agrum hostilem factis, totam regionem hostilem vastare, occupare, licitum esse jure, nemo dubitat, inquit *Althus. in polit. c. 30. fol. 425.* Posterius tamen membrum paulò post *fol. 427.* ita limitat: Incendia & demolitiones pagorum, urbium, munitionum, & vastationes agrorum & frugum, arborumvè fieri non debent, nisi summa utilitas vel necessitas id suadeat. *Jos. 8. v. 19. & 24. 1. Sam. 15. v. 2. & 3. Alberic. Gentil. l. 2. de jur. bell. cap. 23.* In eundem planè modum se habet Canon Keckermannianus *in syst. l. 1. c. 30 fol. 501.* Incendiis, devastationibus ac demolitionibus adversus hostem uti licet, sed ita tamen, ut parcamus frugibus, agris & hortis, nisi vel summa utilitas, vel necessitas aliter suadet. Imo DEUS ipse præcipit, ut fœminis, infantibus, jumentis & arboribus parcatur. *Deut. 20. v. 14. & 19.*

40 Memorabile exemplum † observati hujus mandati divini dedit Heros ille immortali memoriâ dignissimus, Stephanus Rex Poloniæ, cùm Dantiscum obsideret, in cujus vicinia hortis amœnioribus & frugiferis multis ita pepercit, ut suis gravissima pœna militibus interdixerit, ne quam arborem læderent, ut refert *Keck. d. l.*

Eo-

Eodem encomio exornandus Philippus † Hassiæ Landgravius, qui cùm in restitutione Ducis Würtembergensis munitissimas expugnasset arces: summâ diligentiâ cavit, ne usquam recepti aut deditì ullâ afficerentur injuriâ, disciplinam militarem severè conservavit, prohibuit fruges in agris conculcari, aut pabulationibus absumi *Chytræ. lib. 14. Saxon. fol. 353.* 41

Sed & agricolis † omnique imbelli turbæ, ut & cadaveribus mortuorum parcendum esse monet *idem fol. præced. 500.* 42

Probè hic nota *ex sanctione † militari Spirensi, de anno 70. tit.* Röm. Keyserl. Majest. Reuterbestallung: Von bestellung des Feldes / ernewerte Reuter Recht. *art. 69. 81. 85. & artic. 21. 53. 55.* auff die teutsche Knecht / expressè cautum esse, ne quis absque permissu & consensu Ducis deprædetur, devastet, corrumpat, aut demoliatur quicquam, quod communi hominum utilitati inservit: sive id ad amicos, sive ad hostes spectet. 43

Hoc tempore *auctore Renato Lusingano libr. 1. cap. 5.* Turcæ † in servando ordine disciplinaque militari cunctas nationes antecellere dicuntur. Tantâ enim severitate & justitia eam exercent, ut veteres quoque Græcos Romanosque superare putentur. Nulla unquam inter eos pugna exauditur. Nam vel minimum delictum capite vindicatur. Promptè obediunt imperantibus, ita ut nullum, quamvis manifestum vitæ discrimen, subterfugiant sine tumultu & clamore in castris versantur, & quamvis semper ibi maxima sit frequentia, silentium perpetuum & stupendum observant. Manus minimâ significatione & nutibus reguntur, profunda tranant flumina, abruptos superant montes, vigiliæ, inediæque tolerantissimi, nec unam quidem mulierem in castris habent. In expeditione nemini infensi: ideò argricolę ad eorum aspectum nequaquam pavent: tantum abest, ut operas aut domos deserant, cùm nullum damnum, nullam vim reformident. Tantum scilicet conducit ad disciplinam omnem ordinemq; militarem servandum, in impudicitiam, homicidium, contumaciam, rapinam, præfectorum contem- 44

ptum, &c. morte aut ignominiosâ missione pro ratione delicti animadvertere. *Hippol. à Collib. in pr. c. 16.*

45 Dux ergò bellicus sit severus † & strictus disciplinæ militaris vindex. Facilis enim Dux ut inutilis contemnitur, quamvis illo milites delectentur. Austerus, severus & rigidus, licet eundem aversentur, tamen obsequentes habet milites, quibus etiam est gratus & acceptus, quando severitatem comitate & benignitate exercet, ut tradit *Lips. l. 5. polit. c. 15. circa fin.* Quare Clearchus Spartanus *apud Valer. Max. l. 5. de dict. & fact. memorabil.* dicere solitus est, quòd oporteat militem magis metuere Ducem, quàm hostes. Declaravit hoc Scipio major suo exemplo. Percunctanti enim quâ re fretus, classem educere pararet in Africam, ostendit viros armatos sese exercentes, & turrem excelsam mari imminentem, dicens: *Nullus eorum est, qui non conscensa turri, semet in mari præcipitaturus sit, si jussero.*

Quamvis *Aristot. l. 5. polit. cap. 11.* requirat in Duce, ut non appareat acerbus, sed augustus, ut obvii non metuant, sed vereantur.

46 Attendendum † tamen probè belli ducibus, ne dum nimis severum & rigidum exercent imperium, idem magno cum periculo experiantur, quod Lucullus, à suis desertus, Caius Carbonus, Quintilius & plurimi alii crudeliter interempti. Ita enim interdum crudelitas bonos milites ad indignationem permovet, ut eos nimis sæva irritent frena *Fulgos. dict. cap. 2.* Animique militum semel imbuti odio refrenari nequeunt. *Jul. Capitolin. in vit. Maximini Junioris*: unde etiam in Alexandro Severo inter alia, & hoc reprehensum scribit *Lamprid.* quòd nimis Severus in milites erat.

47 Moderatæ † militaris disciplinæ singulare exemplum apud Romanos est in Julio Cæsare, qui non Philosophorum austeritatem, sicut nonnulli nimis duri militaris modestiæ exactores, sed civilem modestiam ac virtutem ad res regendas requirebat. Quamobrem longinquo hoste libertima militibus disciplinæ frena

frena remittebat, ut posteà propinquior factus, cum ita militum animos & vires recreasset, promptioribus diligentioribusq; adversus hostem uteretur. Nunquam prælii aut expeditionis tempus militi prædicebat, ut omnibus horis præstò esse se debere, atque in mediis delitiis, si juberentur, descendendum esse in prælium scirent. Quæ norma multas ei peperit victorias, atque hostes in magnas deduxit calamitates. Quod si nimiâ indulgentiâ milites ad contumaciam descendisse animadverteret, aut seditionem in exercitu moverent, quæ militaris disciplinæ mortiferum est venenum, ceu bonus insessor, moderatè frena contrahendo, imperium sibi vendicabat. Id civili bello ad placentiam ostendit, ubi seditiosum exauctoravit, nec ante pristino honori restituit, quàm de sontibus pœnas sumpsisset. Romæ quoque Decumanos nimis petulanter ac temerè missionem ac præmia poscentes, similiter cum ignominia dimisit, quos cùm erroris pœnituisset, atque in Africam secuti fortem in bello operam navassent, omni tamen prorsus præda, & prædiorum, quæ promiserat, tertiâ parte privavit. *Fulgos.*

Quarta & ultima disciplinæ pars est in † exemplis: quibus pœnæ & præmia continentur. Ad robur enim & virtutem militum excitandam utraque hæc valdè possunt juxta doctrinam *Vegetii lib. 3. c. ult.* dicentis: Milites pœna & timor in sedibus corrigunt: in expeditionibus, spes & præmia faciunt meliores. Sigillatim igitur tàm de pœnis, quàm præmiis differemus. 48

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE POENIS ET PRÆmiis militaribus.

DOcuimus modò, milites pœnis contineri, & præmiis erigi, quæ autem sint & olim fuerint genera tàm pœnarum, quàm præmiorum, jam manifestum reddemus.

Pri-

1 *Primùm* ergò pœna † militum delinquentium est vel communis, vel propria. *l. 2. ff. de re milit.*

2 *Communis* † quæ ex communi delicto, quod in paganos & milites cadit, infligitur, veluti ex adulterio, furto, homicidio.

3 *Propria*, † quæ quæ ex militari delicto, quod quis uti miles, & aliter, quàm disciplina militaris exigit, admisit, imponi solet. *d. l. 2. & l. 6. eod.*

4 Ea rursus *vel est † capitalis, vel non capitalis.*

5 *Capitalis* † illa, quibus vita adimitur.

6 *Non † capitalis*, quando veniâ vitæ factâ, pro sceleris admissi qualitate modò hoc, modò illo genere pœnæ miles afficitur.

7 Hujus loco sunt castigatio, † quando virgis olim cædebantur: quæ pœnarum militarium extremi erat gradus. *Dionys. Gothofred. ad l. 3. §. 1. lit. e. ff. de re milit.*

8 *Fustuarium* † quando fustem ex vite aut alia materia factum capiebat Tribunus, & condemnatum leviter tangebat: quo facto omnes percutiebant, alius fustibus, alius lapidibus, & inde plerumque subsequebatur mors. *Liv. lib. 17.*

9 Missio † sanguinis ignominiosa, de qua ita loquitur *Gell. lib. 10. c. 8.* Fuit hæc quoque antiquitùs militaris animadversio, jubere ignominia causâ, militi venam solvi, & sanguinem dimitti. Cujus rei ratio in literis veteribus, quas equidem invenire potui, non extat: sed opinor hoc primitùs in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinatis, ut non tàm pœna, quàm medicina videretur. Posteà tamen ob pleraq; alia delicta, idem factitatum esse credo per consuetudinem: quasi minus sani viderentur, omnes qui delinquerent. Aliis tamen, ut Mureto *lib 13. Var. c. ult.* ideò hoc factum videtur, ut sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent: aliis verò, quòd nota fuerit meritæ & ultimæ animadversionis, cum clementia remissæ, ut colligit *Schonborn. l. 6. polit. c. 29.*

10 *Exauctoratio*, † *seu missio ignominiosa est*, cùm quis propter delictum, ignominiæ causâ, sacramento solvitur. *l. 2. §. 2. ff de his, qui not. infam. l. 4. §. 8. ff. de re milit. lib. 2. Cod. de his, qui non im-*

implet. stip. Et ita ut missio ignominiosa sit, delictum requiritur.

Nam triplex † est missio militaris: Honesta, causaria, & ignominiosa. *d. §. 2. & l. 13. §. 3. de re milit.* 11

Honesta † est, quæ emeritis stipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur. 12

Causaria, † quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit. 13

Ignominiosa † est, cùm quis propter delictum sacramento solvitur. 14

Exauctoratio verò, quæ in militibus & Doctoribus delinquentibus observari consueverat, degradationi comparatur. 15 Nam priùs quàm punirentur, recingebantur, & exuebantur. Ratio: quia nemo † in dignitate mori debet *gloss. singular. in l.* 16 *non omnes, in verb. amissionem. C. de Episc. & Cler. Petrus de Ravenna singular. 312. Bart. in l. omnes judices. C. de decurion.* Quo pacto milites Pertinacis à Severo recincti, & exauctorati sunt, quòd Pertinacem turpiter & flagitiosè occidissent, ut videre est *apud Herodian. in vit. Severi.* Præcepit enim suis militibus, ut recingerent milites Pertinacis, & Zonis ac vestibus exutos militaribus, nudos dimitterent.

Erat etiam *stipendii privatio* † *è castris segregatio, extra oppidum hybernatio, indictio munerum*, quando pœnæ loco militibus 17 ob delictum aliquod imponebantur munera, à quibus alioqui immunes erant. *Wesembec. in parat. ff. de re milit. Kocer. l. 1. de jur. bell. c. 4. n. 8.* Quin & militibus hordeum dabatur pro tritico, quod ab Augusto factum superiori capite tradidimus. Fossam fodere, discincti stare jubebantur, ut idem Augustus quandoq; præcepit. *Sueton. c. 24.* Julianus amictos veste muliebri stare jussit, ratus militibus, qui viri essent, eam pœnam graviorem morte futuram. *Zosimus lib. 3.* Quam legem contra ordinum desertores, & militiam detrectantes posuit etiam Charondas. Ubi enim cæteri legum conditores capitis supplicium his irrogarunt, ipse edixit, ut id genus muliebri vestitu amicti triduum in foro desiderent. Quæ constitutio cùm leges alibi sancitas hu-

manitate præstat, tùm dissimulanter probri magnitudine ejusmodi ingeniô præditos, effœminata molllitie deterret. *Diodor. sicul. lib. 12.*

18 Quòd si plures peccassent, aut † *decimatio, aut vicesimatio, aut centesimatio* usurpata est.

Decimatione decimus quisque ad supplicium est electus. *Liv. l. 2.*

19 Pœna verò ista statuta † in eos, qui ordines reliquissent, aut signa deseruissent. *Dionys. Halicarnass. l. 9. antiquit. Roman.* sic ostendimus suprà, Augustum Decimum quemq; ob desertum in acie locum mulctasse.

20 Interdum etiam *legio † aliqua tota sacramento solvebatur, signis aquilaq; ademptis,* non tamen dimittebatur protinus, sed seorsim in exercitu agebat sub uno aliquo vexillo, donec præmia solvebantur. Intereà erat immuis ab excubiis & vigiliis, exceptâ pugnâ in hostem. *Appian.* Hàc exauctorationis pœnâ in tumultuantes legiones usum fuisse Alexandrum Severum refert *Lamprid. & Cuspinian. in ejus vit.*

21 Erat denique mulcta † pecuniaria. *d. l. 3. de re milit.*

22 Hodiè *judicia † militaria sunt vel çivilia, vel criminalia.*

23 In civilibus † civiliter, in criminalibus criminaliter agitur.

24 *Hujusq; judicii criminalis triplex † genus* constituit *Obrecht. de administrat. bell. sub tit. de judiciis militaribus, thes. 1155. & seqq.*

25 *Primum* † est judicium criminale, quod Germani vocant
26 das Malefitz Recht. Idque vel † *ordinarium vel extraordinarium.*

27 *Ordinarium*, † qui criminalis causa coram ordinariis tantùm judicibus proponitur & peragitur.

28 *Extraordinarium* † si criminalis causa non tantùm coram ordinariis judicibus, sed etiam coram aliis cognoscitur & exercetur.

Hoc judicium ubi instituitur, non ordinarii solùm judices, sed alii quoque ex ordinum structoribus & doctoribus, atque ex aliis vocantur: prout Duci exercitus & Præsidi id placuerit.

Al-

Alterum † criminale judicium *Hastatum*, à Germanis vocatur, das Spießrecht/ quia executio hujus judicii fit ab hastatis militibus. 29

Et hoc toto exercitu præsente criminalis causa instituitur, cognoscitur & absolvitur.

Tertium † *genus* criminalis judicii *statariũ* dicitur, das Standrecht/ & præcipuè in causis notoriis locum habet. Et sicut criminale & hastatũq; judicium tribus diebus: ita hoc uno tantùm instituitur & peragitur: nec in eo ut in aliis judiciis, dilatio conceditur. *idem Obrecht. th.1176.* Hæc de pœnis. 30

Sed jam de præmiis. Sic enim quidam Impp. astutè † milites non solùm virtute rexerunt, sed etiam præmiis & lucris sibi amantissimos reddiderũt. Et eum in finem præmiis † opus, ut benè meriti ab insigni aliquo facto laudationes, promotiones, honores & opes sperent. Necesse enim est acriùs ille dimicet, quem ad opes ac dignitates ordo militiæ & Imperatoris judicium consuevit evehere. *Frontin. l. 4. stratag. cap. 3.* & *Livius l. 4.* Eò impenditur labor ac periculum, unde emolumentum ac honos speratur. 31 32

Nec obscurum, quòd in † militibus publica salus sit posita. *Lamprid. in vit. Alex. Severi*, adeoq; tàm sunt necessarii, quàm denarii *Dion. l.53.* quos *Philemon Comicus* non homines, sed q. victimas singulis penè momentis duci velut ad sacrificium affirmat. 33

Apud † Athenienses quotannis in festis Februarii & publico funere laudibus fuêre celebrati, qui in bello pro Republica cecidissent. Et lege cautum fuit, ut iis, qui pro patria pugnando cecidissent, ex publico funus fieret, & in frequentissima civium corona laudarentur: sed & illorum filii in Prytaneo publicis sumptibus alebantur, instruebanturq; ad ætatem usque justam. 34

Quin omnibus ferè † Græcorum civitatibus commune fuisse, ex *Arist. in polit.* tradit *Bod. l.3 de Rep c.8.n.353.* ut liberis, eorum, qui pro patria fortiter occubuissent, victus de publico daretur. 35

Romani † quoq; hic mirifici, qui nõ solùm munera, & altiores ordines assignabant à virtute, stipendia augebant, donabãtq; pro cõcione arma gẽtilitia, cingula militaria, vexilla, hastas, phaleras, 36

coronas, armillas, torques, annulos, ſed etiam publicè laudes, titulos & honores cumulabant, decernebant triumphos, pompas adornabant funebres, erigebant ſtatuas ac imagines, extruebant ſepulchra, pyramides, columnas & alia monumenta; quin in eorum honorem celebrabant feſta ſolennia & ſacrificia, exhibebant ſpectacula, ludi certamina, & ſimiles feſtivitates inſtituebant. Qua de cauſa *Cic. l. 1. offic.* Quæ magno animo, inquit, fortiter & excellenter geſta ſunt, ea neſcio, quomodo quaſi pleniore ore laudamus. Hi qui pro Repub. ceciderunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur, ait Imper. Juſtinian. *in Inſtit. de excuſ. tut. circa pr. & Poëta:*

Inclyta mors vita eſt, ingloria vita ſepulchrum.

Hinc etiam tituli: *Magnus, pater patriæ, aliiq́.* Magni nomen meruerunt Q. Fabius, Pompeius, Alexander Severus, Conſtantinus, Carolus & alii nonnulli. Patres verò patriæ Auguſtus & alii plurimi fuêre nuncupati.

Extat *apud Fl. Vopiſcum Valeriani Imp. ad Aurelianum oratio habita præſente exercitu, aſſidentibus Conſule, Præfecto Prætorio, Præſide Orientis, &c.* Gratias tibi agit Aureliane Reſpublica, quòd eam Gothorum poteſtate liberaſti: abundamus per te prædâ, & his omnibus, quibus Romana felicitas creſcit. Cape igitur tibi pro rebus geſtis tuis coronas murales quatuor, vallares quinque, haſtas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales ruſſas quatuor, pallia proconſularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, ſubarmalem profundum, ſellam eboratam. Nam te Conſulem hodiè deſigno.

Alexander Severus non tantùm militum ſuorum promotiones procurabat, ſed uxorum etiam & liberorum eorum, qui ſtrenuè pugnando occubuerint, ſe rationem habiturum promiſit, quo ipſo erecti milites nec ferrum nec flammas metuebant. *Lamprid. in ejus vit.*

37 Coronæ † verò militares multifariæ fuêre, quas enumerant rerum Romanarum & Græcarum ſcriptores. *Polyb. lib. 6. Plutar. in Marcel. Plin. lib. 7. cap. 28. Gall. lib. 5. c. 6.* Triumphalis, Obſidionalis,

dionalis, Civica, Muralis, Castrensis, Navalis, Ovalis seu Myrtea. Oleaginea.

Triumphales † *coronæ* fuêre aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Hæ antiquitùs è lauru erant: pòst fieri ex auro cœptæ. 38

Obsidionalis † fuit, quam ii, qui liberati sunt obsidione, dabant ei Duci, qui liberavit. *Graminea* hæc etiam fuit nuncupapata, quia facta è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. 39

Civica † *corona* appellabatur, quam civis civi, à quo servatus fuerat in prælio, testem vitæ, salutisque perceptæ, dabat. Fiebat è fronde querna, vel ex ilice. 40

Muralis † fuit, quâ donabatur ab Imperatore, qui primus murum subiisset, inque oppidum hostium per vim ascendisset. Idcirco quasi muri pinnis fuit decorata. 41

Castrensis, † quâ donabat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introivisset. Ea corona erat aurea, & insigne valli habebat. 42

Navalis, † quæ donari solebat maritimo populo, qui primus in hostium navem vi armatus transilivisset. Ea quasi navium rostris erat insignita, & ex auro, ut muralis & castrensis, fieri solebat. 43

Ovalis † *seu Myrtea* erat, quâ utebantur Imperatores, qui ovantes introibant urbem. 44

Ovandi † autem, ac non triumphandi causa est, cùm aut bella non ritè indicta, neque cum justo hoste gesta sunt: aut hostium nomen humile, & non idoneum, ut servorum piratarumq; aut deditione repentè factâ, in pulvere (ut dici solet) incruentaque victoria obvenit. *Gell. d. l.* 45

Ovationes † etiam in hoc à triumphis quidam differre referunt, quod ovantes pedibus urbem fuerint ingressi, vel uno interdum equo vecti, sequente eos universo senatu: Triumphantes verò curru usi, & quatuor albis equis vecti, ac senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificarunt. 46

47 *Oleaginea* † *corona* fuit, quâ uti ſolebant ii, qui in prælio non fuerant, ſed triumphum procuraverant.

Triumphi ſignum erat palma arbor. *Virgil. 2. Georg. Gell. lib. 3. cap. 6.* Ubi ex *Plutarcho in 7. Sympoſ.* rationem ejus rei aſſignat, dicens: Si ſupra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tàm graviter urgeas, oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat: non deorſum palma cedit, nec intra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recurvaturque. Propterea in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ: quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat. Idem tradit *Plin. lib. 16. Hiſt. Nat. c. 42.*

48 Magnificentiam † triumphi graphicè deſcribit *Ovid. 4. Triſt. el. 2.* in quo ante currum Reges captivi deducebantur, *ibid:*

Vinclaq; captivâ Reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbis equos.

Sic Perſeus Rex Macedoniæ captus ab Æmylio Paulo, catenis vinctus, cum tribus filiis ante currum victoris per urbem ductus eſt. *Liv. decad. 5. lib. 5. circa fin.*

Gentius Rex Illyriæ ante currum Anicii ductus cum conjuge, liberis, fratre Caravantio, & aliquot nobilibus Illyrii. *idem ibid.*

Andriſcus f[illegible]ter in urbem catenis ductus eſt. *Flor. lib. 2. cap. 14. in fin.*

Honorius in triumpho Attalum vinctis poſt terga manibus ante currum duxit, quem peractâ de more pompâ, truncatâ in pœnam reperitæ perfidiæ dextrâ Liparas relegavit. *Carolus Sigon. l. 1. de occid. Imper.*

Zenobia Regina Orientalis, quæ Romanas provincias invaſerat, diuque bella cum Aureliano Imp. geſſerat, tandem Romam ducta in triumpho eſt, & in triumpho ſplendiſſimè ornata, currum Aureliani, in magna turba captivarum, anteceſſit cum filiis & filiabus. *Melancht. lib. 3. Chron. in vit. Aurel.* Alia exempla jam prætereo.

Nec

Nec solùm captivi in triumphum ducti, sed & omnis præda signaque militaria. Sic Amicius de Gentio Rege Illyriorum triumphans, transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliaq; alia, & supellectilem regiam: auri pondo XX. & VII. argenti X. & IX. pondo: denariûm tria millia, & CXX. millia Illyrici argenti. *Liv.*

Denique huc pertinent privilegia † militaria, quæ sarta tecta conservari debent, ut plures reperiantur, qui pro patria dulce & decorum esse putent mori, & publica commoda privatæ saluti anteponant. *Plato in Menexeno.* 49

Ex jure civili decem ejusmodi privilegia ordine recenset *Gregor. Schonborn. l. 6. polit. c. 31.*

Facit huc etiam elegantissima Caroli M post debellatos Saxones, Longobardosque oratio, & privilegiorumque oratio, & privilegiorum donatio. Ite milites mei: vos heroës vocabimini, socii Regum, judices criminum. Vivite posthac laboris expertes: consulite Regibus publico nomine, favete fœminis, juvate pusillos, consilio circumdate Principes: ab his victum, vestitum, stipendium petite: si quis negaverit, inglorius infamisque esto. Si quis injuriam vobis intulerit, reum se majestatis agnoscat. Vos autem cavete, ne tantùm decus, tantumque privilegium justo bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis: ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam. *Camerar. part. 1. hor. succisiv. cap. 79.*

De privilegiis militum ex jure civili, & quæ ad actus inter vivos pertinent, succinctè agit idem *Bocer. d. lib. 1 c. 18. & 19. Obrecht. in disp. de administr. bell. th. 550. cum seqq.* de iis, quæ ad eorum ultimas voluntates pertinent, *à th. 619. ad 838. Bocer. c. 20. & multis seqq.* quò cultores juris remitto.

Stipendium † quod concernit, veterum Romanor. olim id erat triplex, in pecunia, frumento & veste: idque ab initio diurnum fuit trium assium: sub Imperio Julii Cæsaris, sex vel septem erat assium, sub Augusto verò decem. Et eo tempore menstruum stipendium fuit aureus Romanus: tùm 50

aurei

aurei duo: posteà tres: & demum quatuor. *Lipſ. lib. 1. Elector.*
Noſtro ævo milites non fixa habent ſtipendia, ſed quibuſdam majora decernuntur, quibuſdam minora, pro qualitate ſcilicet perſonarum, & ratione dignitateque officii. Ordinarium autem minorum militum ſtipendium ſolet eſſe quatuor florenorum imperialium. *Bo er. l. 1. de jure bell. c. 12. n. 14.* quo contenti vivant, neminemque concutiant. *Luc. 3. v. 14.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE REBUS QUÆ CAPIUNtur jure belli.

1 Res ab † hoſtibus juſto bello captæ jure gentium & occupationis fiunt militum capientium, ceduntque prædæ loco, ut tradit Imperator *in §. 17. Inſtit. de rer. diviſ. l. 5. §. fin. l. 7. ff. de acquir. rer. domin.*

2 In quo tamen acquirendi † modo hæc obſervatur diſtinctio, ut res mobiles manu captæ ab hoſtibus, fiant capientium: immobiles verò, ut agri & prædia ex hoſtibus capta, publicentur, & fiſco ſeu Principi, qui bellum indixit, applicentur. *l. ſi captivus 20. §. 1. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ. Weſenb. Borcholt. Mynſing. ad d. §. 17. Gœdd. de verb. ſignific. ad l. 3. §. 1. n. 10. & 14. Bo er. l. 1. de bell. c. 17. n. 2.* Quam diſtinctionem apertè confirmat *conſtitutio militaris imperii Spiræ facta, & publicata ſub Maximiliano II. ann. 70. tit.* Röm. Keyſerl. Majeſt. Reuterbeſtallung: Von beſtellung des Feldes/erneuwert ReuterRecht. *art. 96.* da auch Städt/ Schlöſſer/ Flecken/ Land vnd Leute erobert würden/ ſollen dieſelbige ſampt dem darzu gehörigen Geſchütz/ Munition/ vnnd dem Vorrath von Proviant/ in alle wege vns vnd dem H. Reich zuſtehen/ folgen vnd bleiben. Zu dem ſollen dieſelbige eroberte/ gehuldigte/ auffgenommene Städt/ Schlöſſer/ Flecken/ Land vnnd Leute/ nach dem ſie auffgenommen ſind/ weiters nicht beſchädiget/ noch

noch gebrandschätzet werden: Aber alle andere Haab / so nach Kriegs Gebrauch preiß ist / soll jhnen (militibus scilicet) bleiben. & *artic. 62.* vnff die teutsche Knecht / was ein jeder in Schlachten stürmen / oder sonsten den Feinden abgewinnet / soll einem jeden nach Kriegs Recht vnd Ordnung bleiben / aber mit dem Geschütz / Pulver / Munition / Vorrath der Proviand vnd andern / was zur Erhaltung des Fleckens gehöret / auch mit den Gefangenen / was deren von Kriegsherrn / Fürsten / oder Feldobersten weren / sollen wir oder vnser Feldobersten / oder Befehlchshaber / denen sie auch vberantwort sollen werden / zu handeln haben / doch soll dem jenigen / so sie gefangen / billiche Ergetzung vnd Verehrung dargegen beschehen. Es soll auch niemand einigen Gefangenen von sich kommen lassen / ohne zugeben des Obristen bey Leibes Straff. Sic se habet ordinatio.

Rationem † verò differentiæ, cur res mobiles fiant capientium, non verò immobiles, hanc assignant interpretes, quod illæ non spectent ad amplificationem vel confirmationem finium, ad constituendum terræ principatum: Hæ omninò amplificent, confirment, finiant limites, ac fines sint imperiorum. Jam verò bella, inquiunt, pro amplificandis (an rectè, disputavimus *supr. c. 4.*) tuendis ac conservandis imperii finibus plerumque adversus hostes publicè suscipiuntur: Quare res immobiles non cuique occupanti, sed juri publico, & populi ærario ac imperio cedunt, utpote pro quibus acquirendis publicè bellum suscipiebatur. 3

Ubi tamen sunt, qui † affirmant, milites rem hostilem suam quidem illam facere, sed sine effectu, cùm teneantur eam Ducibus belli dare, & in publicum conferre, ut ex æquo inter omnes dividatur. Moventur 1. *l. pen. ff. ad L. Jul. peculat.* Ubi Modestinus JC. respondet, eum, qui prædam ab hostibus captam subripuit, lege peculatus teneri, & in quadruplum condemnari. 4

2. *d. l. 20. de captiv. & postlimin. reverss.* §. 1.

3. *l. 31. ff. de jure fisci*, ubi Marcianus refert, Divum Commodum rescripsisse, obsidum bona, sicut captivorum, omnimodò in fiscum esse redigenda.

4. *l. pen. §. simili modo. C. de donat.* Ubi donationes ratæ jubentur esse sine insinuatione, quas facit gloriosissimus magister militum in fortissimos suos milites tàm ex sua substantia, quàm ex spoliis hostium.

5. Adducitur etiam *c. dicat aliquis 23. q. 5.* quo loco Divus Ambrosius exemplo Abrahami probat, ut quamvis præda sit in manu victoris, ea tamen omnis Regi servari debeat. De singulis singulatim videbimus.

Ad *l. pen. ff. ad L. Jul. peculat. & c. de donat.* respondemus per distinctionem.

5 Aut † capitur quid bello adhuc durante, & nondum devictis hostibus, aut hostibus jam devictis. Quod bello adhuc durante, & per excursiones ab hostibus diripitur, id fit capientium. Quod verò capitur jam devictis hostibus, id omne in jus & potestatem Imperatoris, sive Ducis exercitus venit: utpotè cùm devictis hostibus hæc omnia potestati & imperio ejus, cui bellum geritur, sint subjecta, nec dici ex hostibus capi, cùm non amplius sint hostium. *Hugo Donell. lib. 4. comm. jur. civil. cap. 21. Bocer. dict. cap. 17. n. 6.* Quod itaque *in dd.* etiam *locis* asseritur, etiam res mobiles ex prædatione hostium ablatas publicari, & in fiscum redigi, neq; cedere prædæ militū: subaudiendum est de rebus captis post victoriam & exitum belli, vel de rebus ab ipso Duce aut ejus familia interceptis, aut specialiter in usum Reip. aut præeminentiam Ducis ab illo exceptis. *Dn. Gæd. d. l. n. 12. & 13.* Nam spolia apud Romanos plerunque in triumpho præferebantur victoribus, erantque victoriæ insignia, quæ posteà partim in ærarium referebantur, partim inter milites distribuebantur, ut ex Romanæ rei Historicis imprimis Livio constat, ejusq; rei documentum dedimus circa *fin. capit. praeced.* Sic etiam res immobiles ipso jure ad belli Ducem nomine Principis, aut Reipublic. pertinebant: sæpè tamen ex prædiis pars aliqua militibus assignabatur, ut illis præmii loco cederet. *l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. domin. l. Lucius 11. de evict. l. item si verberatum. 15. §. 2. de rei vindicat. Wesemb. ad d. § 17. Cujac. obs. 9. lib. 2. Bocer. d. c. 17. n. 7.*

De-

Devenimus ad *l.20. de cap:iv. & postlimin. reverf.* in contrarium antea adductam, & ad eam tribus, quod ajunt, verbis respondemus, quòd illæ † res publicentur, & fisco cedant, quia erant immobiles. 6

In *l.31.ff. de jure fisci*, conferuntur † obsides & captivi non privatorum, seu singulorum capientium, sed qui se Duci dederunt Reipublicæ captivi. *Gæd. num. 15.* certissimi enim juris est, privatorum bona non redigi in fiscum sed ipsis privatis capientibus cedere. Si enim ipsi captivi fiunt capientium, multò magis ipsorum bona. 7

Ad dictum Ambrosii *c.13. q.5.* quod concernit, ejus intellectus repetendus est ex historia *Genes. 14.* cùm Reges † gentium 8 bellum gererent, cum Regibus Sodomitarum & Gomorrhæorum, victis hisce Regibus, magnam illi prædam auferebant, multosque captivos, & inter hos Lothum, abducebant. Quidam igitur qui evaserat, Abrahamo id nuntiavit, qui tùm temporis habitabat in terris Sodomitarum. Abraham igitur cùm audisset, fratrem suum Lothum captum esse, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & alios nonnullos socios sibi adjunxit, ipsosque persecutus nocte percussit, omnemque prædam, nec non captivos reduxit. Reversus igitur Rex Sodomitarum, sibi solos captivos tantùm reddi petiit, cætera omnia Abrahamum, ut victorem auferre jussit. Abrahamus ne tantillum quidem ex illis retinere voluit, ne quis dicat, illum à Rege Sodomitarum ditatum esse, sociis tamen suis partes suas relinqui voluit. Etsi itaque omnem illam prædam in sua habebat potestate, ipse tamen non ignarus, quòd præda pertineat ad Principem, maluit sequi militarem disciplinam, seu legem postliminii, Regique, cujus incola erat, omnia recuperata ab hostibus, jure postliminii reddere, quam per injuriam reservium spoliatorum retinere. Quod autem additur in Historia sacra, *Genes. 14. vers. ultim.* Abrahamum excepisse illa, quæ comedissent juvenes, & partes sociorum, Aner, Eschol, & Mambre: id rectè Dd. accipiunt

de alimentis meritis, & præmiis victoriæ non de partibus prædæ, quæ expoſitio juvatur auctoritate *D. Ambroſii in d. c. 23. q. 5.* dicentis: Sanè his qui ſecum fuiſſent in adjumentum fortaſſe ſocietati, partem emolumenti tribuendam aſſerit, tanquam mercedem laboris. Ideoque quoniam ſibi mercedem ab homine non quæſivit, à Deo accepit: ſicut legimus, quia poſt hæc factum eſt verbum Domini ad Abraham in viſu dicens: Noli timere Abraham: Ego protegam te merces tua multa erit valdè.

9 Immota itaq; hæc ſtet ſententia: quòd de jure † gentium immobilia publicentur, hoc eſt, publica fiant, & in ærarium ſeu fiſcum Principis, vel populi inferantur: mobilia manu capta in oppugnatione, & aperto conflictu, fiant capientium, etiam belli Duce non dividente. *Vacun. 2. declar. 35.* Finito † verò prælio,
10 pro merito cujusque, labore & fortitudine inter milites præda dividenda, & à Duce aſſignanda. *Deut. 20. v. 14.* omnem prædam exercitui divides. *Et Jeſue 22 v. 8.* jumenta & prædam civitatis diviſerunt ſibi filii Iſraël, ſicut præceperat Dominus Joſuæ. Scipio quoque Africanus præmia militibus diſtribuit prout cujusque meritum ac virtus erat. *Appian. Alexandrinus de bell. Hiſpan.* ſententiam hanc etiam confirmat *Tholozan. libr. 11. de Repub. c. 10. Bart. in l. ſi quid in bello n. 3. ff. de capt. & poſtlimin. reverſ. Angel. in d. §. 17. item ea, n. 1. Inſt. de rer. diviſ.* Plurimum
11 † enim ea res militum animos accendit ad fortiter bellandum.
12 Contra verò, cùm ignavi † milites aut Duces, bonis ac ſtrenuis æquantur ab Imperatore, ſtudium rei benè gerendæ extinguitur, magnamq; affert toti exercitui ignaviam ea præmiorum æqualitas. Et certè cùm rebus in omnibus & vitæ humanæ actionibus, tùm præſertim in bello virtuti præmia ſua, eaq; ampliſſima tribuenda ſunt. *D. Thomas lib. 7. polit. Chriſt c. ult ſ l.5, o.* ſed
13 & Pontifex † *in decretis dict. 1. c. 10.* jubet, ut præda dividatur pro perſonarum qualitate, dignitate, fortitudine, & laboribus cujusque: nec non ſeorſim ſeponatur portio principalis. Nam alioquin vix videtur æquum, ut ſibi quiſque rapiat, quantum poteſt, ut calo aut vilis lixa incideret in optimam prædam, &

Dux

Dux aliquis militaris, aut miles benè meritus excluderetur, ut loquitur. *P. Marty. class. 4 loc. comm. c. 17. sect. 13.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

AN TORMENTIS BELLICIS uti liceat?

INter bellica instrumenta referuntur etiam tormenta † seu bombardæ, quarum auctor Berholdus Schwatzius Monachus Franciscanus, homo Germanus & Alchymiæ deditus, Anno 138c. *Polydor. Vergil. l. 2. de invent. Rer. c. 11. Sabellic. lib. 9. Ennead. cap. 9. Camerar. cent. 2. hor. succisiv. c. 28 & cent. c. 82* jussu Wencesla: Imperatoris Roman. & Regis Bohem. ob inventionem exustus, Anno 1389. *ex Melch. Haiminsfeld. Kirchner. in Repub. disp. 21. hypoth. 1. ad lit. a.* in inventorem tale est epigramma: 1

Dum parat humano generi chymista medelam,
Sulphura Mulciberis dum sale mista coquit:
Mulciber ostendit mortalibus atre venenum,
Quo nullum letho corpora plura dedit.
Qua latuêre alios, Münsterus nomina ponit,
Bertholdumq; vocat nomine reque Nigrum.

Quæstionis igitur est: An tormenta ista † conducant & prosint. 2

Nonnullorum judicium fert, ea virtuti † bellicæ multum obesse: ut non quemadmodum olim, sese exerat & ostendat in militibus nostris. Veteres siquidem milites in lacertis, in scutis, in gladiis, & exercitamentis, non in telis & sagittis spem victoriæ positam habuerunt. Nostrates verò segniores facti confidentia illorum tormentorum, ut hodiè etiam fortissimus miles non audeat confidere, suæ fortitudini & robori, potiusque fortuna regat bellum, quàm virtus. Tantùm enim eorum impetum esse testatum experientia, ut vix quicquam ab illis tutum consistere 3 *Sententia negans.*

possit, *Camer.d.c.28.& 82. cum c.38.cen 3.* Ubi *in fin.* profert judicium Ludovici Vivis de bombardis Sed & *Cuspinian. de militia Turcorum* Ars militaris, inquit, qua olim Romani claruêre, ac orbem penè universum subjugarunt, atque Lacedæmonii insignes victorias reportarunt, hodiè penitùs est sublata ac extincta. Nam quod alii putant, nostro seculo multum artem eam crevisse, inventione novâ instrumentorum, machinarum bellicarum, armisq; æneis multis, quibus hodiè splendidissimi quidem prodeunt milites, id ego tum maximè laudarem, si disciplinâ etiam uterentur militari, quæ tota penè periit hodiè, quâ usi olim Romani, ardua quæq; superarunt, hostesq; devicerunt. Hæc apud Turcos, locum habet primum, qui celeritatem in agendo, in periculis constantiam, in victoria servant mandatorum observantiam. Hoc judicium sequitur etiam *Obrecht. disp. 1 de bell. th 520. & seqq.* Ubi nostram militiam Romanæ veteri quidem præfert ob meliora & aptiora muralia instrumenta & præliares machinas. At *th 521.* nostram eò longè deteriorem esse dicit, quàm veterum, quia homines, qui illi vel præsunt, vel intersunt, maximè deteriores, nec ita exercitati existant. Non, inquit, in armis & instrumentis bellicis: sed præcipuè in militibus laus rei militaris & salus belli consistit: militesq; exercitati & eorum animi alacres, certissima & præcipua victoriæ parandæ instrumenta sunt.

4 Deinde non exiguos † sumptus tormenta requirunt, nec non custodiam singularem *Jun part.2.q 74.*

5 Præterea magis ad † offendendum, quàm defendendum prosunt. *Machiav.lib 2.c.17.* Et *Polydorus lib.3.c.18.* non humano, sed diabolico ingenio inventionem illorum alligat. Itemq; *Peucerus lib.5.Chron.Carion* in generis humani perniciem inventum ferale bellicorum tormentorum genus, quod Bombardas a sonitu vocamus, Monacho ministro & fabro, diabolo [illegible], ut cum labascere auctoritas insanæ superstitionis, quæ [illegible] s auctoribus falc natas hominum mentes præcipitaret in exitium æternum: succederet iisdem auctoribus aliud mali genus, quod in corpora læviret, sed in mutuam perniciem horribili furore hominum instructum atque displosum.

Econ-

Econtrà alii tormentorum inventionem † esse vetustam, usum renovatum contendunt. *Cornel. Agripp de van. scient.* Cum etiam tormentorum mentionem faciant. *Arist. lib. 7. pol. c. 10. Liv. Dionys. Halicarnass Plut. in Pericle.* & sic maximè esse concessum. 6 *Affirmans.*

Quid? quòd Deus † ipse præcipiat, ut si quæ ligna non sint pomifera, sed agrestia, succidantur, atque inde conficiantur machinæ ad civitates capiendas. *Deut. c. 20. v. 20.* 7

Facit, quòd etiam ab Osia † Rege machinæ Hierosolymis fuerint confectæ & usurpatæ in turribus & angulis murorum, ut videre est *2 Paralip. c. 26. v. 15.* 8

Deinde utilitas † eorum pro ratione harum ætatum maxima est. Longè enim major vis & efficacia esse solet ejusmod tormentorum, quàm armorum. Bombardis nihil solertius, nihil terribilius esse, contendit *Beroald.* Et *Wimphel. in epit rer ger. c. 64.* Quod teli genus, q̃ tormenta majorem formidinem, terrorem, jacturam ipsis hostib. afferunt, q̃ majores minoresq; bombardę, q̃ non modò rumpi muros & turres, sed cœlũ etiã quati posse docuerunt. 9

Quare tormenta ad defendendas urbes ac arces, regionesq; contra potentiorum vires ac robora maximè sunt accomodata. Jam pridem n. reliquiæ Romani Imperii devoratæ esset cum Ungariæ Regno ab Orientali Tyranno, qui multitudine copiarum omnib. terris superior, nisi bombardarũ auxilio divinitùs toties repulsus, & maximâ clade affectus esset. Quid n. ejus impetum immanissimum à postrema Viennensi obsidione repressit aliud, quàm bombardarum fulmina? *Kirchn. d. hypothesi 1. ad lit. c. & Camerar. c. 84. & 85. cent. 3.* memorabilibus exemplis probat, auxilio tormentorum manualium, operavè equitum nostrorum sclopetariorum ingentem Turcarum exercitum, tàm in acie, quàm in velitationibus sæpius esse profligatum & victum.

Concludimus ergò, quòd usu † tormentorum bella citiùs finiantur, victoria sine minori jactura nostrorum militum acquiratur, civitates commodiùs expugnentur, vel etiam hostes à munitionibus propulsentur. Atque hunc usum experientia ostendit, & vetustas comprobat. 10

CAP.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

AN STRATAGEMATIS ET dolis bellicis uti liceat?

1 PUgnatur cum † hoste vel aperto Marte, vel callidis & dolosis insidiis ingeniosissimè excogitatis, tàm ut tibi caveas,
2 quàm ut hostem opprimas: & ut quis cum † latrone pugnans duplices ictus infert ad sui defensionem, nempe provisos & improvisos, apertos & occultos: ita quoque licet uti duplici consilio adversus hostes, nempe directo & indirecto sive doloso *Keck. in syst. l. 1. c. 30.*

Sententia negantium. Sunt tamen qui existimant, stratagemata, † id est, callida & occulta consilia, solertia & dolus bonus, seu, ut *Justus Vulteјus in epist. dedicat. præfixa Polyæno ait*, ingeniosa in bello inventa, quæ ad ejus qui excogitavit, utilitatem, & ad hostium perniciem momentum habent) esse illicita, esse & bonæ fidei contraria, esse contra jus & fas occultè hostem aggredi: Veri militis esse non fraude, sed palàm & armatum eundem ulcisci. *Tacit. 2. annal.* Hac de causa Achæi, *referente Polybio lib. 13.* in tantùm abhorruerunt à machinationibus istis, & struendis dolis, ut nec hostes suos vellent vincere, existimantes parùm generosam victoriam esse, quæ non apertâ manu & virtute sit parata. Sic & Divico legatus Helvetiorum ad Cæsarem missus ait de Helvetiis, eos ita à patribus majoribusque suis didicisse, ut magis virtute, quàm dolo contenderent. *Cæsar. l. 1.* Quibus accedit testimonium *Euripidis in Rheso* dicentis: οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρᾳ κτείνειν τὸν ἐχθρόν. vir nemo altæ mentis clanculum desiderat occidere hostem.

3 Nam ubi dolus † ac supplantatio, vix fides esse potest, ac dignitas salva. *Lips. 5. polit. c. 17.* At verò vir sanctus & sapiens sciet, veram esse victoriam, quæ salvâ fide & integrâ dignitate paretur. *Flor. l. 1. c. 12.*

Nos

Nos quidem non inviti fatemur, esse sanè † militis, imò vi- 4
ri, palàm ac armatum aggredi hostem & ulcisci: verùm cum is † *Affirmantium.*
hostis sit, quem pendere jus fasque est, nihil referre existimamus,
quibus mediis, & quomodo id fiat. Tritum illud Virgilianum 5
ex l.2. Æneid. innotuit: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* sic
& Jureconsulti dolum illum approbant. Nam dolum † bonum 6
(abusivè ita dictum) pro solertia ipsi accipiunt, maximè si adversus hostes aut latrones quis machinetur *l. 1. §. 3. ff. de dol. mal. l.5. in fin. ff. de re milit.* Verum † itaque stratagematum usum (modò 7
causa belli justa sit) non solùm utilem, sed & honestum esse asserimus, suffulti rationibus & exemplis tàm sacris, quàm profanis.

Quod verò Euripides negat esse viri generosi, clanculum
† occidere hostem, id non de hoste publico aut prælиis, sed de 8
privatis inimicitiis intelligimus, in quibus neque nos huic fraudi locum damus.

Rationes & sententias laudatissimorum Regum ac Ducum, virorumque præclarissimorum cape sequentes.

Antigonus † rogatus, quomodo oporteat hostes aggredi: 9
Aut dolo, respondit, aut vi, aut apertè, aut per insidias. *Plut.* Et rursus: Fœderatum fallere injustè, impium: at hostes non solùm justum, sed etiam suave & fructuosum.

Imò ipse *Augustinus* † *lib.6. quæstionum, quæst.10. super Josuam* 10
testatur, cùm justum bellum suscipitur, utrùm apertè quis pugnet, an ex insidiis, nihil ad justitiam interesse transsumptivè *in c. Dominus noster. 23. q.2.*

Apud Xenophontem lib. 1. Cyropæd. Cyrus † patrem interro- 11
gat, quâ maximâ ratione vincendum sit: Tum pater: si victoriam cupis, quacunque arte capiendi sunt hostes, occultis insidiis, dolo, fraudeque fallendi, & furto ac rapinis exhauriendi. Ad hæc Cyrus: ô qualem me pater virum esse suades: Contrariam enim disciplinam ab ineunte ætate didici. At pater: verum est, inquit, ô fili: sed ea inter amicos & cives servanda: hostes verò quacunque fraude invadendi.

Imò bellicis in rebus, *teste ipso Polyb. lib.9. fol.553.* minoris † 12
sunt

sunt momenti, quæ manifestè & cum violentia perficiuntur, quàm quæ cum dolo, & oportunè fiunt.

13 Et *Periclis* † sententia fuit: Tutius est, imò præclarius ingenio hostem & ratione, quàm ferro vincere.

14 Unde Dux bonus Brasidas † *apud Thucyd. lib. 5. de bell. Pelopones.* Illa belli furta pulcherrimam habent laudem, quibus & hostes maximè decipiuntur, & amici plurimum juvantur. Magna quippe in manu & gladio laus est, maxima in virtute. *Keck. in curs. fol. 794. & Poliæ. lib. 11. stratagem.* Summa laus, inquit, sine periculo parta victoria, tùm maximè, si fortes hostes sint, *Procop.*

15 Quare virtute † faciendum est, quicquid in rebus bellicis est gerendum, ut scribit Zenobia Regina Orientalis ad Aurelianum Augustum, *apud Vopiscum in vit. Aurel.*

Hac de causa *Veget. lib. 3. de art. milit. c. 19.* monet, ut boni
16 Duces non aperto † Marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentent, ut integris suis, quantum
17 possint, viribus hostes interimant, vel certè terreant. Callidis † n. consiliis sæpènumerò fit, ut hostes desperent, aut terreantur,
18 certè fallantur. *Hipp. à Collib. in pr. fol. 115.* Ita Philippus † Macedonum Rex magis de prudentia, astu Imperatorio, & successu gloriari solitus est, quàm de copiarum & auxiliorum viribus; hanc subjungens rationem, rerum benè in præliis gestarum laudem sibi cum suis militib. communem, sed eorum, quæ prudentiâ transegisset, titulum, ad se solum spectare. *Diodor. Sicul.* De
19 Cæsare † dubitat *Sueton.* Utrùm in obeundis expeditionib. cau-
20 tior fuerit, an audentior. De Hannibale † Carthaginensi tradunt, quòd sine callido aliquo consilio prælium nunquam comiserit, sed ad decipiendum hostem semper fuerit intentus, ut quem aperto Marte superare non potuerit, dolis fuerit aggressus.

Ad illorum itaque exemplum operam dabit Princeps, ut prudentiâ istâ occultâ, & commentis potiùs, quàm periculosis congressibus hostem opprimat.

21 Præterea: Quò Leonis † pellis non attingit, insuenda est
22 est Vulpina, ut dixit Imp. Lysander, id est, cùm aperta vis non

non succedit, aliâ viâ ingrediendum est. *Plutarch. in vit. Lysand.*

Sic aquila † etiam cum cervo audet confligere, inferior tamen futura, nisi vulpinam adderet pellem. Nam astu supplet, quod viribus est diminutum. Commissura cum hoste prius in pulvere volutat sese: Deinde cornibus insidens cervinis, pulverem pennis collectum, in oculos spargit, alis ora verberans, donec exoculatum in rupes det præcipitem, ut ex naturæ venatorib. hoc ita tradit & refert *Erasm. Roterod. Chil. 3. adag. cent. 7. adag 1.* 22

Et sicut Venator feras † quasdam vi & manu interficit, quasdam laqueis & retibus captat: ita Dux belli hostes partim viribus & Marte, partim consiliis & arte opprimet & necabit. *Kirchner. in orat. super. quæst. An consilium plus exped. bell. reb. quàm arma.* 23

Maneat ergò hoc, quòd in † Duce non solùm fortitudo, sed inprimis etiam industria laudetur, & ingenii promptitudo, quâ salubre suis consilium ex tempore possit capere. *Justus Vultej. dict. l.* 24

Deniquè hanc sententiam juvant exempla † sacra & profana plurima. Sic Abrahamus divisit exercitum, & hostem securum occupavit per insidias. *Genes. 14. vers. 15.* Idem fecêre Israëlitæ congressuri cum Benjamitis. *Judic. cap. 20. vers. 29.* Et Deus ipse Josüæ mandat, ut urbi Hai insidias struat. *Jos. 8.* Davidem jubet Philisteos à tergo adoriri. *2. Sam. 5. vers. 23.* Nec ignota est historia Judithæ in sacris celebratissimæ quæ pudicitiam & castitatem suam periculo exposuit, ut callidè obtruncaret Holofernem. *Judith. c. 13.* 25

In historiis profanis quot quæso stratagematum laudata sunt exempla? illustriora quædam tùm antiquiora, tùm recentiora apponemus, quibus bellorum Duces non sine magna laude, magnaque utilitate fuêre usi, & astutiâ supplevêre, ubi vires defuêre.

Inter illos verò, qui stratagematis admirabiles extiterunt, haud ultimum locum tenet Themistocles Atheniensis.

Is aliquando veritus, ne Xerxes, quia malè maritimam

Digitized by Google

cedere expeditionem videbat, omni conatu terrestri bello incumberet, & tandem omnem Græciam opprimeret, cùm sciret, parvi animi Xerxem esse, Arsacem eunuchum, quem in Persica clade ceperat, noctu ad eum misit, & per ipsum Xerxi significavit, Græcos deliberasse, pontem in Hellesponto factum rescindere, ut retrocedendi ademptâ facultate, ipsum cum omnibus Persis in Græcia intercluderent. Quod cùm Xerxes ita esse arbitraretur, vehementer territus, Mardonio in Græcia cum exercitus parte relicto, statim ipse cum aliis copiis per pontem in Asiam, atque inde in Persidem regressus est. Exitus autem posteà docuit, quantum Græciæ Themistoclis astutiâ profuisset. Itaque haud injuriâ dici potest, Themistoclem Græciæ rebus atque saluti plus consilio atque calliditate, quàm reliquos omnes Græcos sanguine atque armis contulisse. *Fulgos. lib. 7. de dict. & fact. memorabil. c. 4.* Ubi & aliud ejusdem adversus Xerxem stratagema commemorat.

Græcorum Proceres cùm vi & armis Trojam capere non possent, equum ligneum sibi fabricarunt (Trojanum vulgò dicunt) in quo abditi repentè prosilientes, Trojam ceperunt. Unde Agamemnon decem potiùs Nestores, aut Ulysses consiliarios, quàm totidem Ajaces aut Acchilles bellatores sibi exoptavit. *Cic. de senect. Homer. 2. Iliad.*

Alcibiades Atheniensis, cùm Bizantium obsideret, tali solertiâ usus est: cùm vi capere urbem se non posse videret, famam sparsit, ab Atheniensibus se revocatum esse, atque toto exercitu in classem recepto, vela dare cœpit, aliquantumque spatii jam emensus, nocte in terram, militum magnam manum exposuit. Atque ipse manè Bizantium reversus, oppugnare urbem aggressus est: cùm Bizantii ad maritimam urbis partem armati occurrerent, ut inde Atheniensium classem averterent, hi quos in terram exposuerat, occultis itinerib. profecti, ante urbem egressi sunt, quàm à civibus exaudirentur.

Hannibal Carthaginensis mirè ex insidiis Fabii se extricavit. Cùm hybernis locum spectaret, & saltum Cassinatem petere se putaret, ut illic commeatus atque pabulationem copiosius ha-

haberet, per duum errorem, Casilinum se deductum invenit. Fabius verò cùm satis sciret, per easdem angustias, quibus intraverat, rediturum, ratus ea loca peropportuna esse Romanis, circiter quatuor millia hominum in ipsis angustiis ponit: hortaturque, ut magno fortique animo, cùm res ferret, opportunitate loci uterentur. Ipse cum reliquis copiis collem, iisdem angustiis imminentem, occupat, quid quaque in re agendum esset consultans, inde primùm, vel à quibus in hostem ruendum, haud dubius, se vel profligaturum omninò hostium exercitum, vel saltem quicquid vehebant prædæ, ablaturum. Verùm suprà humanum ferè ingenium, evadendi inde, quàm inivit Hannibal, ratio fuit. Quæ illa? stramentorum fasciculis ad cornua boum alligatis, Asdrubali negotium dedit, ut statuto tempore pecorum cornibus accensis, noctu armentum per Romanos milites, fauces ejus vallis insidentes, ageret. Hi micantes in boum cornibus flammas aspicientes, veluti miraculo attoniti, locum deseruerunt: & Fabius, cognito tumultu, insidias esse ratus, à conflictu abstinuit, Hañibalis dolis antè invicto, hoc invento illusit. *Polyb. lib. 3. fol. 254 & seq.* aliam calliditatem recenset *Valer. Maxim. lib. 7. de dict. & fact. memorabil. c. 4.*

Eâdem ferè arte, absque pugna, Thessalus superavit Boectos, qui Arnam incolunt, cum Thessalis bellum gerentes. Observans enim noctem expertem lunæ & tenebrosam, mandavit militibus, ut dispersi per campum, alius alibi in montium fastigiis faces & tœdas incenderent, atque sublimes ferrent, rursusque deprimerent. Boecti conspecto igne, quasi fulmine circumdati, in metum ac terrorem inciderunt, & ad supplicandum Thessalis, & de pace rogandum convertebant. *Polian. lib. 1. stratagem.*

Artibus quoque Scipio Africanus Carthaginenses in Africa superavit. Nam cùm adversus eum Asdrubal & Syphax ingentes exercitus duxissent, sub prætextu tractandæ pacis sæpiùs ad Syphacis castra oratores mittendo pro servis tribunos cum eis delegabat, ut Syphacis castra, atque eorum formam diligentiùs specularentur, quæ posteaquàm, ut erant, satis intelle-

xit, Uticam se proficisci simulans, nocte clam insidiis aliquot cohortibus, inter duo castra positis, curavit ut ignis syphacis castris clam injiceretur: in quibus quoniam tabernacula stramentis, frondibus, atque cannis confecta erant, quæ nimiis caloribus in ea regione facilè aruerant, parvo temporis spatio, incendium castra penè tota pervasit. Barbari autem cùm arbitrarentur, non dolo, sed casu fortuito excitatum esse incendium, inordinatim, inermesque ad extinguendum ignem concurrebant: quo tempore adortus eos Scipio, in tanta perturbatione facilè vicit & fudit. Ex aliis quoque castris cùm conspecto igne auditoque clamore, ad opem ferendam tùm armis, tùm inermes advolassent, & incidissent in eos, quos inter utraque castra Scipio in insidiis collocaverat, partim occisi, partim capti fuêre. Scipio igitur duos præpotentes exercitus, quos armis vincere non potuit, nocturno incendio delevit. *Fulgos. d. cap. 4.* sic & Helnes Arcadum Rex, vastantibus Tegeam Lacedæmoniis, quotquot urgentem ac floridam ætatem haberent, supra caput hostium misit, præcipiens, ut media nocte in eos impetum facerent. Quotquot verò ætate provecti, aut nondum adulti essent, eos jussit eodem tempore ante civitatem ignem quàm maximum accendere. Hostes ad visum ignem obstupefacti, in eum oculos conjiciebant. Qui verò in cacumine erant, obruentes inopinatos plurimos ex iis morte affecerunt, multos etiam captos in vincula conjecerunt. *Polian. d. lib. 1. fol. 8.* Adversus eosdem Lacedæmonios hoc consilium excogitavit Epaminundas. Cùm utraq; acies jam exspectaret conflictum, ipse ante aciem magnum equorum numerum excurrere jussit, ita ut concitato ingenti pulvere, hostiũ conspectus adimeretur. Intereà in acie sua ordines immutavit, ita, ut cum postea confligeretur, ipse à tergo in hostes, qui id minimè animadvertetunt, impetũ faceret, q̃ res ei victoriã facilimè præbuit. *Fulg. d. c. 4.*

Diætas Achivorum Dux, cùm Heræensium urbem apertâ vi capere non posset, occultè cepit, quibusdam Heræensium grandi pecuniâ corruptis: qui sæpè venientes ad portas, cum his, quibus portarum claves erant commissæ, sermones confe-

conferebant, atque convivia celebrantes, clam expresserunt claves, & effigiem Diætæ miserunt, qui similes & æquales claves publicè comparans, misit ad eos, ut noctem constituerent, quâ portas aperire vellent. Diætas cum paucis militibus intravit, clavium stratagemate patefaciens ipsis introitum. Ingressus verò usus est alio. Postquam enim Heræenses re intellectâ prosilierunt magno numero, locorum urbis periti, metuens eos Diætas, tubicines in multis urbis partibus jussit distantes classicum canere. Heræenses ex omnibus locis multas turbas audientes, cum circumsonarentur, omnia plena hostibus existimantes, urbem deseruerunt, & interdiu legationem ad Diætam miserunt, supplicantes, ut sibi patriam recipere liceret, se in posterum Achivorum imperata facturos. *Polian. lib. 2.*

Nec reticenda nobis est singularis astutia Zopyri, quâ Babylonem Dario Persarum Regi tradidit. Cùm enim Darius urbem, quæ à se desciverat, obsidione cinxisset, ejus tamen potiundæ ratio difficilima esset, Zopyrus Darii militarum Ducum unus, maximâ erga eum fide atque amore insignis, sibiipsi nares, aures atque labia præscidit, atque ita malè compositus, ad Darium perrexit, qui eo aspectu graviter fuit commotus. Sed Zopyrus se rei esse auctorem narrat, ac consilium aperit, quo impulsus id egerit. Ego, inquit, ita uti sum, ad muros, ut transfuga fugiam: dicamque, me hæc abs te esse passum: &, ut opinor, ex hoc corporis habitu fidem eis faciens, consequar exercitus præfecturam. At tu decimo die, quàm muros fuero ingressus, mille milites ex eo genere, cujus amissione nihil admodum damni fit, colloca adversus portam, quæ vocatur Semiramidis. Rursus interjectis septem diebus, colloca duo millia ad portas, quæ dicuntur Ninorum. Atque tertio, viginti diebus è regione Portarum, quæ dicuntur Chaldæorum, alios statue, numero quatuor millia: dum neque priores, neq; posteriores habeant, quo se defendant, præter gladios. Post diem vicesimum reliquas copias jube rectà muros undique subire. Verùm ad portas, quæ Belides ac Cissiæ

vo-

Digitized by Google

vocantur, Persas mihi statuito. Etenim ut ego sentio Babylonii mihi, qui magna opera ediderim, committent cùm alia, tùm verò portarum claves. Illinc mihi atque Persis curæ erit operam navare. Hæc ubi mandavit, ad muros pergit, subinde respectans tanquam verè profuga. Eo conspecto, qui in turribus ad dispositi erant, descenderunt, & alteram portam aliquantulum reclinantes, sciscitati sunt, quisnam esset, & cujus rei indigens veniret. Cumque dixisset, Zopyrum se esse, & ad illos transfugere, ad Babyloniorum magistratus ipsum deduxerunt. Ante quos ubi stetit Zopyrus, conditionem suam miseratur, referens à Dario se passum, quæ à semetipso passus esset, idque ob eam causam, quod discessum ipsi suasisset, quoniam nulla via expugnandæ urbis ostenderetur. At nunc, inquit, ad vos, Babylonii, confugio futurus vobis in maximo bono. Neque enim quod ita me mutilavit, feret impunè, cùm habeam exploratos omnes consiliorum ejus exitus. Hæc Zopyrus commemorabat, quem Babylonii undique virum apud Persas spectatissimum cernentes, naribus atque auribus privatum, vibicibus ac sanguine conspersum, sperantes omninò verè loqui, & ad ipsos venire socium, inducti sunt ad permittenda ei, quæcunque postulasset. Iste postulavit copias militum: quarundam copiarum curâ ei demandatâ, perfecit ea, quæ cum Dario composuerat. Siquidem decimo die eductis Babyloniorum copiis, mille Darianos, quos collocari primos mandarat, circumventos trucidavit. Eum Babylonii advertentes consentanea verbis facta præstare, majorem in modum lætabantur, pacati omni jure homini parêre. Iste rursus interjectis diebus, de quibus erat conventum, cum delectis Babyloniorum egressus, duo millia Darianorum militum interfecit. Babylonii cernentes hoc alterum opus Zopyrum in ore habuerunt, eumque laudibus celebrarunt. Hic rursus constitutis diebus supersedens, ad prædictum locum copias educit, circumventaque quatuor millia occidit. Quo tertio opere edito, Zopyrus apud Babylonios erat, ut & Dux totius exercitus, & murorum custos declaratur. Ubi verò è composito Darius copias undiq; muris admovit, ibi Zopyrus omnem do-

dolum patefecit. Nam cùm Babylonii conscensis muris copias Darii adorientes arcerent, ipse apertis Cissiis ac Belidibus portis, Persas in urbem introduxit. Quod factum, qui Babyloniorum videbant, hi in pulvinar Jovis Beli confugerunt. Qui non videbant, hi in suo quisque loco permanserunt, donec & ipsi se proditos intellexerunt. Ita Babylon iterum capta est, quâ potitus Darius, muros ejus infregit, & portas omnes amolitus est: quorum neutrum Cyrus fecerat priùs eidem à se captæ. Babyloniorum quoque Procerum tria millia patibulis affixit, datâ cæteris veniâ urbem incolendi. Ferturque Darius hoc dictum sæpenumerò usurpasse: præoptaturum se, *Zopyrum* nihil cladis esse possum, quàm viginti sibi Babylones ultra illam, quam haberet, acquiri. Eum tamen egregiè remuneratus est, cùm dando quotannis, quæ apud Persas sunt honorificentissima, atque alia permulta: tùm traditâ Babylone immuni, quoad viveret, in peculiarem portionem. *Herod. lib. 3.* oblatoque malo granato, totidem sibi optavit Zopyros, quot in illo essent grana. *Justin. lib. 1.* Et hoc exemplo ostenditur, nunquam tàm grande pignus de hoste haberi posse, ut penitùs & credendum sit, ex annotatione nonnullorum Historicorum.

Nunc recentiora petemus *ex Fulgosio d. c. 4. & Botero lib. 9. politiæ illustrium. c. 22.*

Primum erit de Grimoaldo Rege Longobardorum, qui cùm Beneventanorum Dux esset, Arithperti regnum spoliatis ejus liberis invaserat. Cùm autem sciret ingenti se peti exercitu, è Gallica à Clodoveo Rege misso, castra deseruit, vino rerumq; omnium copiâ referta. Ea verò ab hostibus occupata, non fidem solùm Grimoaldi timoris fecerunt, verùm etiam materiam dederunt, ut neglecto hoste, liberiùs vino ciboque indulgerent, atque in excubiis militarem disciplinam remitterent. Noctu igitur Grimoaldus vino somnoque gravatos adortus, facilè omnes fudit atque delevit. Pari calliditate, diversâ tamen ratione, Tartari, regnante Belâ, quarto Ungariæ Rege, in Pannoniam profecti, ut Danubium trajicere possent, usi fuerunt. Nam cùm glacies Danubium astrinxisset, cujus ripas Ungariæ

Digitized by Google

accolæ armati obsidebant,& Tartaros latuisset,an tutò exercitus super glaciem permeare posset, hanc ad tentandam glaciei firmitatem invenerunt rationem: Motis à Danubio castris, tabernacula, ut erant magna, cùm aliarum rerum,tùm imprimis boum atque equorum copiâ referta reliquerunt: ad quam prædam invitati Ungari cùm venissent, & Tartarorum insidias morari minimè ausi, omnes simul greges & armenta per concretum gelu amnem abduxissent, Tartari per exploratores facti certiores, Ungarorum experimento exercitui sustinendo glaciem sufficere nocte proximâ Danubium trajecerunt, verùm prædâ quoque à tota regione abactâ, regionis ipsius loca omnia, atq; in eis Strigonium urbem ferro ignoque fœdarunt.

Succedit exemplum aliud de Guidone Comite Montisferrati, qui in urbe Ferolivio obsessus à Guidone Appia Romandiolæ Comite, Martini Quarti Pontificis auspicio operam dedit, ut è suorum numero quidam cum hoste de tradenda urbe pacisceretur. Cùm autem hostium partem ingressam esse in urbem videret, fretus, id quod erat, non omnes, quia non omninò fidem haberent, ingressuros esse, ipse per aversam ab hoste portam silentio egressus, eos, qui foris manserant, adortus, quia nihil tale verebantur, & suorum, qui in urbem introierant, exaudito clamore, captam urbem, & victoriam haud dubiam, pugnaque minimè opus esse rebantur, parvo momento omnes fudit atque devicit. Inde in urbem regressus impetum in eos fecit, qui in urbem erant ingressi; qui cùm, palantes per urbem sparsi, uni tantùm prædæ essent intenti, haud difficulter vel occidit, vel cepit omnes. Hoc igitur astu, ut hostes divideret, victoriâ potitus est, quibus si conjuncti mansissent, par nullo modo esse potuisset.

Juvat exemplum singulare asscribere de Fredegunda Regina Gallorum. Hæc maritum Chilpericum per adulterum Londericum occidi curavit, atque simul cum adultero Galliarum Regnum administravit: ei bellum intulit Childebertus Austrasiæ Rex, ingenti Longobardorum exercitu adjutus: cui audax Regina, cum impubere filio Lothario, atque ad-

adultero, cum magno exercitu quoque obviam prodiit. Cùm non longè à Bruniaco (quod oppidum est in ea Galliæ parte, quam nunc vulgò Campaniam dicunt) hostilibus castris propinqua esset, ut improvisò hostem adoriretur, calliditate mirâ usa est. Nam arborum ramos frondosos, & quidem haud paucos, præparari jussit, quos quadruplici ordine ante agmina præmisit, atque inter eos tintinnabula quædam immiscuit: quæ cùm sensim procederent, speciem armenti, in sylva depascentis, præbuêre. Cùm sylvam esse, in qua armenta agerent, hostes sibi persuasissent, (neque enim, quia nondum clara lux erat, discerni fraus poterat) castris eorum, priusquàm armarentur, atque prodire in aciem possent, Fredegunda appropinquavit. Inermes igitur, atque nihil tale verentes aggressa fudit, atque in fugam compulit, in quo sagax fœmina clarè ostendit, fœmineum ingenium minùs ad omnia mala promptum ac callidum esse, quàm ad bona virile esse solcat, ut concludit *Fulgos.*

Et hactenus exempla protulimus ex historiis Romanis, tùm quibusdam Neotericis & Græcis scriptoribus: plura haurienda ex illis, qui ex professo hanc materiam tractârunt, ut *Frontino, Polyano, Nicolao Reusnero*, inprimis verò *Henrico Rantzovio in tractat. de stratagem. & in comment. de bell.* Ubi varia stratagematum bellicorum genera accuratissimè traduntur, & recensentur, quibus uti possis in acie, in castris, in itinere, in oppugnanda & propugnanda urbe: in fluviis transmittendis, angustiis evadendis, commeatu parando, literis celandis transferendisque, hostibus terrendis, tuis animandis, & si quæ alia ad militarem requiruntur astutiam.

Utile † verò est, ne iisdem frequenter molitionibus Duces utantur, sed novas semper ipsi inveniant. 26

Nam etiam in † musicis, quæ nova sunt, & ipso quasi in flore, vehementer illa quidem celebrantur: Verùm multò magis bellicis in rebus novę machinationes laudem merentur, quippe quę hostem faciliùs fallant. Quod consilium suppeditat Cyri pater *apud Herod. d. l.* Testatur etiam *Xenoph. l. 1. Cyropad.* nova strata- 27

Digitized by Google

gemata semper meliora esse veteribus, majusq; damnum afferre hostibus incognita.

28 In bello autem, ut & in omnibus aliis actionibus, dolo † malo, fraude malâ, & injustitiâ non est utendum. Res enim est iniqua, *teste Plutarcho in Camillo*, inimicum vincere fraude.

29 Semper etiam attendendum, ne sub prætextu † hujusmodi fides singulariter & solenniter ab utraque parte inita rumpatur, perfidia committatur, & exerceatur proditio. Nam ea fraus, quæ fit fidem frangendo, pacta non servando, nequaquam est gloriosa, *Reusner. in art. stratagem. l. 2. c. 5. quæst. 4.*

30 Fides † siquidem quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. *c. noli. 23. quæst. 1. & D: Ambros. l. 1. offic. cap. 29.* Liquet, inquit, etiam in bello fidem & justitiam servari oportere, nec ullum decorum servari oportere, si violetur fides.

31 Quod si ergo una † pars fiat fædifraga, altera pactis initis non tenetur stare, juxta vulgatum illud: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Idem inculcat *Lips. l. 5. polit. cap. 17. ex Flor. l. 1. cap. 12.* quo loco duo illa: Fidem ac dignitatem salva esse vult. Fidem ne quid (ut jam dictum) in pactis aut fœderibus Dux fallat. Dignitatem, ne abjectâ aliquâ & improbâ ratione hostem tollere velit: ut si quis clam immisso emptoque sicario (quod Hispanis usitatum est) aut aliis veteratoriis sophismatibus, fraudibusque malitiosis utatur. Ideò *Waremundus de Erenberg. lib. 1. de fœderib. c. 2. n. 75.* non probat ingenium

32 † Matthiæ Regis Ungariæ, qui existimavit licere jure *ferro* occidere Georgium Bodiebracium, *non veneno*: ardente enim bello inter Georgium & Matthiam, venit ad hunc quidam ex familiaribus Georgii, qui ferro se Georgium confixurum promittebat, si à Rege præmium aureorum quinquies mille numeraretur. Matthias, scripto Chirographo quod postulabat proditor, pollicitus est, promittens etiam majora ad finem cogitationes perducenti. Elapsis aliquot diebus, Regi Matthiæ significavit proditor gladio Georgium satellitibus stipatum, interfici non posse, veneno extingui aptissimè. Rex Matthias noluit,

Digitized by Google

luit, ut venenum exhiberet, repetens illud: *Romanos ferro, non veneno pugnare consuevisse*: monuitque Georgium, vitaret venena, nullisque cibis, nisi priùs prægustatis uteretur. Sanè frigida admonitio, ait Waremundus, & in speciem facta; cur enim non monebat eundem de proditore domestico? Mirum itaq; relligiosos hanc sanctitatem & innocentiam laudare. *Martinus Boreck. in Chron. Bohem. in vita Georg. Regis XIV. pag. 570. & Cureus in Annalibus Silesiæ, in vita Matthiæ, pag. 178.*

Improba † ergò, & Matthiâ teste, erit ratio invadendi hostem, si pars adversa veneno grassetur, ut factum quondam à Tartaris in Silesiam invadentibus, dum venena in exercitum adversarium sparserunt. Itemque ab Emanuele Comneno Imper. Constantinopolitano, qui confœderati Cunradi Suevi Imper. contra Turcam expeditionem facientis exercitum, cùm commeatum promisisset, fraude & veneno depopulatus est. Magnam enim partem ejus perdidit submissis panibus paratis ex farina, infecta commoliti gypsi tenuissimo pulvere, quo de facto perpetuâ infamiâ flagrat. *Æn. Sylv. de Asia minor. cap. 51. Peucer. l. 4 Chron. Carion. in vit. Manuel.* Flagrat & M. Aquilius, qui Asiatici belli reliquias confecit, mixtis, nefas! veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium, quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe cùm contra fas Deûm, moresque majorum medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset, ut loquitur *Flor. l. 2. c. ult. in fin.* 33

Sunt enim certa jura † bellorum, consensu gentium recepta, quorum jurium consuetudine non est permissum, ut veneno in hostem grassemur: cùm duo tantùm sint legitimi modi hostem invadendi: Consilium & Arma; cæteri ad infamem victoriam rejiciuntur. 34

Romani † ergò animi altitudine dignum, quòd veneno adversus hostem. Quirites pugnare noluerint, ac ejusmodi vindicandi usum injustum judicaverint. *Gell. lib. 9. Noct. Attic.* Hinc cùm Pyrrhi Regis medicus ad fortem illum heroem Rom. C. Fabricium clam in castra veniret, & suam operam ei offerret ad venenum Regi suo propinandum, Fabricius eum vinctum, 35

ad Pyrrhum remisit, & de hominis infidelitate Regem monuit. Qua de causa ab hoste egregium testimonium reportavit, quòd sol citiùs cursum suum sit muraturus, quàm Fabricius mutaturus cursum honestatis ut refert *Eutrop. lib. 2. & Plutarch. in Pyrrho.*

Sanè plus † est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio. *l. 1. C. de malefic. & mathematic.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

AN PRODITIONES ET EXPLORATIONES IN BELLO PROBANDÆ.

1 AD consilia † belli indirecta, qualia sunt stratagemata, de quibus modò diximus, referuntur etiam corruptio hostis, seu procurario proditionis, & exploratio. Hæc an sit culpabilis nec non, jam dispiciemus.

2 Prodere † verò tria videtur significare, inquit *Pet. Martyr. class. 4. loc. com. c. 16. s. 28.* nimirum patefacere, fallere ac tradere. Hinc proditio est actio, quâ dolo, patefactione, seu traditione proximi, aut res eorum læduntur ab iis præsertim, qui eas potiùs tueri debuerant.

Prodere quid significet.

Suntque proditorum complura genera: produnt quippe illi, qui fratrum crimina dolo malo patefaciunt: Item qui alium circumveniunt, & in discrimen adducunt. Iis annumerantur, qui hostibus munitiones & arces tradunt. Illi etiam proditores habentur, qui arcana sibi commissa patefaciunt, quæ præsertim magni momenti sunt.

Prodere, ait *Asconius Pedianus in secundam Verrinam:* deterius est, quàm oppugnare. Nam oppugnant inimici, quod eis vitio verti non debet: at produnt, qui amici videri volunt, ac tales erga nos esse deberent: ideoque cum ab officio discedant, longè graviùs, quàm illi peccant.

De illicitis ejusmodi delationibus ad scopum impium sunt accipienda dicta *Psal. 139. v. 12. Prov. 20. v. 19. cum simil.*

Va-

Variis hisce proditionis modis & speciebus opposita est proditio † illa, quæ scelera aliorum detegit, nec in vitio habenda, 3
& de ea, *sup. 2.* actum à nobis fuit. Sic enim Heli audit scelera filiorum suorum à delatoribus. *1. Sam. c. 2.* Jonathanus filius Saulis, voluntatem & consilia patris Davidi prodidit. *1. Sam. 20.* Mardochæus insidias Bagathan & Thares Eunuchorum, Regem Ahasuerum jugulare annitentium, nuntiavit Reginæ Estheræ. *Esther. c. 2.* Ratio est, quod qui dissimulat aliena maleficia, peccatis alienis communicare dicitur. *ad Ephes. cap. 5. vers. 7. 1. Timoth. cap. 5. vers. 22.* Juvare certè quovis modo oportet magistratum, ut vitia extirpentur. *Plutarchus in apophtegm. Lacon.*

Nobis in præsentia de illa proditione est sermo, quæ in bello † adversus hostes exercetur, de qua ait *Hieronymus de optimo genere interpretandi ad Pammachium:* proditionem Principes recipere quidem, sed proditores damnare. Ita Philippus Macedo interrogatus, quos amaret præcipuè, & quos maximè odisset, respondit: prodituros quidem amo: eos verò, qui jam prodiderunt, odi maximè. *Stobæ. serm. 52.* 4

An verò probanda † quæcunque ex parte sit proditio bellica, quæritur? *Bartholomæus Keckermannus lib. 1. system. polit. c. 18. fol. 307.* circa eam hunc tradit canonem: Proditio omninò † licita est, quando nempe proditor scit, certò se bonam causam promovere, & facere id justitiæ & honestatis causâ, non mercedis ac præmii spe, vel odio privato; & quando mendacium nullum miscetur. Et *c. 30. ejusd. lib. 1. fol. 480. post Althus. in polit. cap. 29. fol. 407.* de proditionis procuratione, conciliatione animorum, corruptione & deceptione hostium, utpote legitima, ita docet: Prudentiæ est adjungere sibi voluntates hominum, præsertim verò hostium, atque adeò eos corrumpere, vel suasione, vel dono, quo omnia sunt venalia, inprimis proditio, & arcanorum revelatio. Itaque etiam belli Dux bonâ conscientiâ ejusmodi corruptiones tentare, & proditoribus uti potest, etiamsi proditionem non amet. 5 *Proditio bellica an probanda?* 6

Quin etiam transfugas † hostium recipiendos esse monet *Althus. d. l.* 7

Ubi

8 Ubi tamen noto, quod si jurati† sint hostes, ipsos fidem sub sacramenti religione datam violare.

9 Qualis deceptio † cum perfidia conjuncta, nequaquam in bello licita. *Alberic. Gentil. de jure belli, lib. 2. c. 8. 9. & 10.* intellige ex parte decipientis & proditoris non ratione partis adversæ, vel Ducis, qui in justo bello uti semper potest operâ proditorum absque conscientiæ suæ læsione.

Utrùm patriam justo bello oppressam prodere liceat.

10 Hinc etiam orta est illa concertatio: *An patriam † justo bello oppressam prodere liceat?* Negantem sententiam *contra Pet. Martyrem. in cap. 1. Judicum* defendit *Lamberd. Danæus libr. 7. polit. Christ. cap. ult. fol. 526.* existimans, transfugere quidem ab iis virum pium & debere & posse, quos scit esse injustos, & cùm stat, versaturque adhuc in eorum partibus, admonere eos suæ injustæ & malæ causæ, & sana iis consilia debere eundem virum pium suppeditare, quemadmodum fecit mulier Bethmahachitana suis civibus. *2. Sam. 20. v. 16. & seqq.* prodere autem hostibus civitatem, in qua est, aut partes quas tuetur, & quibus stat, neminem pium debere, aut bonâ conscientiâ posse. Nam fidem datam eum violare. Et *fol. 527.* secum omninò sentire scribit *eundem P. Martyrem in lib. 2. 2. Sam. c. 15. v. 34.* ubi Chusai factum apertè damnat, qui inserviret amico Davidi, Absolonem, cui adhærebat, perdidit, sicut legitur *2. Sam. 16. & 17.* Chusai tamen non habendus videtur pro proditore patriæ, cùm Absolonem Davidi prodidit: bonam insuper & justam causam Davidis promovit, oppugnato Architophelis consilio, & suo longè deteriori obtruso. Facit quod expresè *d. c. 17. v. 14.* dicitur: *Domini nutu* dissipatum est consilium Architophel utile, *ut induceret Dominus super Absolom malum.*

11 Rahab † sanè suam Rempublicam seu Regem prodidit, recipiendo, occultando, & dimittendo capitales ejus hostes. *Jos. 2.* quæ *in Epist. ad Hebr. 11. v. 31.* fide ista fecisse dicitur. Sed hoc factum exinde excusari & commendari puto, quia Deus illam terram Israëlitis tradiderat in manus eorum: idque novisse se exploratoribus respondet meretrix Rahab. *v. 9.* & asserunt exploratores ipsi. *v. 24.* Et sic exemplum est prorsus singulare, à quo non

non licet argumentari ad universale. Quin sub Henrico † Quarto Imperatore proditoribus patriæ ea pœna irrogata fuit, 12
ut alligatis ad palum uterus novaculâ à pudendis ad cratos usque pectooris dissecaretur, evulsisque intestinis & extis, cor circumstantibus spectandum exhiberetur.

Romanis in Latinos certantibus, Cassius † signifer Crassum 13
Brutum filium occidit, quòd is patrem prodere, & hostibus portas aperire voluisset. *Ravis.*

Aurelianus, † cùm Tyanam tradente Heraclammone, re- 14
cepisset, proditorem ipsemet Imperator in Epistola ad Chilonē, quæ etiam nunc *apud Flav. Vopiscum in vit. Aurel.* extat his verbis aperuit: Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderunt: *neq; enim mihi fidem servare potuisset, qui patriæ non pepercit.*

De jure † civili proditores, transfugæ, & qui secreta nuntia- 15
runt hostibus, capitis pœnam luunt. *l.6.* §. *4.l.7. ff. de re milit.* quique munitionibus fidei suæ commissis cedit, crimen læsæ majestatis incurrit. *l.1.& 3.ff. ad L. Jul majest.*

Lex † Ægyptiorum linguam talibus abscindi sanciebat. 16
Claud. Coter. de jur. & privileg. milit. c.6. Ubi recenset, quam variis suppliciis sint affecti proditores. Quamvis hic dissentiat *Vincent. Castellan. lib.2. de offic. Reg. c.40.* dicens: Non auctor sum, ut id genus hominum è medio tollatur, alioqui nihil per proditionem confici posset. Sed suaserim, tamen ne quid illorum fidei committatur. Nam quamvis benè ageretur cum humano genere, si nihil usquam tutum proditoribus esset, cùm tamen non omnes idem velint efficere, eo se adjumento privare Imperatores non debent. Et rectè *Cicero in Verrem.* dixit: Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit, quòd omnium sit communis inimicus, qui fuerit hostis suorum. Nulla igitur præfectura, nullus tribunatus centurionatusve id genus hominum est deferendus. Imò ne in castris quidem ut versarentur, est permittendum, tantùm abest, ut arcem præsidiumve iis credendum censeamus. Nemo enim sanus, ut demonstrat *Demosthenes in orat. de corona*, postquam factus est Dominus earum rerum, quas

 eme-

Digitized by Google

emerit, reliquis in rebus proditore utitur consiliario. *Hæc ille.* Et sic manifestum fecimus, quòd proditiones in quibusdam causis culpâ & reprehensione careant.

17 Videamus nunc, quid de † explorationibus sit statuendum.

18 Etsi enim nonnulli existiment, proditionem † ac explorationem à se invicem non multum distare: sed fieri quandoque posse, ut idem sit & proditor & explorator. Nam si quispiam civis ab hostibus pecuniâ corrumpatur, is & proditor est patriæ, & domesticum interim exploratorem agit. Verùm quamvis in uno quandoque homine concurrat & proditio & exploratio: istarum tamen rerum natura, ut ex earum definitionibus liquet, permultum distat, & exploratio ab hostibus: proditio verò à conjunctis, quibus ut amicis confidimus, proficiscitur.

Exploratio an concessa.

Est itaque munus vel opus exploratorum res conatusq; hostium cognoscere, ut sibi ac suis faciliorem aditum parent ad illorum expugnationem aut repulsam. *Chrysost. in epist. ad Galat c. 2.* Et sic clam & astutè ab inimicis, & ab hostili animo pficiscitur.

19 Idem † autem judicium fert *P. Martyr. class. 4 loc. com. c. 16. s. 25.* de explorationibus, quod de proditionibus, inquiens: Ut pugnare licet cum hostibus vi atq; armis, cùm bellum justè susceptum fuerit: ita justum & fas est, explorandi arte seu astutiâ uti. Quare

20 *Hieronymus super Ezechielem c. 27.* dixit, explorationem † rem esse adiaphoram & mediam, quâ benè & malè uti possum⁹. Quod

21 si bellum † iniquum fuerit, exploratio quoque illi subserviens, injusta erit. *Joann. Casus lib. 5. sphær. civit. cap. 9.* Ubi ait: Speculatores & auscultatores in bello sacra Philosophia approbat, eosdemque prudentia Lacedæmoniorum (qui sæpè istiusmodi vulpeculas Athenas miserunt) antiquitùs approbavit. Nihil hic dicam de praxi nostrorum temporum. Justa est, si causam honestam habeat, injusta, si solam speciem & larvam virtutis gerat.

22 Multos † ergò Dux belli habeat oculos, multasque aures, ut *Xenophon* de Cyro affirmat: hoc est, multos habeat homines fidos, qui verè referant ea, quæ passim in exercitu & extra apud hostes fiunt, & audiuntur. *Obrecht. in disput. de administrat. bell.*

thes.

Digitized by Google

thes. 128. De hoc ipso Principem monet *Hippolyt. à Collib. in princ. cap.* 19. In omnia hostium inquiret, mores naturam, ingenium numerum, locum, ut quæ ipsi non secus, ac sua cognita esse debent. & *c.21. fol.111.* summè utile est, imò necessarium, in hostium castra sæpè mittere, cognoscendi & expiscandi causâ.

Ex adverso verò cavendum † est ab hostium legatis, qui sæpenumerò exploratoris munere funguntur. Hujusmodi Legatos Galli aliquando ad Antigonum Macedonum Regem miserunt, qui ipsi venalem pacem offerrent, simulque castra specularentur. Sic & Romani prætextu legationis apparatum Antiochi explorarunt. *Polyb. libr.* 3. Itemque Cyrus misit & instruxit Araspam: & aliquot misit Indos ad explorandum Assyrium. *Xenophon. l.6. Cyroped.* Nec non Julius Cæsar per exploratores conatus Helvetiorum cognovit, ut de se testatur *lib.1. de bell. Gall.* Ipsique, ut ait *Tacit.* nihil ex iis incognitum, consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. 23

Quin hæc † res apud multos tanti fuit momenti, ut ipsi quoque exploratores agere non fint veriti, solertissimorum Ducum magis, quàm prudentis Imperatoris officio functi. Cùm Q. Sertorius adversus Cimbros cum C. Mario in castris esset, mutatâ veste in Cimbrorum castra penetravit, ut illic hostium consilia atque ordines observaret, nimis magno periculo id agere aggressus, quod per alios, vilioris fortunæ homines minori Reipub. periculo assequi potuisset. *Hippol d.l.* Hannibal cum duob. millib. equitum usq; ad portam Capenam, ut urbis situm exploraret, obequitavit *Liv. dec.* 3. *lib.* 6. Africanus artibus suis Carthaginenses in Africa cepit. Nam cùm adversus eum Asdrubal & Syphax, ingentes exercitus duxissent, sub prætextu tractandæ pacis sæpiùs ad Syphacis castra oratores mittendo, pro servis tribunos cum eis delegabat, ut Syphacis castra atq; eorum formam diligentiùs specularetur. *Fulgos. l.7. c.4.* Matthias Rex Ungar. cùm Suabacium oppugnaret, habitu gregarii militis cum accenso & remige tantùm cymbam ascendit, & ut propugnacula propiùs exploraret, sub mœnib. in savo amne lustravit omnia. *Bonfin. l.3. rer.* 24

Ungar. decad. 4. Ac Saladinus, Ægypti Sultanus, cùm anno 1180. accepisset à Christianis populis ingentem exercitum comparari, ut in Orientem adversus eum traiicerent, cum duobus Comitib. & tribus ministris, ut belli apparatum videret, in Græciam, Gallias & Hispanias penetravit: perspectis hostium viribus, fuit ad resistendum audacior. *Fulgos. libr. 9. de dict. & fact. memorabil. cap. 8.*

25 Præterea mandato Dei à † Moyse mittuntur duodecim exploratores ad terram Chanaan cognoscendam. *Num. 13.* Itemq; qui explorarent *Jazer. c. 21. v. 32.*

26 Et Josua † viros duos speculatores ad explorandam undique & cognoscendam urbem Jericho misit, iique à meretrice Rahab servati sunt. *Jos. 2.*

27 Speculatores † verò occidere fas & mos est, inquit *Appianus de bell. punic. & l. 6. §. 4. ff. de re milit.* ea pœna est exploratorum, si deprehendantur, quæ hostibus irrogari solet, cùm in manus inimicorum inciderint, capitis scilicet. Ita *apud A. Hirtium de bell. Hispan. 1.* Speculatores servi prehensi, in crucem sunt sublati, militi verò cervices abscissæ.

28 *Quales mittendi.* Quamobrem, cùm exploratio non sit opus † vulgarium hominum, illi, qui pro bono publico vitæ discrimen explorando subeunt, erunt forti animo præditi. Speculatores enim timidi exercitus clades. *Procop. lib. 1. de Gothor.* erunt fideles: erunt periti. Scribit *Josephus*, exploratores à Josua missos, Geometras fuisse, quòd eos oportuerit benè ac perspicuè terræ Chanaan situm cognoscere. *Jos. 18. Homerus* verò Ulyssem ac Diomedem, Heroas alioquin insignes, exploratores fecit. Et *Jul. Cæsar de bell. Gall. lib. 7.* refert, quod Galli bis magno cum detrimento repulsi, locorum demum peritos adhibuerint: & ab his superiorum castrorum situs, munitionesque cognoverint.

Huc pertinet illa quæstio, quam proponit *Waremundus de Erenberg. lib. 1. meditat. pro fæderib. c. 2. n. 79.* eamque magnam vocat: *An nobiles † officio exploratorum debeant fungi?* Ubi ipse

29 *An Nobiles officio exploratorum fungi debeant.* distinguendum existimat, num sponte ad hostes transfugiant, vel pretio conducti: primo casu judicat, illæsâ existimatione ex-

ploratores eos agere, secundo, non item, & honestatem ex consuetudine desumendam esse *l. ult. §. sed ea de munerib. & honorib.*

Hic etiam tradimus illud politicorum præceptum: *Cautè* † *esse administrandam explorationem*, ne dum hosti nocere cupimus, nobis ipsis noceamus, quando nempe exploratores nostri capti, & tormentis subjecti, coguntur secreta nostra prodere. 30 *Cautè administranda exploratio.*

Quomodo verò exploratores deprehendere, † & facilè circumvenire liceat, tradit *Polian. lib. 1.* Pompiscus, inquit, quò citiùs exploratores hostium caperentur, paucas vias habebat, ad quas in excelso loco castra ponebant, iisque qui prædatum exirent, præcipiebat, ut viâ tritâ existerent. Exploratores has vias caventes, quasi perspicuas, celeriter capiebantur. Chares in exercitu suspicatus exploratores versari, præsidium foris collocavit, mandavitque, ut unusquisque proximum apprehenderet: neque ante dimitteret, quàm dixisset, quisnam esset, & cujus ordinis. Ita factum est, ut caperentur exploratores, cùm neque ordinem, neque manipulum, neque signum indicare possent. *Polian. lib. 3.* Theognis exploratores in castris subodoratus, extra vallum præsidio constituto, mandavit, ut quilibet in suis armis permaneret. Cumque divisi ac distributi essent, facilè exploratores deprehendit. *idem Polian. eod. lib. 3. Theodeor. Zvvinger. in theatr. vit. hum. vol. 7. lib. 3.* 31 *Exploratores quomodo deprehendendi.*

Modum † examinandi captivos, ut secreta pandant, describit *Ranzov. lib. 2. c. 4.* 32 *Modus examinandi remissivè.*

Fit † autem exploratio non solùm per homines, sed & occultas epistolas: ubi itidem summâ prudentiâ opus est. Varia hujus rei apud veteres extant vestigia. Andronicus tabelliorum vestibus insuit literas. *Gregoras lib. 9.* Siculi bacillis usi. *Nic. Olaus in Attila c. 18.* Romani columbis. *Lips. 2. sat. 6.* Julius Cæsar lacte tithymali. *Plin. lib. 26. c. 8.* & mutatione situs literarum. *Gell. l. 17. c. 9.* Histriæus Servo raso. *Herod. lib. 5.* Harpagus exenterato lepore, cui indidit libellum, in quo, quæ libuit, conscripserat, resutoque ventre, leporem unà cum retibus tradidit venatori cuidam suorum domesticorum fidelissimo, præcipiensque suo ore cùm daret leporem, Cyro Regi Persarum diceret, ut ipse suis 33 *Exploratio quomodo fiat?*

 mani-

Digitized by Google

manibus aperiret, idque sine arbitris faceret, hominem dimisit in Persidem. Hæc executo nuntio, Cyrus acceptum leporem aperuit, inventumque libellum, qui in eo inerat, legit. *Herod. lib. 1. Polian. lib. 7.* de Lacedæmoniis videatur *Gell. dict. l. & Athenæ. lib. 10. cap. 17.* Quâ verò ratione utendum, ne exploratores in castris versentur, enarrat *Castellan. libr. 2. de offic. reg. cap. 54.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE PRÆLII ANTECEDENtibus, Actibus, & Consequentibus.

1 PRælium † seu pugna cum hoste est, quâ de summa rerum cum illo confligitur.

2 *Invocatio nominis divini.* Id verò sine invocatione † numinis divini fieri non debet: Sed in ipso omnis spes & fiducia collocanda: auxilium vires successus & victoria ab eo petenda, exemplo pii Regis Ezechiæ, *2. Reg. 19. v. 15. & seqq.* Josaphati. *2 Paralip. 20. v. 3. & seqq.* Itemque Asæ, qui in hunc modum DEUM invocavit: Domine non est apud te ulla difficultas, utrùm in paucis auxilieris, aut in pluribus. Adjuva nos Domine DEUS noster: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine DEUS noster tu es, non prævaleat contra te homo *2 Paral. 14. v. 11.* Quæ vis illarum precum? Exterruit Dominus Æthiopes coram Asa & Juda: fugerunt Æthiopes. Et persecutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat, usque Gerara, & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante, ut indicat *versic. 12. cum seq. & cap. 16. vers. 9.* inquit Hanani Propheta: oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Quod considerandum fanaticis hominibus, qui tantùm in ferocia & armis spem ac fiduciam suam collocant, ignorantes, unde victoria & prosperi successus in bello

veniant. Sic etiam *lib. 1. Maccab. cap 3. verſ. 18. & 19.* inquit Judas Maccabæus: Facilè eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.

Iſraëlitæ ſanè hoſtibus viribus & numero ſæpiſſimè fuêre inferiores, & palmam nihilominus auſpiciis Domini retulerunt. Non certè adſcribendum eſt aut prudentiæ, aut robori Abrahami, quòd trecentis octodecim ſervis quinque ſubjugavit Reges. *Geneſ. 14.* ſed Domino. Non Gedeon innumerabiles Madianitarum copias trecentis ſuorum fundere potuiſſet, abſque auxilio domini. *Judic. 7.* Non Jonathas cum armigero Philiſtæorum exercitum profligaſſet. *1. Sam. 14.* nec David Goliathum, niſi adjutus divinâ clementiâ è medio tuliſſet. *1. Sam. 17.* Unde David *d. c 17. v. 45.* ad Philiſtæum ait: Tu venis ad me cum gladio, & haſta & clypeo: Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël. Ezechias Rex Juda ad ſuos ait: Viriliter agite, & confortamini, nolite timere, nec paveatis Regem Aſſyriorum, & univerſam multitudinem, quæ eſt cum eo: multo enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. Cum illo enim eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus DEUS noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis. *2. Paral. 32. v. 7. & 8. & c. 25. v. 8.* Dei eſt adjuvare, & in fugam convertere. In eundem ſenſum eſt. *c. 20. Deut. v. 1. 2. 3. & 4.* Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem (victoriam in Germanico) tribuit. Hi enim in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini DEI noſtri invocabimus. *Pſ. 20. v. 8.* nec non *Pſ 60. v. 14. & Pſal. 107. v. 14.* In DEO faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Dominus conterit bella. *Judith. 16. v. 3.* Cujus rei luculentum exemplum in exercitu Aſſyriaco, ſub Duce Holoferne. *Judith. 13.*

Ex hiſtoriis † profanis unum aut alterum exemplum impetratæ victoriæ à DEO referre lubet. Marcus Antonius Philoſ. Imp. Rom. contra Marcomannos pugnans, victor evaſit, cùm victoriam exoraſſet à Domino fulminatrix illa legio. *Dio Caſſius.*

Quid

Quid de Theodosio dicam? cùm adversus Eugenium & Arbogastum prælium suscipere vellet, & reliqui corpora somno & cibo reficerent: Imperator ardentissimis precibus universitatis hujus Rectorem compellavit. Quis earum effectus? Ubi primùm signis collatis cum hoste conseruit, excitati repentè turbines vehementissimi adversas copias hostium perverterunt, & tela ab illis in Theodosii exercitum conjecta, maximo impetu repulerunt. Cujus insignis victoriæ mentionem facit *Claudianus*, dum ita ad Theodosium scribit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æoli armatas hyemes, cui militat æther:
Et conjurati veniunt ad prælia venti.

5 Hodiè, † proh dolor, in principio belli DEUM non seriò invocari, detestanda militum vita, & exitus funestus satis demonstrant. Freti enim vel nostrâ potentiâ, vel aliorum fœderibus & auxiliis, Dei opem vel segniter, vel planè non imploramus. *Obrecht. disp. prior. de bell. th. 411. 412.* unde *th. 413.* fieri dicit, quòd *August. de verb. Apostoli* dicit: ô homo ideò non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui præsumit de viribus suis antequam pugnat, ipse prosternitur.

6 *Præparatio ad mortem.* Ante prælium quoque Dux & exercitus se rectè † parent ad mortem, & præcaveatur inprimis terror panicus, qui militem in præliis invadere solet. *Keckerman. lib. 1. syst. polit. cap. 30. fol. 493.*

7 *Exhortatio militum.* Sed nec sine militum † exhortatione alea belli est subeunda. Sic Joabus ad Abisaum: Esto, inquit, vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & civitate DEI nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. *2. Sam. 10. 1. 12.* similiter Judas Maccabæus suos ad constantiam hortatur. *2. Maccab. 8 v. 16. & seqq.* Refert *Æneas Sylvius lib. 3. comment. in Panormitan.* Henricum quondam Anglorum Regem ab exercitu Gallorum circumventum, omnia quæ in Gallia habebat, Regi Gallo tradere voluisse, si sibi suisque abitus tantummodò permitteretur. Quòd cùm nullâ ratione obtinere se posse videret, Centurionib. noctu con-

convocatis, eos ita allocutus est: *Neq; fugere commilitones, neq; ex hostibus incolumitatem consequi precibus nostris valemus: sola nos arma adjuvare possunt. Non est, quod numerosum exercitum formidetis. DEUS justa causa aderit: is devotè jam orandus, & die crastinâ strenuè pugnandum.* His verbis dimissâ concione, cùm nox in diem abire inciperet, commisso prælio, octo Anglorum millia, incredibile auditu, sexaginta hostium millia fudère: ita ut eum potissimùm diem Gallorum opes fregisse scribant. Referuntur & hæc Catonis Majoris verba: *Inter nos Commilitones & castra nostra, medii hostes sunt: à tergo, hostium ager est, quod pulcherrimum, idem utilissimum est: in virtute spem positam habere, & in prælio potiùs, quàm in fuga mortem oppetere.*

—— —— moriamur, & in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.

Ejusmodi admonitio est valdè utilis & necessaria. Nam desperantibus † crescit animus adhortatione Ducis, & si nil ipse timere videatur, crescit animus, si ex insidiis vel occasione aliquid fortiter fecerit. *Veget. l.3. c.9.* Tunc inimicorum ignavia vel error ostendendus est, vel si vel anteà à nobis superati sunt, commemorandum. Animis quippe hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident, cùm ad conflictum venerint. *Veget. l.3. c.12.* 8

Apud † Romanos olim ista allocutio fiebat in Tribunali, quod è cespite subitò erigebant. Unde *Lucan. lib.5. de Cæs.* 9

—— —— stetit aggere fulti
Cespitis intrepidus vultu.

Hìc non est silentio prætereundum consilium nonnullorum, suadentium, ut antequam prælium ineatur, hostis vires † velitationibus, seu levibus præliis tententur. *Amirat. lib.19. discurs.1. in Tacit. Machiavel. lib.3. com. cap.37.* Animosos enim reddunt milites conflictus & velitationes cum hoste, aliaque quibus ejus vires periclitantur, & mores ediscunt. *Boter. libr.9. polit. illustr. c.19.* Ubi altè memoriæ infigendam esse scribit solertiam & industriam Marii. Cùm enim Romani aliquoties adversus Cim- 10

 bros,

bros, gentem efferam & ferocem infeliciter dimicassent, atq; ob id animis adeò percellerentur, ut non nisi cum Gigantibus negotium sibi esse crederent: Marius sinistram perniciosissimamq; hanc opinionē animis ipsorum exempturus, & edocturus Cimbros non esse alios homines, atque ipsi essent, aliquot dies velitando cum hoste, & quasi ludicra tractando insumpsit, donec Roman⁹ barbaræ voci & clamori assuetus, gestusq; Cimbros ferre didicisset. Quo ipso obtinuit Marius, ut metu illis adempto, alacriùs atque feliciùs adversus Cimbros dimicarent. Et *c. 20. idem Boter.* testatur, Turcas assiduis velitationibus sæpè à nostris fuisse fractos.

Hæc sunt præparatoria pugnæ, perveniamus ad ipsum actum.

11 *Tibicines & Cornices.* Quando jam pugnatur, ad exercitandos animos Tibicines † Cornicines pariter canunt, vel, ut ait *Lucan. lib. 1.*

Auditur stridor lituum clangorq; tubarum:

Pulsantur tympana: quorum usus Romanis ignotus. *Lips. lib. 4. de milit. Roman. dialog. 10.*

12 *Clamor militum num expediat.* Id in usu multorum populorum positum quondam fuit, & adhuc apud Turcas receptum, ut in actibus & congressibus præliorum inconditos quosdam † clamores, tùm in hostium terrorem, tùm in suorum incitamentum excitent.

Syri in primo hostium congressu solem venerati, immodicis vocibus & cantu exultantes, cursu quàm citissimo in hostes irruerunt. *Alexand. ab Alex. lib. 4. genial. dier. c. 7.*

Æthiopes belligerantes, cantu & clamorib. dissonis tumultuari, & sui moris tripudiis exultare sunt soliti. *Idem ibid.*

Indi Occidentales continuò bella inter se gerentes, quàm primùm hostes conspexêre, in tantos tamque editos ululatus prorumpunt, ut etiā tonitru tùm vix exaudiri possit. Accedentes verò propiùs, clamores ingeminant, cornibus increpant, fistulis deniq; canunt, minas alii in alios intentant, ossaque mortuorum hostium ostentant. *Boter. lib. 9. de polit. illustr. c. 19. fol. 682.*

De Parthis *Plutarch. in vit. M. Crassi* ita refert. Et primùm Romanis appropinquantes, pugnandi signum ab Imperatore, accé-

acceperunt: horrendo clamore universos campos complevêre: neq; enim cornib. aut tubis sese ad pugnam animare Parthi consueverunt: sed ingentia tympana & ferrea quædam tintinnabula quatientes: tùm clamores edentes horrisonos audientium animos turbare soliti sunt.

De clamore Persarum & Macedonum testatur *Q. Curtius l.3. de gest. Alex. M.* inquiens: Jam in conspectu, sed extra teli jacturam, utraq; acies erat, cùm priores Persæ inconditum & trucem sustulêre clamorem: redditur & à Macedonibus major.

Romani cùm ad hostem irent, in conspectu longinquo distantem, gradu lento & silentio utebantur. At cùm propè ad manus ventum esset, ardentissimum clamorē tollebant, ut & impetu hostis propulsaretur, & clamore terreretur. *Gell. lib. 1. Noct. Attic. c. 11. Scipio Amiratus lib. 14. in Tacit. disc. 5. Appian de bell. punic.* ubi refert, Carthaginenses nocturno clamore Rom. territos, cæsos & fusos fuisse in Hispania. Imò ex clamore illo de eventu pugnæ judicarunt, *teste Liv. l 4.* ubi de conflictu Rom. & Volscorum in hæc verba scribit: clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset, excitatior, crebriorq; ab hostę sublatus: ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpè iteratus prodidit pavorem animorum.

De antiquis Germanis ita refert *Cornel. Tacit. de morib. Germ.* Ituri in prælium altá voce canunt, sunt illis hæc quoq; carmina, quorum relatu, quem Barditum (Baritum *Lips.* legit: Blaritum *Altbamer. in com.* mavult) vocant, accendunt animos, futureq; pugnę fortunam ipso cantu augurantur. Terrent n. trepidantvè, prout sonuit acies. Nec tàm vocis ille, quàm virtutis concent⁹ videtur.

Gallis ineuntib. prælium, cantus, ululatus & tripudia, & quatientibus scuta, in patrium quendam morem, horrendum, armorum crepitum in usu fuisse testatur *Liv. lib. 38.* Et *Jul. Cæsar. libr. 7. com. bell. Gall. fol. 261.* Multum, inquit, ad terrendos nostros valuit clamor Gallorum, qui post tergum pugnantibus extitit. Ubi tamen *Polyd. Vergil. l. 23. hist. Anglic. in vit. Henrici VI. fol. 463.* in perniciem ipsorum id fieri ita scribit: Ea est natura Francorum, ut diutiùs præliando, laborē nequeant tolerare, quòd terroris incutiendi causâ, plus ab initio viriū animosè effundant, q̄ dein in

certamine retinent. Unde *Gell. d. c. 11. fol. 27.* referens Lacedæmones ad bellum processisse, non ad tubæ, sed tibiæ sonum, hanc ejus rei assignat rationem, quòd nihil adeò in congrediendis hostibus, atque in principiis præliorum ad salutem virtutemque aptiùs fuerint rati, quàm si permulti sonis mitioribus, non immodicè ferocirent.

Sic etiam de Lusitanis scribit *Diodor. Sicul. lib. 5.* In bellis ad numerum incedunt, & carmina canunt, cùm aggrediuntur hostem.

Sed & Israëlitæ cùm occupati essent in oppugnanda urbe Jericho, ex mandato Dei vociferati sunt, & tubis clanxêre. *Jos. 6. vers. 20.* Nec non Sennacherib Rex Assyriorum clamore magno contra populum, qui sedebat in muris Jerusalem, personuit, ut terreret eos, & caperet civitatem. *2. Paralip. 32. v. 18.*

De Turcis refert *Camerar. part. 1. hor. succisiv. c. 77. à pr.* eos non solùm in præliis uti tympanis aliisque clangoribus ad animandos milites inventis, quos suâ linguâ Neubet, vocant, verùm etiam horribili & truci ululatu, utpote Alla egbir: Tegbir: Alla, Alla, allahu Brebreberi. Nec non Tzaccatade, heia, hui, item, Gaur, gaur, vur, vur: vel etiam, dabra, dabrahu, ingeminates, præsertim in velitationibus, adoriri solere, ita ut insuetis facilè terrorem incutiant. De Turcis Constantinopolin occupantibus ita *Leonhardus Chiensis:* Buccinæ resonant, tympana perstrepunt, altissimè Turcæ clamant: illalla, illalla, Mahomet, Russolalla: DEUS est & semper erit, & Mahometes est servus ejus.

Denique addimus testimonium *Catonis Senioris*, qui quando docuit juvenes intrepidè pugnare, sæpenumero dicere est solitus: verba plus quàm gladium, & voces plus quàm manum hostes in fugam vertere, attonitosque reddere. *Camerar. d. l.* eo q. e t. abit verba *Julii Cæsaris in comment.* Et quædam animi incitatio, atque alacritas naturalis innata omnibus, quæ pugnæ studio incenditur, hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent.

Quamvis autem terrores militum magnam sæpè habent vim

vim in hostes, illos † tamen, ut inanes possunt contemnere, qui 13
habent experientiam militarem, hostemque vicissim terrere ac ferire. *Arist. lib. 3. Ethic. c. 8.* Unde mos ille Turcicus nonnullis audacioribus inanis esse videtur, existimantque, id quod etiam proverbio innui videtur, canes timidiusculos plus latrare, quàm mordere. Qua de causa etiam Rex quidam Mauritianus instructâ acie cum Lusitanis pugnaturus his verbis compellat suos milites. Non clamoribus, sed viribus est agendum. Non sint hi homines, qui vocibus exterreri soleant: In virtute, non in ululatu est spes victoriæ collocanda. *Boter. d. c. 19. fol. 682.*

Sanè in bello experientia † ad omnes actiones reddit homi- 14
nes animosiores: qui verò nunquam circa actionem aliquam bellicam versati sunt, timidi admodum illam suscipiunt & aggrediuntur. Unde *Cic. l. 2. Tuscul. quæst.* inexercitatum militem comparat mulieri, & *Arist. d. l.* usu armorum valentem armato, itemque athletæ: illo destitutum, inermi & plebeio comparat. Quare illi, qui experientiâ carent, facilè possunt terreri, ut animum statim despondeant, & sibi jam jàm pereundum existiment.

In actu prælii consilium interdum capiendum ex tempore: quippe minimè omnium bellum ex decretis procedit, sed ipsum ex se multa invenit, & ut res sunt natæ. *Thucyd l. 1.* Plurimum enim in prælis potest celeritas: arripienda occasio est, quæ in bello solet amplùs juvare, quàm virtus. *Veget. l. 3. c. 26.* qua de re nos diximus *c. 11.* de requisitis ducum.

Et sic hactenus delineavimus, quæ sit & esse debeat prudentia bellica, tàm ante bellum, quàm in bello: brevibus nunc perstringamus, qualis requiratur post bellum seu pugnam, vel quæ ipsam comitetur.

Consequentia † verò prælii considerantur vel in genere vel 15
in specie. 16

In genere † considerata hæc sunt: 17

1. A prælio vulneratorum † militum cura est habenda. *Ranzov. l. 3. com: bell. c. 14.* *Vulneratorum cura habenda.*

2. Cadavera † cæsorum militum, præsertim officiariorum 18
eminentium, terræ mandanda sunt. Ex insepultis enim cada- *Cadavera cæsorum sepelienda.*

 veribus

veribus magna morborum seges pullulat. *Schonborn l.6.cap.25* & inimicorum corpora propter reverentiam humani corporis sepelienda monent alii.

19 Imò apud † Hebræos lege fuit cautum, ne insepultum hostem relinquerent. *Chassanæus in catalogo gloriæ mundi, p.2.consid.5.* Hinc est illa querela Asaphi deplorantis calamitates Hebreæ gentis, *Psal.79.v.2.& 3.* posuerunt cadavera servorum Dei escas volatilib. cœli, carnes sanctorum ejus bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret.

Annibal Romanorum hostis crudelissimus Æmylium apud Cannas trucidatum honorificè sepelire curavit, quod refert *Covarr. lib.2.var.resol.c.1.n.10.* Nec passus est honore sepulturæ privari Marcelli egregii Ducis corpus. *Plutarch. in Annib.*

Cæsar indolem Cleopatræ admiratus sepeliri cum Antonio splendidè regioque ornatu jussit. *Plutarch. in vit. Antonii.*

Alexander M. Darii corpus sepelivit. *Valer. Max. lib.5.*

Athenienses Corinthios terræ mandarunt. *Thucyd. lib.4.*

Quæ apud saniores gentiles cura & solicitudo fuerit in sepeliendis cadaveribus occisorum hostium, plurib. exemplis demonstrat *Camerar. cent.2 meditat.c.64.& cent.3.c.99.*

20 Consequentia † belli in specie considerata, sunt vel læta, vel tristia.

21 Lætum † consequens rursus vel est respectu alterutrius partis, vel utriusque.

22 Respectu alterutrius † partis est tùm profligatio hostis, tùm victoria.

23 *Hosti fugienti exitus est relinquendus* Hosti profligato † & fugienti aliquis de industria exitus & locus est relinquendus, ut elabi possit. *Tholoz.l.10.de Rep c.11. Altl[...]s. in pol.c.29 fol.407.edit.prior.& c.30 fol.430.in fin.& Castell[...]n.l.2.de offic.Reg.c.28.* Fusi hostes non nimis longè insequendi sunt, nec pertinaciter iis instandum. Clausis enim licet exiguis numero, & infirmis viribus, ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido. *Curt.lib.5.* ignaviam necessitas acuit, & sæpè desperatio spei causa est. *idem ibid.* Unde *Poeta* inquit:

Sæpè

Sæpè etiam victis redit in præcordia virtus.

Et *Virgil. 2. Æn.*

Una salus victis nullam sperare salutem.

Itemque *Sil. Ital. lib. 1.*

Et fractis rebus violentior ultima virtus.

Acerrima † namque virtus est, quam ultima necessitas extundit. *Senec. 1. de Clem. c. 2.* Vel, ut *Portius Latro in declam.* gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis, quàm maximè mortiferi morsus esse solent morientium bestiarum. *Flor. lib. 2. c. 15.* Sic *Justin. l. 2.* de Lacedæmoniis inquit: Nihil erat difficilè persuadere persuasis mori: statim arma capiunt, & sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpuunt &c. In hoc etiam Vastonem Fuxæum peccasse scribit *Jovius*. Nam cùm ad Ravennam hostium copias fudisset, reliquias Hispanorum in cuneum coactas, quæ fugâ sibi salutem quærebant, persecutus, vitam primùm, nec multò post cætera, clarissimis victoriis adeptus erat, amisit. 24

Quod si ergò Dux in pugna suos vincere videat, eos cohibebit, ne nimis effundantur. Hoc cave, inquit *Lips. lib. 5. pol. c. 18.* & ad spem semper aliquid relinque justa, terre: sed ubi satis terrueris, parcendo rursus irritamenta pacis ostenta.

Præcidendæ † tamen & imminuendæ hosti sunt vires, ne bellum ampliùs movere possit. *Althus. d. fol. 430. & Keckerman. lib. 1. syst. polit. c. 30. fol. 503.* 25

A præda † etiam milites arcendi, donec plenè vicerint. *Ordinatio Imperii militaris, in Comitiis Spirensibus facta anno 70. artic. 20.* Auff die teutsche Knecht. & *Vincent. Castellan. lib. 2. de offic. Regis. cap. 56.* Ubi prædandi causâ non facilè in hostem incurrendum esse monet. Nam sæpè obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste, spolia consectandi. *Tacit. 4. hist. & l. 17. annal.* Sarmatæ, ait, cupidine prædę graves, onere sarcinarum veluti vincti cœdebantur. Notatu etiam dignissima est vox illa apud Saxonem Grammaticum *de reb. Danic.* Ne fatigetis milites opum onere, manus prælio destinatas: ac scitote triumphum ante carpendum, quàm censum. Proinde auro spreto, auri 26 *A præda milites arcendi, donec plenè vicerint.*

domi-

dominos insequamini: nec æris, sed victoriæ fulgorem miremini: meminisseque vos decet, satiùs trophæum pensare, quàm quæstum: prioremque esse metallo victoriam. Confer *Camerar. cent. 3. medit. c. 29.* Ubi memorabilibus exemplis demonstrat, cupiditate prædæ & opum propemodum victores sæpiùs magna clade esse victos.

27 *Partâ aliquâ victoriâ res militaris negligentiùs non tractanda.*

Sed & illud animadvertendum, partâ aliquâ victoriâ milites rerum † abundantiâ, voluptatis & luxuriæ oceano se immergant, remque militarem negligentiùs inposterum tractent.

Victoria † DEO præcipuè adscribenda est eique solennes gratiæ in publico persolvendæ. *Psal. 143. Judic. 5.* ubi Debora & Barak canticum DEO cantant pro parta victoria. & *1. Sam. 18. vers. 6. 7.* Chorus fœmineus de urbibus Israël tripudiat. *Judith. c. 16.* Juditha laudes DEO pandit. *2. Maccab. 8. v. 27.* Judæi profligatis hostibus agunt gratias Jehovæ. Sic etiam Constantinus pro parta victoria, voluit aulicos & milites solennibus precibus DEO gratias agere, ut scribit *Eusebius in vita Constantin. lib. 6.*

28 *Victoria maximè DEO adscribēda, eiq; gratiæ persolvendæ.*

29 *Læta indicia victoriæ.*

Post victoriam concessa † etiam sunt læta indicia victori, ut est triumphus, ignes succensi, solennitates publicæ, gratulationes, & victoriæ significationes ad exteros Principes. *Keckerman. fol. 514.*

30 *Victoria ad summum magistratū referenda.*

Prudenter † autem & ex re faciet Dux belli, si victoriam & laudem rei à se præclarè gestæ ad summum magistratum referat, ad invidiam à se removendam, exemplo Joabi, qui in oppugnatione urbis Rabbath Davidem Regem in castra accersit, ut illi, non sibi, tàm egregiæ victoriæ laus tribueretur, neve Regi ex ea re invisus fieret. *2. Sam. 12. v. 27. & 28.* Itemque Germanici, Claudii Drusii filii, qui reportatâ insigni de Germanis victoriâ, congestis armis trophæum erexit, superbo cum titulo: *Exercitum Tiberii Cæsaris ea monimenta Marti & Jovi, & Augusto sacravisse:* de se verò nihil addidit, seu metu invidiæ, sive conscientiam facti satis esse ratus, *scribente Tacito lib. 4. annal.* His addo exemplum Agrippæ, qui cùm rei militaris esset scientissimus, omnium tamen laborum suorum fructum gloriamq; Principi deferebat:

quâ

quâ re benevolentiam Augusti maximè sibi paravit, ut refert *Dio Cassius lib. 54. hist. Roman.* Contrà verò Silius, cùm septem annos in Germania exercitui præfuisset, tandem odio fuit habitus à Tiberio non aliam ob causam, quam quòd immodicè jactaverat, suâ unius auctoritate legiones retentas non descivisse, quibus si cupido novandi fuisset, non mansurum Tiberio imperium. Quibus verbis cùm destrui fortunã suam Cæsar putaret, Silii aucupatoribus aurem præbuit, eoque res devenit, ut is imminentem damnationem voluntario fine præverteret. *Tacit. d. libr. 4.*

Cæterùm victoriâ † cautè, leniter & modestè est utendum. *Lips. lib. 5. polit. c. 18.* 31 *Victoria quomodo utendum.*

Cautè: † ut nimirum eam persequaris, & non tantùm scias vincere, sed etiam victoriâ utiliter & rectè uti. Quamvis enim sit magni momenti, res amplas perficere, & victoriam ab hostibus pugnando referre, multò tamen majorem cautionem & peritiam requirit, ut quæ præclarè gesta sunt, rectè & comodè usurpentur. Hinc fit, ut plures sint, qui prærogativis potiantur, quàm qui prærogativis utantur. *Polyb. lib. 10.* Sicut in Hannibalem dicterium illud fuit jactum: vincere scit Hannibal, victoriâ uti nescit. Vincere verò & victoriâ uti novit Dux sapiens. *Idem Polyb. lib. 5.* 32

Leniter † quia nimis cruenta ea & luctuosa. *Procop. lib. 1. de bell. Pers. c. 56.* suaptè naturâ insolens & superba, nimisque elata. *Tullius pro Marc.* quę rebus secundis etiam egregios Duces inflare solet. *Tac. 2. hist.* ut magnam felicitatem concoquere non possint, dicente *Pindaro.* Imò insolentiam parit clade pestilentiorem, omnibus cousentientibus. Unde *Poeta:* 33

Ipsaq; ni certas habeat victoria leges,
Quam bona sæpè fuit, tàm solet esse nocens.

Quare benignitate † atque clementiâ hostem vincere, quàm armis præstat *Polyb. d. l. 5.* & Princeps nihil agere debet per furorem, aut cœcum impetum, sed animum quàm maximè habere in potestate, nimirum benignum ac placidum civilem atque amabilem, benevolentiam comiter omnibus exhibere: hæc enim mutuum conciliat amorem: fastus verò invidiam ac livorem. 34

Adhæc: Exercitus collecti scopus est, victoriæ pax, quæ belli gerendi finis. *Tull. Philipp. 7.* Et *Sylv. in Epistol.* Belli finis non rapina, vel gloria, sed quies esse debet: scilicet ut victis parcatur, iique in officio contineantur. *Hyppolyt. a Collib. in princ. cap. 23.* quod latiùs persequemur *capit. seq.*

35 *Modestè:* † Quia felicitas facilè superbiam occultaque alia vitia detegit. *Tacit. 2. histor.* & fortuna vitrea est, tunc cùm splendet, frangitur. Habet enim has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur. *Plin. in Panegyr.*

Vicinis suspicio adimenda.

36 Vicinis † etiam suspicio & metus maturè est adimendus de vi illis non inferenda, ne existiment, victorem in ipsorum fines irrupturum, atque adeò in ipsum conspirent & sese arment. *Althus. in polit. cap 30. fol. 430. edit. prior. vid. Jos. cap. 9.*
37 *vers. 1. 2.*

Hostis victus non nimiùm lugendus.

Sed & hostis victi interitus † non nimium lugendus. *Althus. ibid. vid 2. Sam 19. v. 6. 7. 8.*

Ex utraque † parte lætior eventus belli est pacificatio.

Pacificatio.

38 Bella quamvis magna, quamvis diuturna, pace † finienda
39 sunt, consensu & authoritate superioris inita: cujus & nomen dulce est, res verò ipsa salutaris: quæque tàm victori, quàm victo ex æquo utilis & optanda; maximè verò victo *Lips. lib. 5. polit. c. 19.* ita Theodosius Imp. ut Gothi tranquilli essent, pacem cum eis fecit, & eorum auxiliis usus est contra Hunnos & Persas. Cùm Persas duobus magnis prœliis vicisset, tamen de pace finienda victor legatos ad eos misit *Melancht. l. 3. Chron. in vit. Theodos.* Etiamsi enim potentia tua magna esse videatur, tamen ad æquam pacificationem facile flecti & moveri debes. *Tholozan. l. 11. de Repub. c. 13.*

Finiuntur verò pace vel omninò & in totum, vel ad certum tempus, quæ interruptio belli induciarum nomine venit.

Pax qualis esse debeat.

40 Pax † verò sit honesta, simplex & candida.

Honesta † est, quæ aliquâ conditione tolerabili finit bellum,
41 ut pax ea non sit ignominiosa, turpis, vel servilis. Mors enim potior illâ pace: & cùm dignitate potiùs cadendum, quam cum igno-

ignominiâ serviendum· *Lipſ. d.l.* ita & *Demoſthenes* bellum gloriosum pace turpi optabilius eſſe ſenſit, vide quę ſcripſimus ſ. 2.

Simplex, † *pura, nivea, tuta, tuta, ſecura, & vere pax* eſt, quæ candidè & bonâ fide contrahitur ſine fuco & bello involuto. Sæpè enim ob potentium interna mala, dilata magis prælia, quàm datam pacem intelligimus, ut ait *Saluſtius*. Iſtâ pace fictâ, fucatâ & ſuſpectâ tutius eſt bellum apertum. *Lipſ.* 42

Quod ſi ergò pax videatur † ſuſpecta, arma tenenda ſunt, nec deponenda, aut dimittenda noſtra auxilia quamdiu metuitur hoſtis *Tholozan. dict. l.* Conſiderandum nimirum eſt, ne accidat nobis, quod inquit *Xenophon in Epiphanom. ſuæ hiſtor. de bell. Græciæ:* cùm exiſtimaretur eſſe debellatum, plus confuſionum in Græcia fuit, quàm ante bellum. Vetus itaque proverbium te non fallet: ſub clypeo meliùs ſuccedit pacis negotium, quod refert *Lipſ. d.l.* Arma enim tenenti omnia dat, qui juſta negat. *Lucan. lib. 1.* 43

Tempus † tractandi de pace commodiſſimum putatur, quando uterque hoſtis ſibi confidit, & pares ambo videntur: & nondum inter ſeſe fecerunt periculum virium. Præſtat itaque maturè bellum diſſolvere & componere, etiam dum adhuc ſpes aliqua gerendi & evadendi ſupereſt, quàm pertinaciter in ſententia odioque perſeverare, noſtris rebus in dies magis magisque peſſum euntibus, ſi æqua poſſunt ab hoſte impetrari. At rebus inclinatis, magis eſt, ut te inclines: & quavis tutâ conditione pacem accipere malis, quàm viribus cum valentiore certare. *Cic. 5. epiſt. 21.* Gubernator ubi naufragium timet, jacturâ, quicquid ſanari poteſt, redimet. *Curt. lib. 5.* 44 *Tempus pacificationis.*

Victores † verò vel ſuperiores in bello pacem dant, quæ ipſis decora & glorioſa, præſertim quando victoriam propè in manibus habent. 45

Provocati † tamen ad pacem eam concedent argumento triplici: 1. Quia id decorum. 2. Quia utile. 3. Quia tutum. 46

Decorum: † ut ſciant omnes, te & ſuſcipere juſtè bella, & finire. *Liv. lib. 30.* victoribus quidem victoria pulchra: pacem tamen 47

contemnentes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam. *D. Bernhard. in epist.*

48 *Utile* † Nam pax utilis ad finem molestiarum & securitatem. Et fortuna belli artem victos quoque docet. *Curt. l. 3.*

49 *Tutum* † Quamvis enim vela victori tumeant secundo vento, potest tamen procella involvi, & everti: quare hunc portum capesset. *Lips. apr. d. c. 20.* & melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria. Illa in tua, hæc Deorum manu est. *Liv. l. 30.*

50 Dabit ergò pacem, sed † mitem. Nam bellorum egregii fines, quoties ignoscendo transigitur quâ re populus Romanus sibi famam & gloriam comparavit, quòd quantâ pervicaciâ in hostem, tantâ beneficentiâ adversus supplices uteretur. *Tacit. 12. annal.* Et talis pax hoc modo & causâ facta firmior est & diuturnior. Est enim verisoquium, inquit *Lips.* ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii sunt pacati, neque eo loco ubi servitutem esse velint, fidem sperandam esse. Si verò duram acerbamque concedet pacem, non credet, ullum populum, aut hominem in ea conditione, cujus eam pœniteat, diutiùs necesse sit mansurum. Vivet enim semper in pectoribus eorum, quicquid istuc præsens necessitas injunxerit. ex *Liv.*

Deniq; monet, pacem in eos esse debere, qui ex animo eam volunt: hos verò, qui subdolosè aut insidiosè agunt, esse astringendos, cùm frequentiùs conventionum pacisque simulatio credulis, quàm arma nocuerint.

Pax semel sancita firmiter & sanctè debet servari, neq; enim ullum medium negligi, quod possit ad istam pacem conservandam conducere. *Bod. l. 5. c. 6. Tholozan. lib. 11. c. 14. Georg. Richter. axiom. polit. 275.*

51 *Datio obsidum pro firmanda pace, & servandis induciis.* Ad pacem † firmandam, itemque pro servandis induciis dari solent obsides. *Gail. lib. 2. de pac. public. c. 3. n. 10.* Apud Romanos, si desciscerent à fide, qui dederant, capite luebant obsides. Sic cùm Volsci fidem fefellissent, Romani trecentos Volscorum obsides securi percusserunt. *Dionys. Halicarnass. lib. 6. antiq. Rom.* & Tarentinorum obsides fugientes retracti ac virgis diu cæsi de Tarpeio dejecti sunt. *Liv. lib. 25.*

Quod

52 Quod si Princeps † cum subditis pacem, vel etiam inducias sit pactus, seque jurisjurandi religione peregrinis quibusdam obligaverit Principibus (qui tali casu utiliter interveniunt, & adhibentur) subditos se minimè violaturum: ruptâ fide, peregrini Principes ultionem jure reposcent. *Bod. l.5. de Repub. c.6. n.6 5. Besold. class 2. disp. pol.7. th.44.*

Princeps cũ subditis paciscens, peregrinis Principibus se obligare potest.

Judicant verò Politici, in † tractatione & colloquio de pacificatione instituto non esse consultum, ipsos Principes interesse, maximè si linguâ & moribus differant, æqualique potentiâ sint præditi. *Richter. axiom. polit. 432. Commin. lib. 3. com.* exemplis hoc confirmans. 53

Principes non intersunt pacificationi.

Quod si tamen illis ita placuerit, armatos † esse convenit Duces de pacificatione tractantes. *Bod. d. c.6. n.501. Tholozan. lib 4. c.10. fol.225. Machiavel. l.3. fol.369.* 54

Nisi armati.

Prudentibus † verò atque fidis hominibus pacificationis tractatio est committenda. *Commin. l.1.* 55

Hæc † enim magnum ac circumspectum requirit judicium, quod Meterani, Baudii, ac Meursii historiæ edocere possunt, in quibus inducias Belgarum & Hispanorum describunt.

Pacificationis tractatio prudentibus & fidis committenda.

Antiqui † oratores miserunt: 56

Velatos ramis oleæ veniamq; rogantes.

Virgil. 11. Æneid. 57

Et 7. *Æneid.*

Tum satis Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Est enim olea † pacis signum. *idem 2. Georg. Gen.8 v.11.* Athenæ 58
quoque victores oleâ coronarunt. *Plin. l.15. c.4.* 59

De quæstione nobili, & à multis mota ac disputata: An Duces belli † pro arbitrio pacem vel inducias cum hoste possint constituere, videantur *Dec. consil.695. Decian. vol.3. consil.96. Vinc. Cabot. lib.2. disput. c.15. Alberic. Gentil. in tr. de jure bell. lib.2. c.12.* & novissimè *Helfric. Ulric. Hunn. in tract. de pact. c.2. q.2.*

An Duces belli pro libitu pacem vel inducias possint constituere, remissivè.

Pacificatione peractâ, adhuc privato † acceptarum antè injuriarum ultionem reposcere licet: nisi pactis hoc disertè exce- 60

Pacificatione peractâ,

privatus ante acceptas injurias vindicare potest. ptum sit, aut nisi clausulâ generali securitatem domum adeundi paciscantur. *Bod d.n.605.*

An verò Princeps pacem faciens cum hostibus, injurias † &
61 damna privatis illata ob causam belli remittere possit, disputant Jurisconsulti & Politici. *Vernand. Vasq. libr. 1. controvers. 4. Gesl. lib. 2. observ. ut. 57. n. 6 & lib. 2. de pac. public. cap. 19. n. 25. Mynsing. cent. 4. observ. 9. per tot. Matthæus de Afflict. decis. Neapol. 361. nu. ... Dn. Hun. de pact. c. 2. q. 3. Bocer. lib. 1. de bell. cap. 29. num. 6. Arn... Clapmar. lib. 4. de arcan. Rerumpubl. cap. 6. Waremund. ab Erenberg. libr. 2. medit. pro fœderib. cap. 1. num. 19. & seqq.* inque ... mantem inclinant sententiam, quòd nimirum Princeps in conditionibus pacis ex necessitate, & ob publicam utilitatem, illa expresse possit remittere, & de iis transigere. Talis enim, inquiunt, remissio, vel transactio favore publicæ utilitatis facta, etiam invitis subditis valet, maximè si aliter pax haberi nequeat: adeò ut perpetuò subditi ab omni actione civili & criminali excludantur, quia ob hujusmodi necessitatem, & publicam utilitatem, ad evitanda majora belli incommoda, dominus negotium subditorum utiliter gessisse creditur, (quamvis æquius videatur *Besold. dict. thes. 44.* Ut damnum illud communi omnium civium contributione restituatur.) Aliàs remissio facta à Domino subditis non præjudicat. *Mynsing. & Bocer. dd. ll.*

Princeps paciscens an damna privatis illata remittere possit.

62 Non tamen licitum Capitaneo † absque speciali mandato ejus, cujus nomine bellum gerit, quicquam remittere: quemadmodum nec procurator constitutus ad litigandum, vel solutionem recipiendam potest transigere, vel terminum constituere, sine speciali mandato. *l. mandato, de procurator. l. ... Romæ. §. Callimachus de verb. oblig. Waremundus num. 20.* Ubi plures in hanc sententiam citat.

Hactenus de consequentibus belli lætis, consequens seu ef-
63 fectum belli triste † est clades.

Quemadmodum verò Dux, victoriam cautè, leniter &
64 modestè habebit: ita & cladem † prudenter ac fortiter feret, nec apud suos nuncios cladis occultabit, sed remedia ... tim

Clades prudenter &

tim potiùs quæret, non differet. *Lips. cap. 18.* Nam ut inquit *fortiter ferenda.* *Senec.*

——— *Clades scire qui refugit suas,*
Gravat timorem, dubia plus torquent mala.

Sicut contra, sæpè calamitatis solatium est, nosse sortem suam; *Curt. l. 4.* Apud hostes verò cladem potest & debet dissimulare, de quâ dissimulatione vid. *Rantzov. lib. 3. cap. 9.* Semper memoriæ tenendum est, res † humanas ita comparatas esse, ut in victoria gloriari, in adversis rebus tristari homines minimè debeant. 65
Hippolyt. a Collib. in princ. c. 23. in fin. Totila dicere solebat, res secundas aut adversas immoderatè ferre, non fortium virorum esse: sed hoc diffidentis, illud res humanas obliviscentis. Nota Africani illa vox est. Romanos nec victos animum, nec victores modestiam amittere: nec duriores pacis conditiones partâ victoriâ, quàm ante bellum dare consuesse *Liv. l. 10. Plutarch. in Scip. Afric.* Et Camillus: Nec mihi, inquit, dictatura animum fecit, nec exilium ademit. *Liv.* Marobodnus, ait *Tacit. lib. 2. annal.* ad Tiberium scripsit, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria præteritæ fortunæ. Sic Franciscus Galliæ Rex, etsi captivus, semper mores & spiritus regios retinuit. *Guicciardin. & Jov.*

Cogitabit etiam Dux Martem † esse communem, & victum sæpè erigere, & affligere victorem *Liv. l. 28.* Quare ex unius † prælii eventu animum & hastam non abjiciet *Tholozan. l. 11. de Repub. cap. 12.* Sed meliora exspectabit & sperabit, vires reparabit, novos delectus, nova auxilia quæret, contra infortunium insurget, omniaque experietur (si modò bona ejus causa sit) more anguium, qui obtrito capite, postremùm caudâ minantur, ut docet & monet *Lips. dict. c. 18. circ. fin.* Melius † sanè est in bello justo occumbere, quàm per dedecus in vivis manere. *Althus. fol. 429. a pr. edit. prior.* 66 67 68

Sunt & alia adjuncta † sive connexa belli, ut deprædatio sive rapina, devastatio, incendia & demolitiones hæc utrùm & quando sint licita, disseruimus *cap. 13.* de disciplina milit. circa abstinentiam militum & dicemus *cap. seq.* Item trucidatio 69
&

& cædes, quæ in bello ante deditionem, & in fidem receptionem tàm sunt licitæ, quàm ipsum bellum. *Althus. fol.427.in fin. Alberic. Gentil. l.2.de jur. bell.c.16.* ut & captivitas. *c.16.* quid juris post subactionem, *cap.seq.& ult.* fusius dicemus. Atque hæc fuerunt

70 *Dimissio exercitus.* consequentia belli prima: ortum † consequens belli est dimissio exercitus. Bello omninò † confecto, Duces & milites persolutis

71 stipendiis in suum quisque locum maturè dimittendi sunt, non frustrà in armis retinendi in ditione Principis, præsertim si sint externi, ne seditionem moveant, vel rapinas & latrocinia exerceant. *Keck in syst.l.1.c.30. in fin.*

72 *Testimonia militum.* Militibus † qui fortiter sese gesserunt, communicentur testimonia & literæ publicæ, quos Germani Paßbort vocant. *id.ibid.*

73 *Præmia.* Item distribuantur † præmia Sic *Hippol. à Collib.in punic.c.23. fol.121. in fin.* de prudentia bellica post bellum hoc præceptum proponit: Victor honoribus muneribusq; eos donet, quos probè rem navasse acceperit. Ignavos verò & inertes pœnâ ignominiâq; afficiat, ad exemplum Germanici, & aliorum Impp. Quò tamen prædæ distributio post victoriam obtentam fiat secundùm merita cujusque, ita ut & vilissimi non posthabeantur, monet idem *Keck. fol. 504. in fin.*

CAPUT VIGESIMUM.

VICTOR QVOMODO SE ERGA captivos victosq; gerere debeat: & quomodo hi in officio sint continendi.

Dictum à nobis fuit in capite præcedenti Principem sive Ducem belli victoriâ cautè, leniter & modestè debere uti victisque clementer parcere: quibus verò & quando sit parcendum, & quomodo in officio bello subacti contineri possint, brevibus dici non poterat, cùm res sit altioris indaginis. Quare ex professo & latiùs de eo nobis jam erit disserendum. Quæritur ergò. Capti-

1 vi † servandine sint, an occidendi?

Ano-

Ariovistus sanè Dux Sequanorum *apud Jul. Cæs. l. 1. com bell. Gall.* legatis Cæsaris respondit: Jus † esse belli, ut qui vicissent, 2
quemadmodum vellent, imperarent. Similiter Pyrrhus dixit: *Sententia*
Licere victori, quod liberet, in victos. Et pro severitate in hostes *pro crudeli-*
istud adferri potest, quòd ea sit necessaria, vel ad terrorem maximè incutiendum aliis. *Polyb. in Epist. l. 10* Periculum enim est, *tate in captivos.* ne dum facilè ignoscitur, plures incitentur ad experiendam adversus nos similem fortunam belli. *Liv. decad. 4. lib. 1.*

Contrà alii mitiùs & rectiùs sentiunt, debere Duces militibus suis persuadere, jure † belli captivos ut injustos, occidi qui- 3
dem posse: tamen ut homines servarent. *Xenophon. lib. 2. de rebus* *Pro clemen-*
Græcor. Fecit id ipsum Julius † Cæsar, qui neminem extra aciem *tia.*
occidi passus est, sed devictis atque in fugam conjectis hostibus, 4
milites suos, qui fugientibus acriter instabant, acclamare solitus: *Miles parce civibus.* Scipionis † Africani sententia fuisse di- 5
citur. *Malle se unum civem servare, quàm mille hostes perdere.* Nullum † enim ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusq́; 6
quàm illud: OB SERVATOS CIVES. *Senec. lib. 1. de clem.*

Ad clementiam Victores & Duces bellicos provocabunt argumenta plurima: Nam 1. nulla † in re alia homines magis 7
imitantur Deum, quàm clementiâ. *Senec. de clement.*

2. Nihil † magnum, quod non sit placidum, *dicente eodem:* 8
Imò quò major, eò placabilior, juxta Symbolum Domitiani Aureliani. Hinc præclarè *Ovid lib. 3. Trist. Eleg. 5.*

Quò quisquam est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.
At lupus & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Similiter *Plin. lib. 7. Hist. Nat. c. 16.* Leoni, ait, tantùm ex feris clementia insupplices, prostratis parcit, & ubi sævit, in viros potiùs, quàm in fœminas fremit, in infantes non nisi magnâ fame.

3. Ad animum sibi revocabunt, se quoque † homines esse. 9
Id quod perpendit Philippus Macedo, dum victis Atheniensib.

non modò non insultavit, sed jussit ob rerum humanarum conditionem, ut puer singulis diebus manè memoraret: *Philippe homo es.* Cogitabunt, quæ victis † contigerunt, posse aliquando
10 sibi evenire. Rectè *Niceta Choniata in annal.* vult prudentia, quæ omnia optimè gubernat, etiam suppliciis moderationem adhiberi, & semper in conspectu esse potestatis lubricum, & imperii amissionem: ne ut rerum omnium vicissitudo est, quemadmodum ille tractarit cæteros, ita & ipse divino judicio ab aliis tra-
11 ctetur. Et *Herod. lib. 1.* Rerum † humanarum circulus quidam est, qui non finit eosdem semper esse felices. Fortuna vitrea ac
12 mutabilis est. Expertus demum hoc est Cræsus † Rex Lydorum, qui à Cyro Rege Persarum captus, & jam in rogo cremandus sederet, Cyro & aliis spectantibus, quàm potuit, altissimâ voce exclamavit: *ò Solon, ò Solon.* Interrogavit Rex, quidnam sibi vellet iste clamor, aut quis esset iste Solon: Respondit Cræsus: Solon vir sapientissimus olim me monuit, neminem ante obitum beatum dicendum, quod jam experior. Hoc Cyrus audiens, cautior & ipse factus Cræsi periculo, ejusque sortem miseratus, non solùm ab incendio eum liberavit, sed ad ultimum usque diem in aula sua inter Proceres & Consiliarios eum habuit.
13 *Herod. d. lib. 1. Plutarch. in vita Solonis.* Gilimer † item Rex Wandalorum, cùm à Justiniano Imp. per Belisarium Ducem captus, Imperatorem in alta sede constitutum, populumque circa adstantem adspexisset, ac demum se ipsum in quod fatum pervenisset, considerasset, neque flevit, neque aliter conquestus est, tantùm illud Salomonis memoravit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Nec interfecit hominem Justinianus, sed loca quædam in Gallia ad habitandum cum suis omnibus propinquis dedit.
14 *Procop. lib. 2. de bell. Wandal.* Cùm ergò victores † videant, non ita pridem fortunâ & dignitate pares, sibi jam esse subjectos, id ipsis erit satis: adhibendaque à victoria præstans quædam moderatio ac temperantia, ne prospero fortunæ casu fiant insolentiores, & ea deinceps consilia sequantur, quæ ad præcipitium deducunt. *Comina. lib. 2. com.* Huc pertinet quod dixit Arrius: sive viribus quis polleat, sive genere excellat, sive fortunâ

Ale-

Alexandrum exſuperet, ſive quis Aſiç imperio Africam adjungat,
& cum his Europam continuet, felicem hunc eſſe non poſſe, niſi
animi moderatio adſit. Victoria ſiquidem naturâ & inſolens &
ſuperba eſt. *Cicero pro Marcell.*

4. Qui in victos utitur † clementiâ, videri poteſt 15
eorum ſervator: & victi, quoad vivent ſemper circumferent
monumentum clariſſimum ejus moderationis & clementiæ. Et
proinde ex voce *Æneæ Sylvii lib. 1. com. c. 34.* longè major eſt glo-
ria ſervati, quàm cæſi hoſtis, tantòq; triumphus illuſtrior, quan-
tò plures relicti ſunt, de quib. triumphetur. *& c. 26.* Quos ſævitiâ
& crudelitate territos ſubegeris, ut metuas ſemper neceſſe eſt,
quos tua ubi pietas miſericordiaque conciliaverit, perpetuò fi-
dos invenias. Hinc Sigiſmundus † Imp. Laurentio Hungariæ 16
Palatino ſibi exprobranti, quod victis hoſtibus non ſolùm vi-
tam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet;
extolleretque, Tibi, inquit Sigiſmundus, videtur utile inimi-
cum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego ini-
micum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo. Quo
dicto oſtendit, pulchrius eſſe benefaciendo quàm potentiâ
inimicos vincere. *Peucer. lib. 5. Chron. Carion. Sylv. lib. 4. c. 36.*

5. Cogitabunt, victores, quod iram † victorum contra ſe 17
majorem concitent, quo argumento Beliſarius Totilæ ſuaſit, ut
Romam ab ultimo excidio ſervaret, tanquam ab ea crudelita-
tem averteret. *Procop. lib. 3. Scipio Amiratus lib. 13. diſcurſ. 8.* Ubi
ſummoperè laudatos fuiſſe ſcribit, qui urbes deſtruere volenti-
bus ſeſe objecerint, qualis inter Florentinos fuit Varinata de
Ubertis, inter Neapolitanos Jacobus Caldora.

6. Memores erunt ejus, quod familiaris quidam Alexan-
dri ei reſpondet: Fortunas † victi, & eſſe & dici victoris opor- 18
tere. *Plutarch. in vit. Alex.* Sic Cræſus à Cyro captus, videnſq;
Perſas Lydorum urbem diripientes, Cyrum percunctatur quid-
nam, inquiens, tanta frequentia properat agere? Cui Cyrus,
Tuam reſpondit, urbem diripere tuaſque opes abſumere. At-
que Cræſus excipit: Neque urbem meam diripis, neque meas
opes: Nihil enim mihi cum iſtis rebus eſt, ſed tua ferunt aguntq;.

Digitized by Google

Herod. lib. 1. Quod ſi ergò ad victas urbes exſcindendas victores facilè conſentiunt, ſibi ipſis damnum inferunt.

19 7. Imitabuntur Heroicos † Duces, quos licet victoria plurimum delectarit, à crudelitate tamen vehementer abhorruerunt: imò de nece devictorum nonnunquam indoluerunt. Æneas qui dictus eſt Pius, indoluit, quod Lauſum, Mezentii filium interemiſſet. *10. Æneid.* & Marcellus, cùm urbem Syracuſanorum, qui obſtinatiſſimè reſtiterant, incenſam videret corruere, collachymatus eſt: atque ita commotus eſt ruinâ urbis inimiciſſimæ. Simile quid de Scipione in everſione Carthaginenſi refertur. Pauſaniæ Spartani, qui Dux fuit ad Plateas, tanta fuit modeſtia in victoria, ut cùm quidam eum adhortarentur, ut capita Perſicorum Ducum interfectorum affigeret cruci, ſicut Perſæ caput Leonidæ Regis Spartani ſimili contumeliâ affecerant, reſponderit, ſe mortuos nullâ contumeliâ affecturum eſſe, ac ſatis ſibi eſſe, ſi juſta faciens & dicens, Spartanis ſuis placeat: fecit & alia modeſtè, remiſit captivam nobilem ad ſuos. *Philipp. lib. 2. Chron. Carion. in vit. Artaxerxis IV. Reg. Perſ.* Alexander M. ſicut prælio terribilis: ita partâ victoriâ clemens fuit. *Plutarch. in ejus vit.* A capto Poro, Rege Indorum exegit, quânam ſe ab Alex. ratione tractari, quemvè erga ipſum ſeſe gerere Alexandrum cupiat: Ad ea nihil Porus aliud, quàm ut pro regia ſecum dignitate ageretur, petiit. Rurſus Alex. Num fortè & aliud. Ad ea quoque & illud ſubdidit: Regiam dignitatem, quæ ipſe cuperet, cuncta in ſe continere. His Alex. commotus, non regnum illi modò reſtituit, verùm imperio ejus latiores etiam fines adjecit. Aurelianus Imp. cùm Zenobiam, Reginam Orientis viciſſet, & de illa Romæ de more triumphaſſet, non ſolùm ei vitam condonavit, ſed ut commodè & honeſtè in urbe cum filiab. viveret, permiſit. *Melancth. lib. 3. Chr. Car. in vit. Aurel.* Cùm idem Aurelian. Thyanâ, Bithyniæ urbe obſeſsâ, fortè per iracundiam dixiſſet, ſe ne quidem canem in civitate incolumem relicturũ: eâq; voce milites in ſpem prędæ erexiſſet: captâ demum per proditorem civitate unum proditorẽ Heracleonem occidi paſſus, reliquis omnibus parcens civibus, ſummâ commendatione bonitatis & clementiæ: ac deinde militibus,

litibus civitatis direptionem flagitantibus; Agite, inquit, canem me negavi relicturum, canes omnes occidite. *Flav. Vopiscus in ejus vit.* & sic militum elusit avaritiam, cùm veniam daret his, quibus veniâ opus fuit, ut loquitur *Seneca*. Refert *Livius lib. 29. & 32.* plus parcendo † victis, quàm vincendo Romanos imperium suum auxisse. 21 Ut autem victores mites omnium, etiam devictorum benevolentiam sibi conciliarunt: ita econtra † crudeles, qui nulli ordini, sexui, nec ætati pepercêre, sed curarunt necari tàm sontes, quàm insontes, omnium odium in se concitarunt. Sic immanis fuit judicatus Carolus Dux Andegavensium Neapolitanus Rex, quod Corradinum Suevũ & Ducem Austriæ à se captos bello, & diu servatos, postea publicè interfecit. Laudati contrà Saraceni, qui eum ipsum Carolum; & ejus fratrem Ludovicum sanctum apud Damietam Ægypti urbem captos, humaniter habuerunt & tractaverunt, illisque pepercerunt. *Danæ. lib. 7. pol. Christ. c. ult. fol. 529.* Barbaricâ etiam in solentiâ Sosostres quatuor Reges captos currum trahere coëgit: & immanis fuit tyrannis Saporis Regis Persici, qui aliquot annos, quoties equum conscendit, pedem cervici Valeriani Imp. à se capti imponens, pro scabello eo usus est. Tandem in extrema senecta viventi cutem à cervice ad pedes detraxit. *Philip. l. 3. Chron. in vit. Valer.* Nota etiam est insolens victoria Tamerlanis Scythæ adversus Bajazetem Imper. Turcicum: nec non Basilii II. crudelitas, qui victoriâ contra Samuelem Bulgarorum Regem potitus, quindecim millia captivorum excœcavit. *Joan. Zonar. in annal.* 22 Istius † sanè captivitatis deploranda est conditio, quâ capti ad vilissima quæque munia adiguntur, & morte quâvis graviora supplicia experiuntur. Unde quidam extrema quæq; perpeti maluerunt, quàm vivi in manus victoris incidere. Numantini Duces suos seque patriamque ferro & veneno, subjectoque igne premerunt, ne in manus Romanorum inciderent. *Flor. l. 2. c. 18.* plura exempla refert *Schönborn. l. 6. polit. cap. 34.*

Deniquejure † antiquo belli, capti ab hostibus servi fiebant, 23 nec occidebantur: & sic à servando servi sunt dicti. *§. 3. Inst. de jur. person. l. 239. §. 1. ff. de verb. signif.* Exquo plerique deducunt,

Bb 3, non.

non licere hostem, postquam captus est, & in præsidia nostra deductus occidere: ante verò quàm deductus sit interfici jure posse, cùm multa interim possint accidere. 24 Et quòd cædes † in bello ante deditionem, & in fidem receptionem sint licita, videre est *apud Alber. Gent. lib. 2. de jur. bell. c. 16. & seqq. Jos. c. 8. v. 24.* In Judæa diversis vicib⁹ duodecies centena & quadraginta millia hominum cæsa summatim retulit. *Lips. lib. 2. de Constantia, cap. 21.* Ubi tamen omninò legatis parcendum erit. *Gentil. cap. 21.*

25 Ergò deditium † hominem occidere, crudelissimum est, nec boni Imperatores hoc patiuntur: ab ea quippe humanitate abhorret, quam naturaliter homini homo debet. *Joach Mynsing in com. ad d. §. 3. n. 3.* per omnia convenit *Bod. l. 1. de Repub. c. 5. n. 33.* dicens: Quid rationi ac humanitati tàm consentaneum, quàm eos, quos justo bello ceperis, partâ victoriâ servare: iis etiam victum ac vestitum suppeditare, summáque charitate fovere, ac pro tantis beneficiis obsequium & operas exigere? num æquius illud est, quàm captivos crudeliter mactare? inde prima servorum origo *Mox.* Num præstabilius & humanius est ad opera publica servari: hinc etiam servi pœnæ dicti.

26 Ubi notandum, quòd Christiani † capti à Christianis bello, eorum servi ex generali consuetudine nequaquam fiant. *Mynf. n. 4.* sed tantùm obstricti sint jure captivitatis ad certam homagii speciem pro more cujusque gentis, victorique λύτρον solvendum: *Harprecbtus ad §. item ea. 17. n. 7. Inst. de rer. divis.*

27 *Quibus sit parcendũ, & quibus minimè.*

Sic itaque habe: parcendum esse deditiitiis † & subjicere se volentibus. *Deut. 20. 1. Reg. 20. 2. Reg. 6. 2. Paralip. 28.* non verò refractariis & obstinatè repugnantibus. *Jos. 8. Judic. 20 1. Sam. 15. 2. Sam. 8.* Idem nobiscum tradit *P. Mart. class. 4. loc. com. c. 17. sect. 1.* dicens: Ex hostibus aliquos pœnitet, seque dedere volunt, & de illatis injuriis se satisfacturos pollicentur: His sanè clementer parcendum est: Alii verò sunt, qui obfirmatissimo animo repugnant, & armis perperam facta parati sunt defendere: in hos severiùs statuendum est. Hæc duo Poëta expressit, cum propriam notam populi Romani hanc esse dixit:

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Et

Et Romæ in Capitolio scriptum fuit: *Parce victis, frange superbos.* Quare Octavius Augustus urbibus, quæ sponte deditionem fecerunt, veniam dedit: eas quas restiterunt, mulctavit. *Zonar. tom. 2. annal.* Sic & Trajanus eos, qui deditionem fecissent, ut amicos benè tractavit: Parere recusantes, parvo negotio, compellens, subegit. *Cuspinian. in ejus vit.* Refert etiam *Cicero lib. 1 offic.* eos qui armis positis ad Impp. fidem confugerant, quamvis murum etiam aries percussisset, receptos à Romanis esse: quo nomine non minus gloriæ sibi pepererint, quàm tot de Pœnis victoriis. Unde non sæviendum esse suprà modum in victos monet, sed humaniùs, qui se dederunt, recipiendos. Idem facit *Augustinus in Epist. 105. ad Bonifacium*, inquiens: Ne sævias aut insolescas in supplices, sed misericordia in illos impendatur. & *in Epist. 207.* sicut rebellanti, & resistenti violentia redditur: ita victo, vel capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.

Illa verò moderatio † ita instituenda, ut neve vehementes nimium simus, neve nimium remissi. Nimia † siquidem 28 lenitas, magna sæpe fit incitatio ad peccandum. Quade 29 causa † humanissimos alioquin Duces, usu postulante, sævissima quæque executos: rursus sævissimos, mirificè clementes 30 extitisse, historiarum monumenta loquuntur. Sic humanum, severumque ac simul justum se ostendit Saladinus Sultanus Ægyptius. Severum quidem, cùm captos in prælio Guidonem Lusignanum Hierosolymarum Regem, & cum eo multos alios Principes omnes humanissimè habuit, excepto Raynaldo Castiliano, qui Antiochiæ Principatum obtinebat, cui manu suâ caput ademit, quòd contrà induciarum fidem bellum ei intulerat. Humanum erga eos, qui in Arce Crach (olim deserti petra nuncupata) biennium obsidionem post amissas Hierosolymas Syriamque omnem sustinuerunt, cùm ultra fames resistere eos prohiberet: non modò enim incolumes omnes servavit, verùm filios quoque, atque uxores in obsidione divenditos, ut unde alerentur, haberent, redemit, ac præterea indigentem pecuniam dono dedit, & cum præsidio in Christia-

ſtianorum populorum fines remiſit. Dignos arbitratus qui juvarentur, quia fidelem fortemque operam præſtiterant. Omnes enim, prout vel ſcelus, vel bonitas ac fides, aut pœnâ, aut munere dignos fecerat, proſecutus eſt. *Fulgoſ. lib. 6. de dict. & fact. memorab. c. 5.*

Romani item etſi victas urbes non tantùm non deſtruebant, ſed cives illarum civitate Romanâ donabant, ut Privernates. *Liv. lib. 8.* ſicut de ipſis dictum eſt: *Pleroſq; populos eodem die hoſtes, dein cives habitos eſſe.* Sic Julius Cæſar in civili bello victor tàm clementer erga devictos ſe geſſit, ut neminem ex illis extra aciem occidi paſſus ſit, vitamq; iis conceſſit, qui in necem ipſius conſpiraverant: Poſtquam in Ægyptum venit Pompeii percuſſores tolli curavit: Pompeii caput ad ſe delatum intueri noluit, ſepelirique juſſit: Romam reverſus, adverſariis non ſolùm ignovit, ſed præfecturas inſuper & provincias iis demandavit. Sæpenumerò tamen manſuetudo illa cum ſeveritate exæquata eſt. Nam Capuam Romani, etſi non incenderunt, aut demoliti ſunt: tamen ob juſtam iram in miſerum humilemque adeò ſtatum redegerunt, ut magis Romanæ iræ, Capuanæque perfidiæ teſtimonium in ea remanſerit, quàm ut civitatis priſtinæ veſtigium ullum præ ſe ferret. Etenim ſeptuaginta Principes Senatus interfecti, trecenti fermè nobiles Campani in carcerem conjecti: alii per ſociorum Latini nominis urbes in cuſtodias dati, variis caſibus interierunt: multitudo alia civium Campanorum venundata propter agrum, quem, fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italia eſſe, urbs ſervata eſt, ut eſſet aliqua aratorum ſedes, ager omnis & tecta publica populi Romani facta: Cæterùm habitari tantùm, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: Corpus nullum civitatis, nec Senatus, nec Magiſtratus eſſe voluerunt: & præfectus ad jura reddenda quotannis mittebatur. *Liv. lib. 16.* Jugurthæ etiam perfidiam aliquoties diſſimulaverat populus Romanus, quæ poſteà crebriùs iterata, juſtum ſupplicium tulit.

31 Populorum † itaque inconſtantia, livitaſque, cui fidere non ſatis eſt tutum, ſæpenumerò efficit, ut victor in victam civitatem gra-

gravius quid statuat, præsertim si aliæ causæ concurrant, utpute si ea civitas procul à ditione victoris sita sit, si hosti opportuna: ut Capsa Romanis aditu difficilis, Jugurthæ commodissima, ideò à Mario devastata est: etsi contra jus belli, quia sese Romanis dediderat. *Salust. de bell. Jugurth.* quia captas, non deditas urbes diripi veteres voluerunt. *Æmilius* & in his tantùm arbitrium est Imperatoris non militum. *Liv. 37.*

Et sic justè † videntur interfici, qui sæpiùs nocuerunt, & quibus sæpiùs ignotum est, & nihilominus ad ingenium, seu ad pristina maleficia redierint. 32

Quare severa statuenda est pœna. Celtiberorum rebellium ad quindecim millia cæsa aut capta: signa adempta duo & triginta. *Liv. lib. 1. decad. 5.* Severior pœna in defectores Babylonios statuta est. Victor enim tria millia Procerum patibulis affixit, datâ cæteris veniâ urbem incolendi. *Herod. lib. 3. in fin.*

Nec rarò † perimuntur captivi ob ultionem: nempe quòd nostros, quos ceperant, crudelissimè tractarint. 33

Illis † quoque non parcitur, de quibus metus & suspicio est mali futuri. *Keck. l. 1. syst. polit. c. 30. fol. 504.* 34

Nec etiam victi magno † numero sunt servandi. *Tholozan. de Repub. l. 11. c. 10.* 35

Aliquando etiam † etiam hic rigor in bello servatur, & hostes è medio tolluntur, ut eorum excidio cæteris terror incutiatur, ne pertinaciùs repugnent, vel sortem conditionemq; suam, si citra deditionem in manus adversariorum inciderint, mitiorem fore sperent. *Petr. Martyr. class. 4. loc. com. c. 17. sect. 3.* Ita David quandoque pepercit victis, eosque tributarios sibi fecit, ut Philistæos, Moabitas & Syros. *2. Sam. 8. 1. Paralip. 18. v. 1. 2. 6.* quandoque verò minimè. Expugnatâ Rabbath, populum ejus serravit, & circumegit super eos ferrrata carpenta: divisitque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. *2. Sam. 12. c. ult. 1. Paralip. 20. v. 3.* 36

Nonnunquam, ait *Scipio lib. 13. discurs. 8.* diripitur † urbs non ob iram odiumve, sed ut miles prædæ spe sæpè dejectus, tandem aliquem victoriæ fructum consequatur. Unde Consul 37

Digitized by Google

Acilius Heracleam diripiendam permisit. *Liv l. 36.* vel militis remunerandi causâ, si in oppugnando oppido aliquo insigniter se gesserit, ut Cæsar prædæ militum Gomphenses exposuit, quòd eorum urbem muris eximiæ altitudinis munitam, brevi temporis spacio, à meridie scilicet ad occasum usque solis strenuè expugnassent. Præterquàm quòd eo exemplo cunctis Thessaliæ civitatibus talem incussit terrorem, ut exceptâ Lavissâ cunctæ illi portas aperuerint. *Cæsar libr. 3. de bell. civil.*

38 Cæterùm utiliter monet *Scipio d. l.* ne civitas † ulla exscindatur, etsi excidium merita sit, quæ nomen gloriamque amplitudinis, & claritatis alicujus ob vetustatem sibi quæsiverit. Unde *Cæsar lib. 2. de bell. civil.* scripsit, à se Massilenses magis pro nomine & vetustate, quàm pro meritis in se civitatis conservatos fuisse. Sed & Augustus Imperat. tribus de causis dixit, Alexandriam solo abs se exæquatam non fuisse, etsi pluribus nominib. excidio dignam putaret: 1. propter urbis dignitatem, atque amplitudinem. 2. Propter ædificatorem ipsum Alexandrum. 3. Propter amicum suum Arrium. *Plut. in apopth.*

39 Ampliùs: Captivi vel † gratis dimittuntur, vel certo lytro, sive pretio redemptionis, vel denique permutatione captivorum.

40 Gratis † reddidit Pyrrhus Rex Epirotarum captivos Romanorum, quos habebat.

41 Lytrum † sive pretium redemptionis pro ratione personarum vel majus solvitur, & exigitur, vel etiam minus præsertim si certa quædam pacta de ista redemptione captivorum intercedant: tùm enim ratione istorum pactorum minus lytrum datur. *Keckerm. fol. 502.* Hîc tamen *Petr. Martyr. d. l.* asserit. Si λύτρον quàm maximum à victis extorqueatur, fieri id non animi virtute, sed avaritiâ potiùs induci victores ad ignoscendum, & plerumque eos neque honesti, neque Reipublicæ ullam rationem habere.

42 Permutatio † captivorum etiam ex proportione personarum.

tum & bonâ fide institui debet, sicut & captivorum permutativorum traditio. *Vid. Alberic. Gentil. l. 2. de jure belli. c. 15. Tholozan. d. c. 10.*

Reperiuntur etiam, qui multitudini † hostium parcunt, & solùm capita mali, & scelerum Principes auctoresve morte afficiunt, ut exemplo sint cæteris, ne audeant consimilia. Ita in bello Mithridatico, Mithridates Rex Ponti Attilium, quòd sibi insidias struxisset, supplicio affecit, servos verò ejus impunitos voluit ob parendi necessitatem. *Appianus Alexandrinus de bell. Mithridat.* Similiter Joab Princeps militiæ Judæorum Absolone auctore & Duce in saltu Ephreim tribus lanceis à se confosso, bucciná cecinit, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini. *2. Sam. 18. ℣. 16.* Angliæ quoque fert consuetudo, ut in præliis belli Duces & Nobiles è medio tollantur, servatâ multitudine. *Philip. Cominæus lib. 4. de gest. Ludovic. XI.* Et hoc est, quod monet *Cicero libr. 1. offic.* De evertendis diripiendisque urbibus valdè illud considerandum est, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat: idque est viri magnanimi, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna, recta atque honesta retinere. 43

Monent & hoc nonnulli, ut aliter † cum Turcis, aliter cum Christianis & fidelibus agatur. Nequaquam Rex infidelis, impius, sceleratus, & manifestè tyrannus debet servari. *Althus. in Polit. cap. 30. fol. 428. Keckerman. fol. 504.* Nam DEUS irascitur Achab ob reservatum Benhadad Regem Syriæ. *1. Reg. 20. ℣. 42.* 44

Ex mandato divino parcendum † etiam fœminis, infantibus, & arboribus, jumentis. *Deut. 20. ℣. 14. & 19.* Unde Joab omne masculinum in Idumæa interemit. *1. Reg. 11. ℣. 16.* Et filii Israël ceperunt de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam, pertuleruntq; eam in Samariam. *2. Paralip. 28. ℣. 8.* 45

Nec etiam † senio confectis, infirmis, sacerdotibus, omnibusque illis, qui non armati resistunt, vis vel violenta manus 46

Digitized by Google

inferenda, sub pœna capitis, *ex ordinatione Imperii militari Spirafactæ facta Anno 70. tit.* Röm. Keyserl. Majest. Reuter Bestallung: Von Bestellung des Feldes) erneuwerter Reuter Recht. *art. 70. & in artic. 8. & 54.* auff die teutsche Knecht. Neque enim ad internecionem usque pugnare cum hostibus bonum virum decet, sed quoad eorum, qui deliquerunt, malefacta purgata sint atque correcta: neque unà cum injustis ea extirpare, quæ nihil læserunt, & simul cum hostibus eos delere velle, qui nulli injuriam inferre videntur. *Polyb. lib. 5. fol. 370.*

47 Ob † delictum tamen & culpam propriam nec fœminis esse parcendum, itidem sacræ scripturæ docetur testimonio. Cùm enim filii Israël pugnassent contra Madianitas, omnesque mares occidissent: urbes, viculos & castella ob ultionem flammâ consumpsissent, fœminas verò captas vivere passi essent: Iratus Moyses Principibus exercitus, tribunis & centurionibus venientibus de bello, ait: Cur fœminas reservastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Dominum super peccato Phogor, unde & percussus est populus? Ergò cunctos interficite, quicquid est generis masculini etiam in parvulis: & mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate. Puellas autem & omnes fœminas virgines reservate vobis. *Num. 31. v. 15. 16. 17. & 18.* Israëlitæ expugnatâ urbe Jericho, quam Dominus in manus ipsorum dederat, interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. *Jos. 6. ỽ. 21.* Similiter fecère captâ urbe Hai. *Jos. 8. ỽ. 24. 25.* ipsamque civitatem incenderunt, & fecerunt tumulum sempiternum. *ỽ. 28.*

48 Summatim, ita concludimus; quòd incendia, † devastationes & demolitiones pagorum, urbium ac munitionum fieri non debeant, nisi summâ utilitate, vel necessitate ita suadente, & jussu Ducis accedente, ut monuimus etiam supra *cap. 13. de disciplin. militari* circa deprædationem militum. Imò ne castra quidem hostium, ante pugnam, vel victoriam obtentam injussu superioris incendio supponenda. *Ordinat. Spirens.* Von Reuter Bestallung, *art. 81. & art. 55.* auff die teutsche Knecht.

Mo-

Monemus & hoc *ex Flor. lib. 2. c. 7.* quòd ultra jus † victoriæ in templa, aras & sepulchra sæviatur. Utque locis religiosis, templis, monasteriis, Xenodochiis, & scholis parcatur, provisum est *in dict. constitut.* auff die teutsche Knecht. *art. 9.* 49

Hic addimus epiphonema *ex Salust. in Catilin.* Misera † quidem bellorum conditio est, illa verò miserrima, quòd videmus rapi virgines, pueros, divelli liberos à complexu parentum, matresfamiliarum pati, quæ victoribus collibuissent: fana atque domos spoliari: cædem, incendia fieri, postremò armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Quam sortem experti sunt Waldenses, cùm jussu Francisci Regis Galliarum exstirparentur funditùs. *Sleidan. in comment. lib. 16.* 50

Denique sunt & certi † modi, quibus victor civitatem aut provinciam victam, citra ruïnam ac vastationem obtinere, victosque in officio ac fide retinere poterit, ne novas res attentent, & tumultum vel bellum ampliùs excitent. 51 *Modi retinendi victos in officio & fide.*

Primò, in locis † munitis, aut quæ brevi muniri possunt, non facilè ferendi. *Boter. lib. 5. de politia illustr. c. 6. fol. 369. Althus. in polit. c. 26.* Cùm Romani Ligures Apuanos ob asperam & naturâ munitam regionem, quam incolebant, quæque ipsis magnam sæpè confidentiam pepererat, & non raro ad seditionem commoverat, coërcere non possent, à montibus abductos, in terram planam & apertam transtulerunt. Iidem Carthaginenses sæpè seditiones concitantes, ut mari relicto, in continentem mediterraneam concederent, coëgerunt. 52

Non solùm autem propugnacula, sed & arma † adimenda rebellibus. *Tholozan. lib. 23. c. 9. Althus. d. cap. 26.* Sic M. Bortius Cos. cùm multos subjugasset Hispaniæ populos, iique defecissent, arma eis ademit, quam rem adeò ægrè passi, ut mortem multi sibimetipsis consciscerent. *Liv. decad. 4 l. 4.* Et Julius Cæsar quoties urbem occupavit, sive vi, sive deditione, prima hæc erat ejus postulatio atq; mandatum, ut omnia arma, equos, atque etiam obsides, quos ex optimis quibusque atque ex omni juventutis robore ipse delegit atque segregavit, sibi exhiberent. Sic omni robore consilióque urbes à se expugnatas nudavit. 53

Digitized by Google

Arma autem non tantùm illis adimuntur, usu eorum interdicto: verùm etiam materiâ, ex qua cudi solent, imò ipsâ cudendi arte. Magna enim ubi populi est frequentia, materiæque (modò adsint artifices) copia præsto est, facilè tunc arma usui accommoda parari possunt. *Boter. fol. 369.* Ita tempore Saulis non inveniebatur faber ferrarius in omni terra Israël. Caverant enim Philistæi, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis, aut lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule, & Jonatha, filio ejus. *1. Sam. 13. ✝. 19. & seqq.*

54 Tertiò rebelles à publicis † congressibus removendi: Magistratu privandi: neque ulla facultas quovis modo se invicem conjungendi permittenda: *Idem Boter. c. 7. fol. 374.* In hunc modum à Romanis Capua enervata est. Permissum quidem Capuanis fuit, ut urbem inhabitarent propter agrorum fertilitatem: ut autem formam inter se haberent civitatis aut Reip. id verò omninò denegatum fuit. Adempta itaque ipsis judicia, ademptus Senatus, ipsa denique Reipub. administratio unà cum publicis congressibus interdicta fuerunt. Sic enim omnem rebellionis ansam ac nervos præcidi posse prudenter existimarunt.

55 Quartò captivi aliò ‡ amandandi & transferendi, Coloniæ ducendæ in gentem bello superatam. Ita Romani quibusdam oppidis muros detrahebant, ut Velitris, Senatumque amovebant, & ultra Tiberim, Sicis essent, aut contrà, habitare jubebant, pœnis impositis, si priùs quàm conditionibus impletis satisfecissent, transmeassent; vel colonias deducebant, quibus primorum civium expulsorum agros concedebant. *Liv. libr. 8.* Et juxta hunc modum cum Proceribus Persei P. Æmilius agendum putavit. Nam jussit ipsos cum filiis suis, qui decimum quintum annum excessissent, civitates suas relinquere, & Romam in Italiam migrare. Quæ mandata etsi acerba crudeliaque videbantur, cognovit nihilominus plebs, libertati suæ utiliter cautum fuisse. *Livius libr. 45.* Imperator

An-

Digitized by Google

Aurelianus animadvertens Dacos, qui hodiè Valachi, Moldavi, Transylvani sunt, ac citra Danubium habitant, Romani Imperii impatientes esse, citeriorem terram habitandam dedit. *Boter. dict. cap. 6. fol. 370.* Eâ quoque ratione Carolus Magnus Saxones tandem in colonias, partim Belgicas, partim Helveticas, partim Transylvanicas translatos continuit. *Chytraus in Chron. Querf.* Decem millia hominum cum uxoribus & liberis in Galliam sunt transportata. *Donatus Acciolus in vit. Caroli Magni.* Tale quoque translationis exemplum extat in divinis literis. Sic enim Salmanassar Rex Assyriorum, Israël sub Rege Osee transtulit in Assyriam: Posuitque eos in Haba, & in Habor juxta fluvium Gozar, in civitatibus Medorum. *2. Reg. 17. ℣. 4. 5. 6. & cap. 18. ℣. 11.* adduxit verò de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Smath, & de Sepharva, & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israël, qui possiderunt Samariam & habitaverunt in urbibus ejus. *d. c. 17. ℣. 24.*

Sunt tamen coloniæ duductæ præsidio contra vim & injuriam incolarum, odio laborantium muniendæ & firmandæ: Item Mittendi in colonia deducenda, in alio loco non singuli, sed ipsæ tribus totæ ex singulis oppidis, vel tota vexilla ex exercitu simul mittenda, quò sibi sint notiores & benevolentiores iis, qui mittuntur in Colonias. *Althus. cap. 30. fol. 433 edit. prior.* Monet & hoc *Keckermann. in syst. polit. fol. 505.* dandam esse operam, ut illi, qui mittuntur, benevolentiam sibi statim concilient istius gentis, & cum ea pacificè incipiant vivere.

Quintò, præsidia † imponenda. Talia passim in historiis 56. tàm sacris, quàm profanis imposita leguntur. David statuit præsidia in Syria Damasci. *2. Sam. 8. vers. 6. 1. Paralip. 18. vers. 6.* & in Idumæa custodes posuit. *dict. cap. 8. vers. 14. & cap. 18. vers. 13.* Nec non Josaphat præsidia disposuit in terra Juda, & in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus. *2. Paralip. 17. vers. 2.* Similiter Alexander

Ma-

Digitized by Google

Magnus postquam occupasset Ægyptum, præsidia imposuit diversis locis, & his ductores pfecit pacis tuendæ causâ. *Melancht. lib. 2. Chron. in descript. Ægypt.* sed tamen multitudo † custodiâ
57 difficulter conservari potest, *dicente Amirato d.l.* & idipsum comprobante scripturâ sacrâ. Nam Godolias, quem, Nabuchodonosor Rex Babylonis, populo relicto in terra Juda, præfecerat, è medio sublatus est cum Judæis & Chaldæis, qui erant cum ipso in Maspha. *2. Reg. c. ult. ✝. 22. & seqq.* Quare ad unum ex reliquis à nobis propositis remediis confugere cum minimo periculo conjunctum putamus. Sic & *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 2. n. 644.* fructum coloniarum militum præsidiis præfert. Perpetuis præsidiis, inquit, nihil intolerabilius est: quia tantum abest, ut victi vincentium Imperiis assuescere condiscant, ut non prius à novandis rebus conquiescant, quàm aut præsidia interemerint, aut arces ceperint, aut finitimos Principes ac populos ad bellum accersierint. Si Gallorum, captâ à Ludovico XII. Rege Insubriâ, colonias misissent, ut quondam Celtarum Reges fecisse dicuntur, Insubria à Francorum ditione ac potestate non tam facilè defecisset.

58 Denique obsides † imperandi. Horum usus admodùm frequens fuit apud Romanos. Sic Martius Consul obsidibus contentus, populis Agassæ sine præsidio reliquit urbem, immunesq; ac suis legibus ipsos vivere passus est. *Liv. lib. 44.* & Julius Cæsar in fidem Bratuspantium recepit, sexcentis obsidibus imperatis, omnibusque armis ex oppido translatis, ut ipse refert *lib. 2. de bell. Gall.* Similter Suessonibus in deditionem acceptis, obsides accepit primos civitatis, atque ipsius Galbæ Regis duos filios, armaq; omnia ex oppido transportavit. *eod. lib. 2. fol. 63.* obsidesque quoque imperavit à Divitiacis. *ibid.* à Morinis. *lib. 4. fol. 114.* à Britannis. *eod. fol. 114.*

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

NAPOLI

605493

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

atur istud
sin causa
clusio proc
ante cōclus
cean ipse p
r: cōclude c
ider: pos

mum. C. o
rigunt eff
cognoscit
in causa
cire: vtru
si plene p
nstante co
ba. de q
z: vnde a
a: imo ar

Google

atur istud i
sin causa p
clusio proce
ante cõclusio
ce anteq̃ pōt
a: cõclude qt
dex po

mum. C. d
rigunt eff
cognoscat
in causa
cire: vtru
si plene p
nstante co
ba. de q
: vnde a
: imo a

Google

Digitized by Google

Digitized by Google